FONTES

VITAE S. THOMAE AQUINATIS

FONTES
VITAE S. THOMAE AQUINATIS

NOTIS HISTORICIS ET CRITICIS ILLUSTRATI

CURIS ET LABORE

D. PRÜMMER O. P.

IN UNIVERSITATE FRIBURGI HELVETIORUM PROFESSORIS

TOLOSAE
APUD ED. PRIVAT, BIBLIOPOLAM
Via dicta « des Arts », 14

PROLOGUS

Non est cur multis probem nedum convenientiam verum etiam necessitatem hujus elucubrationis de fontibus vitae S. Thomae. Etenim Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas, cujus laus est in ore omnium, cujus doctrina a Summis Pontificibus identidem commendata tam saluberrimos fructus jam per sexcentos annos protulit, cujus opera auspice Leone XIII[1] accuratius eduntur denuo, talis vir inquam, nondum nactus est biographum, qui ejus vitam enarravit attendens regulas modernae criticae historicae[2]. Iam clarissimus Denifle de hac re conquestus est ipseque proposuit disserere de chronologia valde intricata in vita S. Thomae[3]; sed eheu! morte praeventus non valuit propositum exequi. Ipse etiam mihi suasit, ut novam editionem vitae S. Thomae a Guillelmo de Tocco exaratae procurarem juxta codicem manuscriptum Florentinum, cum codex in Actis SS.[4] ab antiquis Bollandianis promulgatus sit mendosus atque mutilatus. Nemo autem non videt prorsus impossibile esse scribere vitam S. Thomae, nisi prius fontes ejus principales omnes adunati et publici juris facti fuerint. Quo praestito biographus facile haurire potest atque vitam S.

1. Decr. « Iam pridem » d. 15 oct. 1879.

2. « Es ist eine auffällige Tatsache, dass trotz dem seit einem halben Iahrhundert wieder erwachten regen Interesse für die mittelalterliche Philosophie und Theologie sich bisher niemand gefunden hat, der sich mit dem Leben des Princeps scholasticorum in historisch kritischer Weise ex professo befasst hätte ». Ita I. A. Endres in Historisch. Iahrbuch (1898), p. 537.

3. Die Universitäten des Mittelalters, Berlin, 1885, I, 547; Archiv für Litteratur u. Kirchengesch. Berlin, 1886, II, 180; Chartularium Univ. Parisiens., Paris, 1899, n. 270, nota 1.

4. Mart., t. I, 659 seqq.

Thomae scribere plenae veritati correspondentem. Ad hunc diem plura de vita Angelici Doctoris nondum sunt typis impressa. Sic e. gr. duplex processus inquisitionis de vita et operibus S. Thomae, qui ante cannonizationem jussu Johannis XXII institutus fuit, nondum est typis impressus, saltem totaliter. Pariter vita Thomae a Bernardo Guidonis conscripta non est vulgata ad hunc diem, nisi secundum partem. — Quibus omnibus motus jam per decennium tempore vacationum autumnalium multas bibliothecas Germaniae, Austriae, Hollandiae, Belgii, Galliae, Angliae, Italiae, Helvetiae lustravi ad quaerendos vetustos codices manuscriptos de vita S. Thomae tractantes. Permulta inveni, sed nondum omnia, ut puto, immo ut spero. Praesertim desideratur *originale* Manuscriptum de processu cannonizationis, quod forsan latet in aliqua bibliotheca Hispaniae. Duo Manuscripta asservata in Bibliotheca nationali Parisiensi sunt recentioris aetatis (saec. XIV exeunte). Si fuerint vanae omnes perquisitiones de originali Manuscripto, typis mandabo duo Manuscripta Parisiensia. Interim curabo, ut tres principaliores S. Thomae biographiae fere eodem tempore exaratae a Petro Calo, Guillelmo de Tocco et Bernardo Guidonis imprimantur juxta meliores codices manuscriptos. Non me latet quidem alios antiquiores, immo et Thomae coaevos e. gr. Gerhardum de Frachetto, Thomam Cantimpratanum, Ptolomaeum Lucensem, etc., enarrare quaedam de S. Thoma, sed nullus eorum data opera agit de vita Thomae. Praeterea illa, quae ab eis nuntiantur, sunt parvi momenti. Quare non videtur esse necessarium ea iterum imprimere atque hic colligere. Nihilominus eorum narrationes adducam inter notas criticas adjectas. Accedit quod omnes jam sunt in lucem editae ab aliis auctoribus e. gr. a Reichert, Muratori, etc.

Quis inter tres biographos S. Thomae, sc. Petrum Calo, Bernardum Guidonis et Guillelmum de Tocco sit antiquior, non ita constat. Guillelmum de Tocco primum locum obtinere omnes docuere ad nostros usque dies[1]; contrarium opinatus

1. Cfr. Acta SS. Boll., mens. Mart., t. I, 655.

est primus Ios. A. Endres[1], motus rationibus haud convincentibus. Si iste auctor cognovisset Manuscriptum Vatican. n. 3847, propria manu Guidonis dedicatum Magistro Roggerio, non dubito quin opinionem suam mutasset[2]. Ipse enim Bernardus Guidonis ibidem jam adducit « inventarium » Guillelmi de Tocco, quod mihi videtur confectum intuitu cannonizationis S. Thomae. Ergo de Tocco praecedit Bernardum Guidonis. Paulo post Thomae cannonizationem (a. 1323) Bernardus Guidonis videtur compilasse suam historiam « de ortu, vita et obitu ac gestis S. Thomae de Aquino », atque dedicasse Magistro Roggerio. Sic enim scribitur in prima pagina Codicis Vaticani : « Venerabili viro domino petro roggerii magistro in theologia parisius pater Bernardus episcopus lodovensis presentem legendam sancti Thome de Acquino transmittit ». De Petro Roggerii habetur[3] epistula Joannis XXII ad Cancellarium Universitatis Parisiensis, in qua huic praecipitur, ut conferri curet magisterium Petro Roggerii, pro quo Carolus rex Francie et Navarre in « hoc puncto humiliter supplicavit ». Quae quidem epistula cum data sit Avenione d. 13 Maji 1323, atque cum Johannes XXII in illa mandet, ut Petro Roggerii magistralis honor « infra duorum mensium spatium a receptione praesentium computandum concedatur », valde probabile est Petrum Roggerii magistrum creatum esse mense

1. Histor. Iahrbuch, 1898, p. 538 seqq.

2. In sequenti fasciculo latius disseram de vita a Bernardo Guidone conscripta. Sed nunc jam juvat notare principale argumentum ab Endres allatum pro sua opinione esse prorsus futile. En argumentum : Bernardus Guidonis scribens brevem vitam S. Thomae in suo « Speculo Sanctorali », quod finitum fuit c. annum 1329, dicit : « Multa quidem et alia signa et miracula operatus est Deus meritis S. Thomae, quae non sunt scripta in praesenti Speculo brevitatis causa, sed quamplura collegimus sub compendio tam de prima quam de secunda inquisitione sollemni facta de vita, conversatione et miraculis ejusdem per inquisitores ab apostolica sede datos, sub anno dominicae incarnationis M°CCC°XIX° usque ad ejus cannonizationem quae facta fuit postmodum quadriennio jam elapso XV kal. Augusti anno a Verbi incarnatione M°CCC°XXIII° quae conscripsimus in fine libelli quem prius scripseramus de ortu, vita et obitu ejusdem. » Endres refert verbum « prius » ad cannonizationem et tunc confidenter dicit : « Die Priorität von Bernardus (Guidonis) vor Wilhelm (Tocco) ist damit in völlig evidenter Weise erwiesen » (l. c., p. 548). Sed verbum prius « non est referendum ad cannonizationem sed ad « Speculum praesens ». Ergo ruit tota argumentatio.

3. Chartul. Univ. Parisiens., II, n. 822.

Iulii vel Augusti idque eodem tempore, quo bulla cannonizationis Thomae Aquinatis data est a Johanne XXII (XI kalendas Augusti 1323). Petrus Roggerii et Bernardus Guidonis fuerunt in eadem patria Lemovicensi nati et amicitiae vinculo uniti. Unde licet concludere, Bernardum Guidonis hunc codicem manuscriptum novo magistro et amico suo quasi donum honorarium promotionis dedicasse. Quae quidem conclusio minime est arbitraria, sed potius valde conveniens, cum tale donum novo magistro, utpote bene merito de doctrina thomistica tradenda, pergratum esse debuerit. Ex quibus omnibus sequitur, ut codex iste Vaticanus sit scriptus paulo post cannonizationem S. Thomae sitque inter omnes codices existentes antiquior atque melior. Cum autem in illo narretur factum cannonizationis, non est scriptus ante diem 18 Iulii 1323[1].

De Petro Calo ejusque scriptis historia non ita multa eaque certa tradit. Iuxta Quétif et Echard[2] jam mortuus est 1310; sed hoc est erroneum. Etenim de vita SS. Hermagorae et Fortunati narrat idem Calo : « Venerabilis etiam vir Dominicus Patriarcha Gradensis multas sanctorum reliquias invenit, ut mihi dixit 1330, inter quas putabat esse horum corpora[3]. » Immo Poncelet S. I. putat Petrum Calo mortuum esse d. 11 Dec. 1348[4].

S. Antoninus Florentinus[5] scribit : « Frater Petrus de Clau-

1. Petrus Roggerii, qui 24 April. 1324 jam vocatur magister in sacra theologia, plures et in diversis conventibus sui ordinis (S. Benedicti) fit Prior. Dum erat Prior S. Baudilii, anno 1326, d. 23 Iunii factus est abbas monasterii Fiscamensis i. e. Fécamp (Reg. Vat. Comm. Ioh. anno 10, ep. 2089). Anno 1328, die 2 Dec., factus est episcopus Atrebatensis. (Reg. Vat. Comm. Joh. anno 13, p. 1, ep. 471, fol. 185 *b*). Anno 1329, die 24 Nov. fit archiepiscopus Senonensis; anno 1330, die 14 Dec. archiepiscopus Rotomagensis; anno 1338, die 18 Dec. creatus est presbyter cardinalis SS. Nerei et Achillei, et demum anno 1342, die 7 Maji electus est Summus Pontifex et assumpsit nomen Clementis VI. Mortuus est anno 1352. (Cfr. Denifle, Chart. Univ. Paris., l. c.).

2. Scriptores Ord. Praedic., I, 511.

3. Cfr. Dom. M. Beradelli O. Pr. in opere : « Nuova Raccolta d'opusculi scientifici et filologici, t. 39, p. 138, Venezia, 1784.

4. Il y a toute raison de reconnaître notre auteur dans ce Pierre de Chioggia dont la mort est inscrite au 11 déc. 1348, dans le nécrologe du couvent de Saint-Dominique à Cividale : Obitus Fr. Petri de Clugia ordinis nostri. » Analecta Bolland., t. XXIX, p. 31.

5. Chronic. tit. XXIII, c. 11, § 2, éd. 1586, t. III, p. 681.

sia, qui dicitur Scalo, et ipse compilavit legendas sanctorum multum diffuse, de multis sanctis referens, de quibus Iacobus (de Voragine) non fecit mentionem. » Leander Alberti[1] habet : « Nec longe abest Petrus Calo Clugiensis cum vitis sanctorum fuse a se editis MCCC. » Similia habet Antonius Senensis[2] : « Legendarium quoque sanctorum conflavit, non tamen eorum, qui sunt in Ecclesia celebres sed etiam eorum quorum vix regulariter notitia habetur, claruit anno 1310 et nihil amplius[3]. » Asserit autem Berardelli[4] numerum 1310 non inveniri in ista editione Parisiensi. Caeterum testimonium Antonii Senensis, qui saeculo XVI exeunte obiit et in pluribus aliis erravit, non est tanti momenti. Ex quibus omnibus luculenter apparet fere nihil certi de vita Petri Calo nobis traditum esse. Iuvat autem notare non esse manifestam contradictionem, si quis dixerit auctorem nostrum mortuum esse anno 1348; floruisse autem anno 1310. Facile enim vita ejus durare potuit 70 vel etiam 80 annis. — Echard (l. c.) ex Rovetta ad annum 1316 etiam alia opera Petri Calo enumerat sc. 1. Tractatum de divinis mysteriis, quae in Dominica coena ab Ecclesia catholica repraesentari solent; 2. Vitam S. Dominici; 3. Sermones quadragesimales, de sanctis; sed jam ipse Echard fatetur se haec opera nullibi invenisse.

Quandonam Petrus Calo suum Legendarium conscripserit, nec etiam constat. Vitam S. Thomae certo edidit post annum 1318; mentionem enim facit decretalis Iohannis XXII contra Fraticellos, quae promulgata fuit 1318 (Cf. infra n. 12). Verisimile est, illum scripsisse hanc vitam ante Thomae cannonizationem i. e ante a. 1323, quippe quam nec uno verbo indicet. Vocat sane Thomam sanctum et beatum, sed inde non licet concludere illum scripsisse post cannonizationem. Etc-

1. De viris illustribus ordinis Praedicatorum, ed. Bononiae 1517, fol. 153.
2. Bibliotheca ordinis Fr. Praedicatorum, ed. Parisiis 1585, p. 196.
3. Fere eodem modo loquitur Seraphin. Razzi O. P. « F. Pietro Calo da Chioggia intorno all' istesso tempo (1305) scrisse diffusamente le vite dei Santi » (Istoria degli huomini illustri Lucca 1596, pag. 324).
4. L. c., p. 137.

nim usus sat communis ferebat, vocare sanctos illos homines, qui insignibus virtutibus atque miraculis claruerunt, etiamsi nondum solemni ritu in Album sanctorum redacti fuerunt. Sic etiam Bernardus Guidonis saepe vocat Thomam « sanctum Doctorem » etsi titulus Doctoris Ecclesiae S. Thomae non collatus fuit nisi a S. Pio V. Thomas tunc temporis magnis miraculis claruit, ejus reliquiae ab omnibus avide quaerebantur, ejus cultus fervens habebatur a populo, primus processus inquisitionis « super vita, conversatione et miraculis recol. mem. fr. Thomae de Aquino » jussu Iohannis XXII anno 1319 jam habitus fuit. Quae quidem omnia Petrus Calo cognovit, nam narrat miraculum stellae super caput S. Thomae sistentis, quae visa fuit a puerulo « qui postea factus senex hoc inquisitoribus sub juramento deposuit » (infra n. 26). Ex quibus omnibus facile intelligitur, cur Calo Thomam jam ante sollemnem cannonizationem vocaverit sanctum et in suo Legendario sanctorum posuerit. Caeterum in secundo processu inquisitionis qui anno 1321 institutus fuit ante cannonizationem, Thomas fere continuo vocatur sanctus aut beatus[1]. — Alia ratio quae suadet Petrum Calo scripsisse hanc vitam regnante Iohanne XXII est haec : Vocat enim istum pontificem « patrem » (cfr. infra n. 13) qualis titulus solet usque in hodiernum diem dari pontificibus adhuc viventibus. — Accedit tertia ratio. Petrus Calo scribens suum Legendarium ostendit se legisse opera Bartholomaei Tridentini, Vincentii Bellovacensis, Iacobi a Voragine, sed nunquam vestigium vel minimum occurrit illum cognovisse sanctorale Bernardi Guidonis vel ejusdem aliam vitam S. Thomae. Et tamen haec opera fuerunt notissima ac edita anno 1329 vel 1325 (cfr. supra). Difficulter explicari potest hoc silentium, si Calo scripserit vitam S. Thomae post annum 1330, ut quidam contendunt. Nihil autem obstat, quominus auctor noster posteriores partes Legendarii composuerit post istud tempus; est enim opus illud

1. Bibl. Nat. Paris. cod. lat. 3113.

ingentis molis et laboris exigens operam plurium annorum. Primam partem vitae a Guillelmo de Tocco exaratam auctor noster forsan cognovit; affert enim plures narrationes fere eisdem verbis, quibus usus est Guillelmus de Tocco; sed nec hoc est certum, ut infra in fine dicetur. Quae cum ita sint, fas est concludere Petrum Calo scripsisse vitam S. Thomae inter annos 1318 et 1323 ac proinde numerandum esse inter historiographos antiquiores Angelici Doctoris. Ex prologo, quem Legendario suo praemittit, licet conspici finis ipsi propositus. Scribit enim : « Quoniam plerique sunt dies festi in sancta Ecclesia celebres et solemnes, et plurimi sanctorum illustrium discipulorum Christi vel apostolorum, martyrum, confessorum ac virginum, de quibus nihil omnino est in usitatis legendis, ideo in presenti opere intendo plenius ponere de premissis, sicut in libris monasteriorum vel ecclesiarum et diversis historiis potui perfectius invenire, nil de sententiis abbrevians vel detruncans preter prologos et superfluitatem verborum. Et ut ordo ille qui est congruentior teneatur, qui in breviario et missali nostri ordinis Fratrum Predicatorum habetur, primo agam de diebus solemnibus qui ad officium de tempore pertinent, secundo de sanctis, ponens singulorum passiones et vitas diebus suis, quibus habentur ad laudem, sicut eos potui reperire; alios in fine omnium ponam quorum dies passionum vel obitus non potui invenire. Opus istud apostolice sedis et omnis mei superioris subiciens examini et judicio corrigendum, in quo nihil intendo asserere, nisi quod sancta tenet Ecclesia. Alia omnia recito relinquens judicio predictorum et lectorum[1]. »

Quatuor codices manuscripti cognoscuntur in quibus continetur Legendarium Petri Calo. Primus habebatur Bononiae. Leander Alberti[2] dicit : « Orno questa città (Chioggia) Pietro Calo, dell' ordine dei Predicatori, che scrisse molto minutamente in due grandissime volumi le vite dei santi come chia-

1. Cfr. Poncelet, l. c., p. 32-33; Berardelli, l. c., p. 85 seq.
2. Descrittione della Italia et Venezia 1553, fol. 464.

ramente se vede nella libreria di S. Domenico di Bologna, » sed iste codex jam a longo tempore deperditus est[1].

Alterum exemplar Legendarii habetur Romae in Bibliotheca Vaticana (Vat. Barber lat. 713). Scriptum est in pergamena quantitatis 0,315×0,225 m., atque certe finitum fuit ante annum 1340. In initio enim istius codicis scriptum est : « Hic codex olim erat in bonis Matthei cardinalis de Ursinis de monte Iordani qui obiit anno 1343. » Iuxta plures[2] Cardinalis de Ursinis jam mortuus est die 18 Aug. 1340. In hoc codice fol. 336-350 invenitur vita S. Thomae. Variantes lectiones collatas cum codice Venetiano infra notabimus.

Tertium exemplar habetur in Bibliotheca Marciana Venetiis sub signo IX 15-20. Constat sex voluminibus in pergamena scriptis saec. XIV[3]. Tum G. Monticolo[4] tum Poncelet[5] merito putat exemplar Venetianum esse independens ab exemplari Romano.

Infra prima vice typis mandata invenitur vita S. Thomae ex codice Venetiano transcripta et cum codice Romano collata.

Quartum exemplar Legendarii invenitur Eboraci in Anglia (York)[6], sed est mutilatum neque continet vitam S. Thomae[7].

Legendarium Petri Calo jam a Petro de Natalibus in praefatione ad suum opus cui titulus : « Catalogus sanctorum et gestorum eorum ex diversis et multis voluminibus collectus » affertur ac laudatur. De illo loquuntur etiam Daudulus ac Laurentius de Monacis, S. Antoninus multique alii. Novissime autem Cl. A. Poncelet S. I. longam eruditamque elucubrationem edidit sub titulo : « Le Légendier de Pierre Calo[8]. »

1. Cfr. Poncelet, l. c., p. 44; Berardelli, l. c., p. 139.

2. Vidal, Benoît XII, 1334-1242, Lettres communes analysées d'après les registres dits d'Avignon et du Vatican, t. II, Paris, 1906, p. 452; C. Eubel Hierarchia catholica medii aevi, t. I, Münster, 1898, p. 37; apud Poncelet, l. c., p. 34.

3. Cfr. Ios. Valentinelli Bibliotheca manuscripta ad. S. Marci Venetiarum, t. 5, p. 297-299.

4. Nuovo Archivio Veneto, t. 9 (1895), p. 132-33, et t. III (1892), p. 122.

5. L. c., p. 47.

6. Cfr. Catalogi librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae, Oxford, 1697, t. II, I, p. 3.

7. Cfr. Poncelet, l. c., p. 47.

8. Analecta Bollandiana tom. XXIX, 1910, 1-116.

Edita vita S. Thomae a Petro Calo conscripta vitam a Guillelmo de Toeco exaratam denuo et integre juxta meliores codices manuscriptos hodie existentes edam; postea sequenti typis imprimam historiam de ortu, vita et obitu ac gestis S. Thomae a Bernardo Guidonis exaratam, quae quidem secundum aliquam partem typis mandata fuit a Bonino Mombritio, sed etiam novi editores Mombritii[1] candide fatentur, se nullum codicem manuscriptum potuisse opportuno tempore adire. Quapropter perspicuum est editionem integram operis Bernardi Guidonis juxta meliores codices exactam desiderari idque eo vel magis, quia plura additamenta nondum edita existunt. Quae autem in sequentibus fasciculis imprimenda sint, indicabo postea.

In praesenti fasciculo paucae notae criticae additae sunt, satius enim duxi, postea editis aliis codicibus manuscriptis illas adicere, quia tunc singula loca facilius comparari possunt inter se.

Prümmer.

Scribebam Friburgi Helvetiorum die 6 Ian. 1911.

1. Boninus Monbritius Sanctuarium seu vitae sanctorum, Parisiis, 1910, II, 743. Novam hanc editionem curaverunt duo monachi Solesmenses.

VITA S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

PETRO CALO

Nunc primum edita in lucem juxta codices manuscriptos (Bibl. Marcianae, IX, 17, fol. 68-77. Venetiis et Bibl. Vatic. Barber. lat. 713 fol. 336-350)

De nomine[1]. Thomas interpetatur abyssus vel geminus, vel dicitur thomas a thomos, quod est divisio vel sectio, vel thomas dicitur quasi totus means. Fuit enim abyssus profunditate cognitionis, geminus caritate dilectionis vel duplicitate perfectionis sc. affectus et intellectus, divisus vel sectus ab omni feditate infectionis, totus means in deum assiduitate et aviditate contemplationis[2] devotionis.

De sancto Thoma de Aquino.

1. Thomas beatissimus de Aquino ex nobilibus parentibus Landulfo scilicet comite de aquino et theodora de neapoli carne ac mente ingenua in confinibus campanie et regni sicilie extitit oriundus. Duos quoque fratres habuit Landulfum et Raynaldum viros strenuos et duas sorores vite sanctitate preditas, quos eterna vita requiesque suscepit, sicut sibi fuit spiritualiter revelatum[3]. Cum

1. Cod. Vat. omittit hoc verbum.
2. C. Vat. : contemplacionis et devocionis.
3. S. Thomas videtur habuisse tres sorores et duos fratres. Una soror moritur fulgure percussa, quando Thomas adhuc fuit puerulus (Cfr. Tocco, c. 2). Duae aliae sorores frequenter visitabant eum in carcere detentum. Altera facta est abbatissa in monasterio Capuano S. Mariae (cfr. infra, n. 6). Tertia nupsit comiti Rogerio Marsico et petiit ab abbate Fossae novae manum dexteram sancti fratris sui defuncti (cfr. lect. sept. in appendice vitae S. Thomae ab Bern. Guidone conscriptae). Fuit praedita magnis virtutibus (cfr. infra n. 19). Fratres ejus prius in exercitu Friderici II militiam peregerunt et tunc temporis procurabant captivitatem Thomae. Postea autem videntur a Friderico II defecisse et pro defensione Ecclesiae exilium aliaque tormenta sustinuisse (cfr. infra, n. 19). Iuxta Quétif et Echard (Scriptores ord. praed. I, 271) S. Thomas habuit quattuor sorores. « Mariam dominam Marani in Aprutio, Theodoram Rogerio Sanseverinati Marsicensi comiti nuptam, tertiam comitis Fundensis conjugem et quartam sanctimonialem monasterii S. Mariae Capuae abbatissam ». Si istis ad numeretur illa soror, quae infans percutitur fulgure, essent quinque sorores. Haec sententia videtur parum fundata in factis historicis.

igitur eum mater gestaret in utero et in castro suo rocha sica maneret, quidam vir sanctitate et fama preclarus, qui ibi prope heremiticam vitam diu in monte duxerat, divino ductus spiritu venit ad eam eique congratulans ait : Letare vere o domina ; filium enim paries, qui vocabitur thomas, in quo profecto erit abyssus sapientie plenioris. Hunc siquidem filium tu et pater eius in monasterio sancti benedicti de monte cassino ponere disponetis, sperantes ut ibidem in abbatem sublimatus domui vestre cedat ad profectum et ad gloriam temporalem. Sed prorsus non(!) est consilium contra dispositionem divinam. Deus enim de celo prospiciens, mundum spirituali lumine indigere, ipsum in predicatorum ordinem intrare disposuit, ubi divino lumine illustratus, plus omnibus utilior pre suis consortibus apparebit. Tante enim erit claritatis in sciencia et in vita, quod suo tempore non poterit sibi similis inveniri. Cui humilis ac prudens mater respondit : Fiat voluntas Domini, cui resistere nemo potest. Hoc autem postea rei probavit eventus.

2. Natus autem et spirituali fonte natus traditus est nutrici. Que cum matrem pueri ad balneum cum honesta societate fuisset secuta et prope balneum puerum deportasset, in manu eius dextra cedulam repperit involutam. Quam cum admirans de manu illius vellet extrahere, puer eiulans amarissime flere cepit. Cui nutrix compaciens destitit et ipsam cartulam in manu tenentem lavare cepit, tacita cogitans hoc non sine misterio accidisse. Et egrediens de balneo cum puero intuita est eum, cedulam adhuc in manu strictam tenentem, quam sibi tradere recusabat. Tunc stupens matri, quod acciderat, nunciavit. Que gaudens et stupens puerum in brachiis accepit, et blandimentis, quibus poterat ipsum alliciens cedulam de manu extorsit, in qua repperit scriptum exordium nostre salutis : Ave Maria etc. Et merito, ut manus illius dextera contineret salutacionem angelicam, per quam deus sicut per calamum mundo multa salutifera propinavit. Volenti autem reponere cedulam puer eiulans manum porigebat insinuans ipsam omnino velle. Quam cum mater sibi compaciens tradidisset, ille eam letanter suscipiens in ore posuit et eam quantocius deglutivit. Et ex tunc inolevit ei consuetudo, ut quandocunque ploraret, non desistebat a fletu, donec ei aliqua cedula traderetur, clare insinuans, quod futurus erat armarium scripturarum. Oblatus est ecechieli liber, ut ipsum comederet; iohanni quoque liber, ut similiter devoraret, thome

vero ut spiritu intelligencie repleretur, sicut alteri ieremie, qui incarnationis christi misterium luculenter erat et profundissime disserturus[1].

3. Ceterum cum pater eius curiosius inquireret, quomodo possit scire qua sorte vite victurus esset quilibet filiorum, quidam peritus respondit : Quando puer infra biennium flet irremediabiliter, ad cuius rei aspectum subito consolatur, circa rem illam versabitur animus eius. Igitur cum sanctus puer in ulnis se baiulantis fleret amare, nec quarumcunque rerum aspectu vel auditu verborum posset aliqualiter consolari, apparuit quidam librum ferens in manibus. Quo viso statim puer dei omisso fletu visus est prosilire velle de brachiis sustentantis, intento aspectu et leta facie librum tenens. Quod astantes admirati uno ore sentenciam protulerunt : Hic infantulus archa sapiencie est futurus. Porro cum devota domina mater eius ad vicinam capellam suo palacio auditura missam cum nutrice pueri et ancillis aliis processisset, dimisso in lecto puero dormiente, illis absentibus puer evigilans rependo pocius quam eundo venit ad archam quandam carentem operculo, in qua plures quaterni erant et alia scriptura multa. Que omnia puer dispergens per cameram intendendo per singula incumbebat. Que ut mater rediens cum aliis aspexerunt admirate et attonite, quid deus facturus esset de infantulo cogitabant, sed quod eum sapientissimum futurum hoc suo presagio prophetarent. Propter ista presagia, et quia mos erat nobilium degentium in regione eadem, cum esset quinque annorum pater suus cum honesta societate misit illum ad monasterium montis cassini, ut samuel ad hely, ibidem moribus et sciencia imbuendum. Traditus ergo cuidam magistro primo omnium, ut alter iosias cepit inquirere dominum deum suum, anxie et frequenter magistrum interrogans, quid est deus; et cotidie, que a magistro dicebantur, memorie commendabat. Consorcia puerorum insolencium evitabat innocuus[2] et consorcia dissoluta maturus; ingenti studio intendebat; necnon et aliqua hora diei et noctis

1. Est allusio ad textum Ezechielis III, 1-3 : « Fili hominis... comede volumen istud et vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo... et comedi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce. » Cfr. Apocal. X, 10 : « Et accepi librum de manu Angeli et devoravi illum : et erat in ore meo tamquam mel dulce. »

2. Cod. Vat. : consorcia puerorum insolencium evitabat jocis et consorcia dissoluta; maturus in gestu studio intendebat.

oracioni vacabat manens taciturnus et quietus. Que cum matri refferentur ad gaudium, mirabatur de puero conferens in corde suo et sperans impleri ea que dicta fuerant in promisso.

4. Cernens itaque abbas monasterii puerum mira ingenii perspicacitate eminere[1] et morum honestate pollere, misit ei patri suo dicens, talem puerum non debere in penetralibus latitare, sed neapolim, ubi vigebat studium, mitti, ut sapientie lumine illustratus emittere posset postea eloquia sapientie salutaris. Quo audito misit pater filium neapolim, ut esset gramatica, dyalectica et rethorica eruditus adprime. Nam cum martinum preceptorem in gramatica in brevi excederet, traditus est magistro petro ybernico, qui in logicalibus et naturalibus eum instruxit. Intantum autem puer ingeniosus profecit, quod lectiones, quas a magistro suo audierat, luculencius et subtilius aliis repetendo discurreret. Cum autem fama eius per scolas crebesceret, intelligens puer dei per spiritum, non esse tutum cum scorpionibus habitare, siciens eciam sapientie fontem et allectus sermonibus, quos in domo fratrum predicatorum audierat, domino cooperante et fratre iohanne de sancto iuliano tunc in neapoli existente priore ei persuadente, predicatorum ordinem devotissime est ingressus, cum esset annorum[2] tredecim, invito patre, qui eius felicibus actibus invidebat. Porro homines sunt mirati, quod tam nobilis puer

1. Cod. Vat. : vigere.

2. Probabilius videtur Thomam ingressum esse ordinem Praedicatorum anno 13 exeunte vitae suae. Etenim Bernardus Guidonis (Cod. Vat. 3847) scribit : « Ordinem igitur predicatorum infra annos pubertatis existens, sicut in litera cannonizationis ejusdem tempus describitur, (thomas) ingreditur. » Ex jure canonico autem pubertas puerorum praesumitur advenire anno decimo quarto aetatis. Unde testimonium Ptolomaei de Lucca dicentis : « Cum autem (Thomas) jam esset XVI annorum, habitum fratrum Praedicatorum assumsit et in eo... vixit XXXII annis vel circa. » (Hist. eccl., XXII, 20) interpretandum est de secunda et definitiva assumptione habitus post captivitatem. Etiam Henricus de Herfordia (Chronicon ad ann. 1274, ed. Potthast, p. 204) narrat Thomam adhuc puerum intrasse ordinem. Nullus autem ex veteribus biographis ita accurate aetatem Thomae ingredientis ordinem Praedicatorum indicat, quam noster Calo.

Bernardus Guidonis et post ipsum S. Antoninus tit. 23, c. 7, § 2 et de Groot Het Leven van d. h. Thomas p. 30 (ed. 2) narrat, S. Thomam recepisse habitum religiosum de manibus Thomae Agni de Lentino † 1277. En verba Bern. Guidonis juxta codicem Vatican. 3847. « Cui habitum ordinis contulit et induit vir per omnia laudabilis et devotus fr. Thomas Agni de Lentino tunc prior neapolitanus, qui fuit postmodum archiepiscopus cusantinus et inde translatus factus fuit sancte civitatis jherusalem patriarcha. » Ergo inter Bernardum Guidonis et Petrum Calo, cui favere videtur de Tocco est contradictio, quam nunc commemorasse sufficiat.

relicta mundi gloria paupertatis ordinem est ingressus. Nunciata sunt ista matri. Illa autem merens simul et gaudens, assumpta comitiva honesta, venit neapolim cupiens de visione filii consolari. Dolebat namque, quia privabatur temporali solacio sue prolis, sed consolabatur, quia videbatur impleri, quod de eo fuerat prophetatum. Fratres igitur illius intelligentes adventum et nescientes pium affectum, ac timentes ne talentum tantum sibi a deo traditum non sine magno damno per matris blandimenta amitterent, tamquam preciosum thesaurum sanctum puerum absconderunt. Et ne per astuciam vel violenciam tolleretur ab eis, ipsum romam[1] miserunt associatum decenter. Quo audito, mater accensa desiderio ampliori romam adiit, et ad conventum sancte sabine, ubi erat filius, proficiscens, rogabat fratres, ut sibi ostenderent filium tam dilectum, asserens quod eum non induceret ad egressum, sed eum pocius ad bonum propositum hortaretur. At fratres de thesauro zelotipi ac sibi increduli disposuerunt ipsum parisius destinare. Sed hoc matrem non latuit. Quare conturbata, commota sint quippe viscera eius super[2], misit nuncios filiis suis, qui sub imperatore Friderico, ut scribit petrus de vinena[3], propinquo suo in castro aque pendentis[4] militabant, qui dicerent : Frater vester thomas raptus a fratribus predicatoribus parisius ducitur, proh dolor! non eum amplius sum visura; ipsum siquidem fratres nec ad modicum mihi ostenderunt[5] voluerunt, gaudium cordis mei! Succurrite filii, filium meum rapite matri, misere presentate. Quod intelligentes dolore percussi sunt. Et accepta ab imperatore licencia, profecti per devia miserunt observatores ad vias, ut ubicunque eum invenirent, caperent. Diligenter igitur inquirentes invenerunt puerum cum quattuor fratribus juxta puteum, lassum ex itinere quiescentem. Quem apprehendentes habitum ei auferre conati sunt. At ille

1. De Tocco narrat : « Fratres... praedictum juvenem (Thomam) Terracenam, inde Anagniam et usque Romam ad conventum S. Sabinae cum convenienti Fratrum societate miserunt. » Ex quibus forsan licet concludere Thomam in istis locis aliqualem moram duxisse.

2. *Cod. Vat. : Super filio.*

3. *Cod. Vat. : de Vinea.*

4. Omnes biographi Thomae animadvertunt exercitum imperatoris Friderici II tunc temporis in Etruria extitisse. Porro duabus vicibus iste exercitus in iis locis degebat sc. a. 1240 et a. 1243. Non ita constat, utrum prima an secunda vice Thomas captus fuerit. Caeterum de hac quaestione sermo redibit in alio loco.

5. *Cod. Vat. recte habet : ostendere.*

vociferans et lacrimas uberrimas fundens vestem illam innocencie conservabat. — O quantus dolor invasit fratres, cum in tam brevi tempore se privatos cernerent tanto thesauro!

5. Mittitur ergo filius dolens matri merenti. At illa videns filium prae gaudio flere cepit. Porro puer dei renuens consolari profundebatur inremediabilibus lacrimis, fiebantque illi lacrime sue panes die ac nocte. Timens igitur mater, ne eum perderet, quem cum labore et cordis anxietate inquisierat, in castro suo quod dicitur roccha sicca, eum diligenter custodiri mandavit. Interim dum hec agerentur, fratres predicatores querimoniam coram papa Innocencio[1] proposuerunt durissimam, quia spoliati erant tanto thesauro, fredericho imperatore dissimulante et consentiente. Summus vero pontifex est turbatus eo quod talis excessus commissus est, eo in partibus illis degente. Et mittens nuntios ad imperatorem mandavit, quod de raptoribus faceret iustitiam congruentem. Quod statim imperator non distulit adimplere, sed[2] missis militibus, fratres sancti thome capi fecit et suo conspectui presentari et diutine custodie tradidit; misit quoque fratribus, ut si vellent de eis iusticiam petere, accederent confidenter ad ipsum. Fratres autem verentes in tales viros exercere vindictam, et sperantes inviolatum recuperare thesaurum, ulterius non processerunt in causa.

6. Itaque fratres eius venientes ad castrum predictum et intelligentes constanciam pueri admirandam, eo quod habitum non deposuisset, cogitaverunt sagaciter propositum pueri immutare et miserunt sorores, ut ei[3] assisterent et blandimentis cor iuvenis immutarent. Ipse autem eas ad se convertit, cum sacras litteras

1. Innocentius IV a. 1243 mense Iunii electus et coronatus est Summus Pontifex. Ergo captivitas Thomae jam per satis longum tempus durasse videtur, antequam Fratres conquesti sunt ante tribunal Pontificis de injuria illata. Quod quidem manifeste eruitur, si fas est credere Thomae Cantimpratano (Bonum univers. de apibus l. 1, c. 20, ed. Douai 1627, p. 82) narranti Thomam prius gravi inedia, frigore et penuria afflictum esse, deinde mulieres esse inclusas in carcere eius. Tunc additur : « Qui (i. e. Thomas) fortius quam prius, spretis illecebris sic annis duobus vel tribus in carcere perduravit. Romam ergo adiens Magister ordinis Praedicatorum piae et beatae memoriae Ioannes super raptu et incarceratione fratris imperatori Friderico conquestus est. Qui re examinata et inventa, ut dictum est, praefatos nobiles quaesivit ad poenam. Nec ullo modo mortis sententiam evasissent, si dictus Magister in quaerimonia perstitisset; sed veritus est judicium sanguinis et imperatoris animum mitigavit. Graviter enim audita tanta inhumanitate fratrum in fratrem Caesar commotus erat. »

2. *Cod. Vat. : scilicet.*

3. *Cod. Vat. : eis.*

docuit et ibi detentus totam bibliam legit. Cum haberet breviarium ad dicendum officium, bibliam et sentencias, et textum senteuciarum memorie commendavit, et fallacias aristotelis compillavit, et sorores suas de his omnihus informavit[1]. Convertit igitur sororem suam maiorem, adeo ut mundum relinqueret et ad claustrum monialium sancte marie de capua quasi subito se transferret. Ubi cum pervenisset ad apicem religionis in brevi, ibidem facta est abbatissa. Fratres autem sui non destiterunt eum vehementer angere blandiciis atque minis. Sed cum immobilis permaneret, eum habitu exuentes et ipsum lacerantes, putabant sanctum iuvenem pre verecundia devicisse. Ille autem in domino confortatus, laceratum habitum rursus induit, et quasi christum in ipso habitu induisset, semicinciis, que residua fuerant se involvit, qui habitum integrum tenebat in animo.

7. Ad hoc puellam meretricem comptam ornatu impudico sancto iuveni ingesserunt[2], que eum modis omnibus molestabat, aspectibus, verbis et tactibus impudicis. At ille cum motus carnis sentiret, tristis effectus de inflamacione, ac spirituali roboratus fervore, ticionem de igne excutiens, ipsam impudicam percussit fortiter, de camera expulit et clausit ostium post eam. Demum cum ticione illo signum salutis in angulo camere imprimens, se prostravit in terram et cum lacrimis orans dixit : Domine, quia non possum esse continens, nisi tu deus des, obsecro ineffabilem misericordiam tuam, ut integritatem mentis et corporis mihi digneris concedere, ut tibi mundo corde et corpore valeam deservire. Cumque finisset orationem, sopor irruit super eum. Et ecce duo angeli sibi astiterunt

1. Cod. Vat. hoc modo habet : Ipse autem eas ad se convertit; et cum haberet breviarium ad dicendum officium, bibliam et sentencias sacras literas docuit, et ibi detentus totam bibliam legit, et textum senteuciarum memorie commendavit, et fallacias aristotelis compilavit et sorores suas de his omnibus informavit.

2. Quae hic sub n. 6 et 7 narrantur, tum apud Guillelmum de Tocco, tum apud Bernardum Guidonis, tum apud Thomam Cantimpratanum inveniuntur. Ergo non est cur illa in dubium vocentur, sicuti fecit Endres, l. c., 778 seqq. qui opinatur haud esse verisimile duos fratres germanos Landulphum et Raynaldum, qui vocantur viri probitatis non modicae, atque mortui ostenduntur S. Thomae in purgatorio vel in gloria, tales ac tantos viros dico, tam nefaria tentamenta adhibuisse ad juvenem Thomam seducendum. Sed hoc argumentum est parvi valoris. Etenim Landulphus et Raynaldus militantes in exercitu Frederici II vitam ducebant, sicuti quamplurimi milites ejus temporis, et ipse Fridericus II qui gregem pellicum Saracenarum aluit publice. Postquam autem defecerunt ab imperatore Frederico II, conversi sunt atque persecutiones multas pro fide tuenda ac pro fidelitate erga Summum Pontificem passi sunt. Quapropter pie mortui sunt ac merito vocantur viri probitatis.

dicentes; exauditam esse suam orationem et cingulo quod secum detulerant, eum cinxerunt dicentes : Cingimus te cingulo perpetue virginitatis, quod nullatenus de cetero dissolvetur; et quod possideri non potest merito humane virtutis, tibi conceditur ex dono largitatis divine. Strinxerunt autem eum tam fortiter, ut pre dolore clamaret. Cumque qui prope aderant, excitati fuissent, ad illius cameram currentes petebant, quid sibi acciderat, propter quod tam vehementer clamasset. At ille secretum celans nemini voluit indicare. Sed in hora mortis ad honorem dei et edifficationem proximi socio suo fratri raynaldo narravit et addidit, quod ex tunc non sensit nec minimum carnis motum. Itaque ex tunc mulierum aspectus et colloquia ita vitabat, ut soleret[1] sibi horum aspectibus precavere, nisi necessitas vel utilis occasio coegisset.

8. Videns igitur mater iuvenis sancti constanciam, metuens et[2] divine resistere voluntati, permisit ut fratres liberius ingrederentur ad eum, et ei spiritualia obsequia exhiberent, licet ipsum sub custodia detineret. Frater autem ioannes predictus occulte ei tunicas et alia necessaria pro vestitu secum deferens, ut decentem habitum haberet, pro modulo procurabat. Denique[3] cum fere per duos annos sic detentus maneret, visum est matri bonum, ipsum libere abire permittere[4]. Videbat enim impleri, quod de eo fuerat prophetatum, ut oporteret refici[5] magnum ecclesie luminare. Et ideo misit pro fratribus, qui eum susciperent, cum de fenestra per funem fuisset submissus. Sicque factum est, et cum eo fratres neapolim sunt profecti, et a scientibus est repertum, ipsum tantum in carcere profecisse, ac si mansisset in studio generali.

1. *Cod. Vat. : solet.*
2. *Cod. Vat. : etiam.*
3. *Cod. Vat. : Deinde.*
4. Captivitas S. Thomae non eodem modo a diversis biographis enarratur. Gerardus de Fracheto (vit. fratr. p. IV, c. 17, § 3, ed. Reichert, p. 201) dicit : « Ducentes autem eum ad castrum remotum ibique tenentes eum quasi per annum. » Ptolomaeus Lucensis (Hist. eccl., l. 22, c. 20, ed. Muratori Rer. ital. script., l. 9, 1151) : « Ipsum (Thomam) in Campaniam misit ad quoddam castrum ipsorum vocatum S. Joannis, ubi longo tempore vexatus est. » Thomas Cantimpratanus (Bonum univ. de apibus l. 1, c. 20, ed. Douai, p. 81) dicit captivitatem durasse duobus vel tribus annis. Guillelmus de Tocco (Cod. Flor., I, XII, 27) narrat Thomam esse fere per duos annos custoditum in carcere. Idem dicit Bernardus Guidonis (Cod. Vat. 3847) : « Fuit autem ferme biennio in tali conclavi velut in carcere custoditus ». Ex quibus omnibus videtur sequi, ut captivitas circiter per biennium duraverit, ita ut Thomae fuerit fere XVI annorum quando restitutus fuit Ordini Praedicatorum. Alibi plura disseram de hac re.
5. *Cod. Vat. : ipsum effici.*

Cogitantes autem fratres, posse si maneret ibi, periculum imminere, licet iam fratres sui a persecutione cessassent, miserunt illum romam[1] ad capitulum generale, ut aliquo pro generali studio mitteretur. Magister autem iohannes theotonicus ipsum secum duxit parisius[2], deinde missus est coloniam, ubi frater albertus famosissimus tunc legebat. Quem audiens frater thomas gavisus est valde, quia hoc semper cupiebat[3], ut scilicet hominem inveniret, qui ei profunda scientie declararet. Et tunc[4] animum suum ad capiendam scientiam preparans[5] cepit in studio esse assiduus, in oratione devotus et mirabiliter taciturnus. Unde per multum tempus quasi mutus existens, sapientiam suam nulli de constudentibus ostendebat, quinimmo ipsum bovem mutum appellare solebant. Nam et in scholis pictagore et ypocratis cogebantur studentes se astringere sacramento, quod ante quinquennium non auderent de sciencia concertare. Et providencia divini consilii contigit, ut a lectione libri de divinis nominibus acciperet adeo loquendi et se manifestandi licenciam, cui deus concessurus erat sui nominis declarare doctrinam. Contingit enim doctorem prefatum librum dyonisii de divinis nominibus subtili expositione disserere, quod vir dei thomas audiebat avidissime et attente. Putans autem unus de constudentibus, propter ingenii grossiciem eum non loqui, ei compassus

1. Est certe error, cum tunc temporis non habitum sit Romae capitulum generale. Idem error invenitur apud Guillelmum de Tocco, prout habetur in Act. SS. Bolland. Mart. I, 661). Sed notatu dignum est, quod Codex a Bollandistis impressioni datus valde mendosus est. Habentur codices meliores tum in British Museum (Cod. Burn. 349) tum Florentiae (supr. cit.), in quibus iste error non invenitur sed dicitur : « Romam ad magistrum ordinis ». Bernardus Guidonis recte scribit : « De neapoli romam mittitur (thomas), quem inde venerabilis pater frater Johannes theutonicus magister ordinis et pater duxit parisius ».

2. Ita habent etiam Ptolomaeus de Lucca, Guillelmus de Tocco et Bernardus Guidonis qui insuper addunt : « In coloniam, ubi sub fr. Alberto Magistro in Theologia ejusdem ordinis florebat studium generale ». Sane difficulter haec conciliari possunt cum vita B. Alberti aliisque certis factis historicis. Etenim constat, studium generale coloniense non fuisse erectum ante annum 1248. — Duae explicationes excogitatae fuere : 1ª Thomas remansit Parisiis usque ad a. 1248 et deinde cum B. Alberto profectus est Coloniam. Ita Endres, l. c., p. 304. 2ª Thomas venit a. 1245 Coloniam, ubi brevem moram duxit, et deinde cum B. Alberto rediit Parisios. Ita de Groot (Het. Leven van d. h. Thomas van Aquino ed. 2 p. 46 not. 2) qui tamen in errorem ductus propter mendosum textum Bollandianum conatur explicare de Tocco modo nimis contorto. Eadem explicatio habetur apud Quétif et Echard, l. c., 273. Nostram opinionem hac de re proferemus, quando typis mandabimus vitam S. Thomae a Bernardo Guidonis conscriptam juxta codicem Vaticanum, quem ipse Bernardus Guidonis propria manu subsignavit.

3. *Cod. Vat. : cupierat.*

4. *Cod. Vat. : ut.*

5. *Cod. Vat. : praepararet.*

se obtulit ad repetendam ei lectionem. Servus autem dei oblationem humiliter suscipiens gratias egit et se sue repetitioni subdidit, ac ipsum audiebat attente. Accidit autem fratrem illum non recte repetere, nec secundum doctrinam a magistro alberto traditam edocere. Tunc vir dei quasi a deo accepta licencia, loqui cepit : karissime, inquit, frater, non sic magister noster edocuit, sed aliter intelligendum exposuit. Et quomodo, inquit frater ille? Edissere, ore te, si tu melius memorie comendasti. Tunc sancto doctus spiritu legere subtilius et luculencius cepit, quam magister docuerat. Studens igitur ille stupens et admirans viri dei scienciam, iudicavit iniquum fore, si propter taciturnitatem viri dei scienciam occultaret. Unde magistro studencium, quod contingerat[1], ennaravit. Qui incredulus certificari volens per auditum et propter[2] parietem latitans, sicut sibi relatum fuerat, manifestissime intellexit. Itaque non se capiens pre gaudio ad magistrum albertum accessit : nova inquit, mirabilia vobis annuncio. Nam quem dicimus bovem mutum, audivi lectionem de divinis nominibus clarissime disserentem. Magister autem letatus est hoc audito. Quem contingit[3] quaestionem difficilem determinare, quam vir dei memorie comendans redegit in scriptis. Cumque eo cellam exeunte, carta in terram cadens iuxta ostium celle, eo non advertente, maneret, collateralis eius hanc videns sustulit et perlegit et stupuit, eo quod brevius, subtilius, cum rationibus etiam in contrarium adductis magis efficacibus in cedula posuisset; repertam igitur cedulam magistro obtulit. Quam ille intuens summe approbavit, et magistro studencium indixit, ut questionem difficilem ei imponeret sustinendam. Quod ille recusabat ex humilitate, nil senciens de se magnum. Tandem sicut verus obediens ad respondendum se non segniter preparavit et die disputationis proposite questioni simul et argumentis per trimembrem distinctionem pulcerimam respondit adeo luculenter et plene, quod nullam determinationem aliam facere oportebat; propter quod frater albertus : fili, inquit, non tenes locum respondentis, sed determinantis. Cui cum omni reverencia respondit : Magister non video, quod aliter possum respondere ad questionem. Tunc magister ait : Modo respondeas ad

1. *Cod. Vat. recte habet : contigerat.*
2. *Cod. Vat. : post.*
3. *Cod. Vat. recte habet : contigit.*

questionem per tuam distinctionem; et fecit ei quatuor argumenta tam difficilia, ut omnino se ei crederet conclusisse. Ad que, cum frater thomas sufficientissime respondisset, fertur magistrum albertum dixisse per spiritum prophetie : Nos vocamus istum bovem mutum, sed adhuc talem dabit in doctrina mugitum, quod in toto mundo sonabit. Quod est veraciter adimpletum, sicut liquidius cunctis claret. Ex tunc etiam omnes difficiles actus scholasticos committebat eidem. Ex quibus tamen nunquam in superbiam erexit animum, sed simplicitatem, quam pridem tenuit, non reliquit. Post hoc cum magister albertus librum ethicorum cum questionibus legeret, frater thomas magistri lecturam curiose collegit et redegit in scriptis : opus stilo disertum, subtilitate profundum. Sic a fonte tanti doctoris haurire potuit, qui in sciencia omnem hominem sui temporis precedebat.

9. Post hoc cum frater Thomas sic mirabiliter in sciencia et in vita proficeret, et magistro alberto ex commissione reverendi patris magistri[1] ioannis vercellensis incumberet, ut parisiensi studio de sufficiente bachallario provideret, dicti sui discipuli previdens velocem in doctrina profectum, persuasit per litteras predicto magistro ordinis, ut de fratre thoma pro bachallario predicto studio provideret, describens eius sufficientiam in sciencia et in vita. Quare cum non statim duceret acceptandum adhuc sibi in graciis predictis ignotum, suasu tamen domini fratris Ugonis, primi cardinalis ipsius ordinis, cui erat de ipso per litteras intimatum, providit de ipso, mandans ei ut statim[2] parisius se conferret et ad legendum senten-

1. Joannes Vercellensis nondum fuit Magister Ordinis tunc temporis. Electus enim fuit anno 1264. Ergo dicendum est aut loco Vercellensis legendum esse Theutonicum aut Johanni Vercellensi, qui multum meruit de Universitate Parisiensi commissam fuisse a Magistro Generali nominationem bachallarii. Probabilius videtur errorem commissum esse a copista. Guillelmus de Tocco, qui narrat idem factum (apud Bollandistas, l. c., n. 15) his utitur verbis : « Post haec autem cum Frater Thomas sic mirabiliter in scientia et vita proficeret et Magistro Alberto ex commissione Reverendi Patris Fratris Joannis Magistri Ordinis incumberet. » Sed notatu dignum est in melioribus codicibus i. e. neque in Codice Burn. (British. Mus.) neque in Codice Florentino inveniri nomen : Joannis. Etiam codices exhibentes biographiam a Bernardo Guidonis exaratam e. gr. Vaticanus, Charleville aliique, nihil habent de nomine Magistri Ordinis. Codex Vat. dicit simpliciter : « Magister Ordinis de ipso sancto thoma providit parisiensi studio pro bacchalarii officio. » — Quae hic et in numeris sequentibus 10, 11, 12 habentur, ita conveniunt cum modo narrandi a Tocco (l. c., n. 15-22) adhibito, ut isti duo biographi dicendi sint aut hausisse ex eodem fonte aut alter alterum exscripsisse. (Cfr. etiam infra, n° 20 seqq.)

2. Probabilius hoc accidit anno 1252. Nam Bernardus Guidonis scribit in « cronica brevis de progressu temporis s. thome de acquino. » (Cod. Vat. 3847) : « Hic (thomas)

tias se pararet. Qui pre humilitate semper humilia de se senciens hanc promotionem voluisset renuere, nisi opportuisset magistri ordinis litteris obedire. Factus itaque bachallarius, cum cepisset legendo effundere, que diliberaverat silencio occultare, tantam ei deus infundit scienciam, et in labiis eius tanta est divinitus effusa doctrine gracia, ut omnes etiam magistros videretur excedere, et claritate doctrine, et seculares plus ceteris ad amorem sciencie provocare, novos movens articulos, novum modum et clarum determinandi inveniens, novas adducens in determinationibus rationes, non dubitans novas opiniones docere et scribere, quas deus dignatus est ei noviter inspirare. Unde et tunc in principio sui magisterii scripsit super quatuor libros sententiarum, opus dissertum stilo et subtilitate profundum, aptum intelligencie et novis articulis dilatatum, utens humanis scienciis ut ancillis, et in obsequium fidei trahens philosophorum eloquia tamquam ab injustis possessoribus vendicata.

10. Post decursum studii fructuose completum, cum tempus instaret, quo bachallarii theologie erant cancellario presentandi, mandavit cancellarius priori fratrum predicatorum parisiensi, ut ex parte sua mandaret fratri thome, ut ad recipiendum magisterium in theologia, non obstante consuetudine, quod secundum morem erant sibi alii preferendi, sine contradictione aliqua se pararet. Qui humiliter se excusans propter defectum sciencie et etatis, erat enim tunc etatis incipiens quasi annorum triginta[1]. Sed precepto obediencie

postquam ex tunc redditus est ordini corpore, cum semper corde et animo a prima die ingressus perseveraverat in eodem, deditus studio tam philosophie quam sacre theologie annis circiter XI jam elapsis, admirabilis in sciencia factus est bacallarius in theologia parisius etatis sue anno XXVII circa annum domini MCCLII paulo plus minusve. »

1. Hoc loco satis clare apparet Petrum Calo neque Bernardum Guidonis neque Guillelmum de Toco exscripsisse, cum rectius et perfectius quam illi res factas narret. En verba Guillelmi de Tocco : « Qui humiliter se excusans propter defectum scientiae et aetatis, obtinere quod excusaretur non potuit ». Bernardus autem Guidonis narrat : « Hic quoque (Thomas) cum sententias parisius sic bachallarius laudabiliter valde perlegisset, assumptus est ibidem ad magisterium sacre theologie etatis sue anno fere XXXI inchoante sub anno domini MCCLIV » (Cod. Vat. 3847 Cronica brevis...). Bernardus Guidonis certo erravit ita narrans. Etenim S. Thomas factus est magister in s. Theologia anno 1256, ut licet concludi ex litteris Alexandri IV ad Haimericum cancellarium Parisiensem. Denifle (Chartular. Univ. Paris. I. n. 270) recte dicit : « Circa a. 1251-1252 (Thomas) venit Parisios ad Sententias legendas, an. 1256 fit magister in theologia ». Insuper si S. Thomas aetatis suæ anno XXXI factus esset magister anno Domini MCCLIV, natus esset anno 1223, quod videtur esse erronum. Noster Calo verosimilius dicit, anno XXX ineunte aetatis suae S. Thomam gradum magisterii obtinuisse. Ex quibus sequitur, ut Thomae nativitas ponenda sit anno 1227.

est coactus et sic ex humilitate et obediencia adquisivit meritum copiosum. Qui humiliter suscipiens onus impositum ad locum orationis se contulit, et prostratus cum lacrimis oravit deum, ut ad suscipiendum et exequendum digne magisterium graciam et scienciam dignaretur infundere. Et incipiens psalmum : Salvum me fac deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminute sunt veritates a filiis hominum, diu cum lacrimis in oratione permansit. Et ecce quidam antiquus eiusdem ordinis admodum reverendus affuit dicens ei : Frater thoma, cur deum cum lacrimis oras ita? Respondit : Quia impositum est michi onus magisterii subire, ad quod sciencia mea non sufficit, et quid proponam pro meo principio, non occurrerit(!). Cui ille : Exauditus es. Ne formides, suscipe[1] magisterii onus, quia deus tecum est, et pro tuo principio nihil aliud proponas, nisi hoc : Rigans montes de superioribus suis de fructu operum tuorum saciabitur terra. Quo dicto disparuit. Quod verbum non fuit solum thema proponendi principii, sed tocius sui studii sufficientiam indicavit, quia de his, que de montibus divine speculationis accepit, totam ecclesiam quasi agrum divini seminis complurium sapiencie pluviis saciavit[2]. Non[3] enim ullus eius operibus devotus inhesit qui non fuerit sapiencie et sciencie fructibus saciatus. Per eius enim doctrinam doctus quilibet redditur quasi celesti irrigatus ymbre doctior; et minus doctus qui fuerat, quasi celi pabulo saginatus. Etenim ut ymber de celo stillat super bonos et malos, et sol oritur super iustos et impios, sic eius doctrine eloquia bonos irrigant, ut fructificent; et malos admonent ut resipiscant, et viam, quam ymitari debeant, non ignorent. Et fulgur profusi luminis iustis lucet, ut gaudeant, et ab iniustis non trahitur[4], ut si aspicere non fastidiunt, resipiscant. Quos enim studiosos non docuit! Quos protervos non corripuit! Quos devios non direxit! Sic divina docuit, ut humana quantum fuit expediens ad salutem hominum pertractaret. Gemma gratissima expectatio prestolantis, quocumque se vertit, prudentissime intellexit. Sic contra gentilium perfidiam scripsit librum quatuor libros habentem, in quo ostendit, quid ex

1. *Cod. Vat. : suscipere.*
2. Cod. Vat. hoc modo textum tradit : « Sed tocius sui sufficiencie sufficiencia studii indicavit, qua de hiis... quasi agrum divini seminis complutum sapiencie pluvisi saciavit. »
3. *Cod. Vat. : neque.*
4. *Cod. Vat. : subtrahitur.*

proprio ingenio habuit, et quid raptu mentis in deum orationibus impetravit.

11. Post magisterium susceptum, cum cepisset disputare et legere, tanta multitudo scolarium eius scolas intrabat, ut vix eos caperet scolarum locus, quos tanti magistri doctrina traheret et ad proficiendi studium provocaret. Sub cuius doctrina[1] lucida floruerunt quamplures magistri tam religiosi quam seculares propter modum docendi compendiosum, apertum et facilem, qui pro eo quod fuit insolitus, simul cum sciencia creditur sibi fuisse divinitus inspiratus. Hic enim doctor venerabilis visus est quasi campum scolarium[2] scienciarum ingressus flosculos excerpisse de sentibus et plenam manum habere apostolicis cophinis fragmentorum sacre scripture, que deus mandavit apostolis ne perirent colligere et futuris doctoribus reponenda servare. Qui et de sacrorum doctorum ortis plenis frumento de utriusque testamenti excusso segetibus utiliora collegit in libris, et nulla scripture veritas sibi mansit abscondita, nec doctoris cuiusque scriptura inaccessibiliter involuta, de quo ut[3] sciretur quantum donum scientie huius doctoris lateret in corde, concessum est ei divinitus, ut manifestaret in opere multiplici scripturarum. Et preter magna volumina quasi fidei christiane in sanctis montibus posita fundamenta quibus antiquas elisit hereses, novas quasdam suo exortas tempore, divino spiritu revelante destruxit.

12. Et primo errorem averroys, qui dixit unum esse in omnibus intellectum, qui in tantum increverat in simplicium mentibus, ut requisitus quidam miles parisius, si vellet in suis ultimis de suis criminibus penitere, responderit : si anima sancti petri est salva, et ego salvabor. Quia si uno intellectu cognoscimus, uno vite exitu finiemur. Quem etiam errorem scolares garlandie communiter sequebantur, contra quem librum mirabilem edidit, in quo preter rationes fidei etiam per dicta aristotelis error ille evellitur a radice.

Secundo errorem gulielmi de sancto amore, sigerii et quorumdam ipsorum sequacium, qui dicebant, quod religiosi mendicantes non laborantes manibus non poterant in sola studii contemplacione salvari, consiliorum perfectioni et supererogate iustitie detrahen-

1. *Cod. Vat. omittit hoc verbum.*
2. *Cod. Vat. : secularium.*
3. *Cod. Vat. : non.*

tes[1] funditus, sola eos invidia stimulante, paupertatis[2] regionis suffodere fondamenta (!). Quorum volumen, cum domino pape clementi quarto fuisset allatum et per eum dicto magistro ordinis, ut responderet, oblatum, beatus frater thomas divino afflatus spiritu se fratrum orationibus recommendans perlegit et invocato sancto spiritu, qui falsa denudat dum revelat abscondita, libellum, qui incipit : « Ecce inimici tui sonuerunt, » etc., tam cito et taliter composuit, ut non humano ingenio eum visus sit edidisse, sed pocius in spiritu accepisse de dextera sedentis in trono, in quo cum omnia tela ostium nequissima penitus extinxisset, prefatus summus pontifex ipsum libellum approbans, et volumen contrarium ut nefarium damnans, ipsius auctores cum suis complicibus de cathedra magistratus deposuit, et expulsis de parisiensium studio omni dignitate privavit. Et quia consonum erat, quod invicto ecclesie pugili aliquis favor ad augmentum scolastice discipline consurgeret, qui ad studium animaret, pro predicto spectabili triumpho victorie, favente illustri rege francie sancto lodovico, ordo predicatorum habere meruit in sacra theologia parisius duas scolas, ut ex eo honor ordini consurgeret, unde predictus doctor ecclesie adversarios fidei scholastica disputatione vicisset.

Tertio errorem antiquum sed de novo surgentem eorum, qui se nominant fraticellos de paupere vita, ut etiam sub hoc humilitatis sophistico nomine simplicium corda seducant, quos captos pocius heretica pravitate fermentant, asserentes sub uno capite christo duas ecclesias, unam carnalium, super quam summus romanus pontifex presidet, sub quo per diversas provincias ipsam prelati eius auctoritate gubernant, quam christo copulatam in spiritu sancto sic pio[3] ore blasphemant, ut hac reprobata, aliam menciantur ecclesiam spiritualium, de[4] (qua se) esse asserunt inventores huius erroris pariter et sequaces. Qui dum dicuntur se duci spiritu libertatis, in omnem servitutem pravitatis heretice eodem spiritu precipitante labuntur, tertium statum mundi et novum testamentum frangentes[5]. Quorum errorem in suis scriptis in diversis locis elisit, ostendens post christi evangelium et testamentum nullum alium statum eccle-

1. *Cod. Vat. addit : volentes.*
2. Cod. Vat. melius habet : religionis.
3. *Cod. Vat. recte habet : impio.*
4. *Cod. Vat. : de qua esse.*
5. *Cod. Vat. recte habet : fingentes.*

sic debere succedere, sed hunc debere usque in finem seculi permanere. Unde in quodam monasterio petivit librum abbatis ioachim, unde sui erroris sumpserunt originem, et oblatum perlegit, et ubi erroneum aliquid repperit vel suspectum[1], cum linea subducta dampnavit. Contra quem errorem sanctissimus pater dominus ioannes papa XXII mirandam edidit[2] decretalem.

Quarto errorem illum antiquum grecorum scismaticorum in multis errancium sed signanter in hoc, quod romano pontifici obedire recusant, contra quos de mandato urbani pape specialem libellum edidit, in quo per doctores grecos ipsos convincit. Et omnes alios errores, qui possent consurgere, elisit, veritates illis contrarias docendo et scribendo.

13. Et quia frequenter contingit, quod dum intellectus superius subtilia contemplatur, affectus inferius a devocione remittitur, ideo die quolibet lectionem unam sibi de patrum collationibus legi faciebat. De quo interrogatus, cur aliquando speculationem dimitteret, respondit : Ego in hac lectione devocionem colligo, ex qua facilius in speculationem consurgo; in hoc beati dominici imitatus exemplum, qui ex dicto libro, cum legeret, magnum perfectionis apicem apprehendit. Unde creditur a doctoribus magnis nihil minus habuisse in gloria, qui in vite sanctitate nullus minus[3](!) habuit in doctrina, sicut fratri alberto de brixia, qui miraculis claruit in vita et post mortem, admiranti, quomodo potuit in tam brevi tempore, quo vixit, ad tantam scienciam et sanctitatem pervenire, vigilanti et oranti fuit aperta visione monstratum. Nam cum super hoc mirabili, deum, beatam virginem et beatum augustinum, ut ei gloriam beati thome ostenderent; frequencius cum lacrymis ante altare virginis exorasset, apparuerunt ei due reverende persone cum splendore mirabili et ornatu, quarum una mitram portabat in capite, alia erat in habitu ordinis fratrum predicatorum, que coronam portabat in capite auream lapidibus preciosis contextam, habens circa collum duas aureolas, argenteam et auream, et in pectore habebat magnum lapidem preciosum, qui illuminabat ecclesiam. Cappam vero gestabat insertam

1. *Cod. Vat. erronee habet : susceptum.*

2. Haec Decretalis edita fuit Avenione 3 cal. Jan. anno secundo i. e. 1318 et habetur in Extrav. Joann. XXII tit. 7. « Sancta Romana. » Ex quo sequitur evidenter, ut Calo scripserit hanc vitam S. Thomae post a. 1318. Infra n° 30 auctor noster narrat odorem manus S. Thomae perceptum fuisse adhuc 42 annos post ejus obitum; quod esset 1316.

3. *Cod. Vat. : nichilominus.*

per totam lapidibus pretiosis, tunicam et scapulare candoris nivei. Qui frater albertus stupefactus de visione mirabili proiecit se ad pedes eorum orans ut ei indicarent, qui essent, qui ei tam mirabiles apparerent. Tunc ille qui mitram portabat respondit : Quid frater alberte sic admiraris. Exaudite sunt preces tue. Ecce nunc manifesto tibi, quod sum augustinus doctor ecclesie, qui missus sum ad te, indicare tibi doctrinam et gloriam fratris thome de aquino, qui mecum est. Ipse enim est filius meus, qui doctrinam apostolicam et meam in omnibus est secutus. Ecclesia dei sua doctrina illuminatur, quod signant[1] lapides preciosi et precipue, quem gestat in pectore, qui designat intentionem rectam, quam ad defensionem fidei habuit et declarationem ostendit. Ceteri vero lapides preciosi libros et opera sua, que composuit. Sumus ei pares in gloria, licet thomam precedam pontificali infula, ipse autem super me polleat virginitatis aureola. Quam visionem dictus frater albertus admiratus compulsus est revelare, cum frequenter fuisset auditus asserere, fratrem thomam magnum sanctum esse in patria et hoc publice predicare, quia nullus potest de tanti doctoris dubitare gloria, cujus tam certa testimonia sunt de vita.

14. Cecitatis et iudaice tenebras per eum dignatus est deus illustrare. Nam in Mollaria castro domini ricardi cardinalis prope romam, cum in festo nativitatis domini cum predicto domino moraretur, et ad eum duo magni iudaei litterati et divites, sicut omni anno consueverant, convenissent, rogavit dictus dominus fratrem thomam, ut cum eis de eorum conversione tractaret. Cum quibus, cum diucius contulisset de lege veteri, et salvatoris adventum eis probasset per dicta plurium prophetarum, dedit eis terminum, ut in crastinum de eorum conversione et de his que proposuerat, responderent. Pro quorum conversione, cum pius doctor orasset et petivisset a dei filio, ut eam sibi in sue nativitatis gaudio concedere dignaretur, ecce iudaei in crastino ad predictum doctorem conveniunt, et eo viso divino afflati spiritu convertuntur, confitentes, non posse spiritui, qui in eo loquebatur, et sapiencie, nisi quod persuaserat, respondere. Fitque magnum de festo nativitatis dominice gaudium et de beneficio conversionis eorum.

15. De virtutibus eius dicturi ab humilitate sumamus exordium.

1. *Cod. Vat. : designant.*

Fertur idem in sua puritate dixisse : Regracior deo, quia nunquam de mea sciencia, cathedra magistrali et de nullo actu scholastico habui motum inanis glorie, qui meum a sede humilitatis extolleret animum. Et si primum motum prevenientem racionem habui, racionis superveniente iudicio repressi. Erat enim conscius a deo habere scienciam, qui dederat; et ideo in suo animo motum inanis glorie habere non potuit noxium, qui cotidie sciebat sibi fieri divine virtutis influxum. Cuius (humilitatis)[1] indicium in conversatione patebat, in qua sic erat tractabilis et in locucione suavis, ut vere ostenderet a christi forma se exemplatum procedere, cuius vitam et meruit contemplando cognoscere et predicando docere. Semel cum in conventu bononiensi transiens moraretur et more suo per claustrum contemplativus incederet, frater quidam alterius conventus, qui eum non noverat, petita licencia et obtenta, quod cum fratre, qui primo sibi occurreret, in civitatem ad sua negocia ire posset, eum inveniens dixit ei : Frater, prior mandat quod venias mecum. Qui statim inclinato capite secutus est eum. Postquam cum non posset sic festinanter incedere, frequenter argutus a socio, se humiliter excusabat. Cives autem, qui eum noverant, admirati quod tantus doctor post fratrem modice condicionis incederet, qui erat dignus preire, cogitantes hoc ex errore aliquo accidisse, indicaverunt fratri, quis esset ille quem duceret. Qui conversus ad fratrem thomam petivit veniam, ut eius ignorancie indulgeret. Et conversis ad eum civibus cum reverencia et interrogantibus de tante humilitatis exemplo respondit, quod in obediencia perficitur omnis religio, quia homo homini propter deum se subicit, sicut deus homini propter hominem obedivit.

Cum quidam licenciandus parisius in vesperis examinandus teneret opinionem contrariam veritati, quam frater thomas determinaverat in scholis, a quo nichil sibi putans preiudicatum, licet ei foret contradictum, tranquillus et quietus cum fratribus rediit ad conventum. Studentes vero et socius eius in eius persona offensi graviter, dixerunt ei, quod non debuit veritatis iniuriam coram omnibus magistris parisiensibus sustinere. Quibus respondit : visum fuit michi, novo magistro in suo principio esse parcendum, ne confunderetur. De mea doctrina nil dubito sic firmata auctoritatibus et racio-

1. *Etiam Cod. Vat. omittit : humilitatis.*

nibus veritatis. In crastino autem cum omnes in aula episcopi convenissent, et eedem opiniones per eundem licenciatum fuissent per omnia repetite, frater thomas cum omni moderamine dixit : Magister, ista vestra opinio est contra tale concilium. Tunc autem ipse aliter dicere cepit, sed opinionem in sentencia non mutavit; contra quem iterum arguens et adducens concilium compulit ipsum suum confiteri errorem, et petere humiliter ab eodem doctore scire plenius veritatem. Tunc ille dixit : Modo bene dicitis, et docuit eum plenius veritatem. Admirati sunt omnes magistri de tranquillitate mentis et verbi, quia sic arguebat adversarium, quasi doceret discipulum.

16. De eius corporis[1] puritate patet ex visione angelica supradicta, et suorum testimonio confessariorum et precipue fratris reginaldi, de quo inferius patebit apercius, et ex modo et conversacione vite sue. Sic enim divinis contemplacionibus erat intentus, ut nullo modo fieri posset contrariis actionibus occupatus[2], aut oraret, aut meditaretur, aut legeret, aut predicaret, vel scriberet. Erat etiam supra modum devota eius oracio, qua sic liber in deum ascenderet, quasi nullum pondus carnis contrarium sustineret, que consueta erat nunquam excitare motum rationi contrarium, qui corpus suum coegerat sibi[3] sub racione subiectum. Erat autem precipue devotus ad sacrosanctum sacramentum altaris, de quo, quia concessum ei fuerat profundius scribere, donatum est ei devocius celebrare. Cotidie enim unam missam dicebat, nisi eum infirmitas impedisset, et aliam audiebat socii, vel alterius, ad quam et frequencius ministrabat. Consueverat autem sepe rapi in missa tanto devocionis affectu, ut totus profunderetur lacrimis, qui tanti sacramenti sacris absorbebatur ministeriis et reficiebatur ex donis. Unde cum semel in conventu neapolitano in die dominice passionis multis militibus astantibus missam devocius celebraret, in prosecutione cepti sacri misterii subito visus est absor(p)tus sic ab altitudine sacramenti, quasi divinis videretur admissus ut interesset misteriis, et christi hominis affici videretur ex penis, quod indicare videbatur diutina mentis abstractio et inundans profusio lacrimarum. Quo diutius sic manente, admirati fratres accesserunt et ipsum tangentes, ut prose-

1. *Cod. Vat. recte habet : De ejus mentis et corporis.*
2. *Cod. Vat. addit : quin.*
3. *Cod. Vat. : fieri.*

queretur sacra misteria excitarent[1]. Quem post sacrum misterium aliqui fratres et milites ei familiares rogaverunt, ut sibi quicquid accidisset in illo raptu, eis dignaretur exponere. Qui dicere renuit. Visus etiam fuit frequenter, cum cantaretur ille versus in completorio tempore quadragesimali : ne proicias nos in tempore senectutis, etc., quasi raptus et absor(p)tus multis perfundi lacrimis, quas de oculis pie mentis educere videbatur. Erat preterea nocturno tempore post brevem somnum in sua camera vel ecclesia, ad quam sibi de nocte patebat accessus, in loco quem sibi ad orandum elegerat, in oracione prostratus, ubi orando mereretur addiscere, que post oracionem oportuisset scribere vel dictare. Sic enim tempus sue vite distribuit, ut preter illud modicum, quod somno vel refectioni pro valetudine corporis sibi perfunctorie indulsisset, reliquum oracioni, lectioni, predicacioni, meditacioni, vel scribendis aut dictandis questionibus expendebat, ut sic nullum tempus vite sue esset vacuum, quod non esset sacris actionibus occupatum, ita quod si aliquando pro consolacione fratrum vel aliarum onorabilium personarum cogeretur dimisso studio in locutorio consedere, a profectu etiam illa hora modica non vacabat. Nam expeditis his que fuissent proposita, aliquid ystoriale vel morale ad edificacionem breviter disserebat. Reliquum si superfluisset tempus, priusquam ad cameram suam completa locucione redisset, surgens a loco cum quibuscunque sedisset, sicut non advertens, divinis intentus, discurrens per claustrum vel ortum consuetis suis meditationibus et speculacionibus expendebat. Sic iterum ad orandum paratus, quasi non dimisisset oraculum, cuius[2] occupacio immutabat affectum, quia nec aliis delectabatur affectio, nisi his revelacionibus, quas impetrasset orando.

17. Qui cum esset de nobili genere et potuisset divicias temporales habere, sicut ipsas contempsit, cum habuit, sic cum non habuit, non petivit, sed exemplo salomonis nihil aliud quam sapienciam, quam amabat, in oracione petebat. Unde certissime creditur, quod merito sue devote oracionis a deo obtinuit, que docuit, que scripsit et que dictavit. Nam frater reginaldus post eius obitum, cum redisset neapolim et lectiones, ut dimiserat, cum esset lector neapoli,

1. *Cod. Vat. recto habet : excitarunt.*
2. *Cod. Vat. addit : nulla.*

resumpsisset, cum ingenti fletu dixit : Fratres, ego fui a magistro meo in vita sua prohibitus, ne miranda que de ipso videram, revelarem. Inter que fuit, quod scienciam suam non humano ingenio, sed oracionis merito acquisivit, nam quociens studere voluit, disputare, legere, scribere vel dictare, prius ad oracionis secretum accedens, profusus lacrimis orabat pro divinis inveniendis in veritate secretis, cuius oracionis merito, sicut ante oracionem dubius accedebat, sic postea redibat edoctus. Cum autem aliquod dubium occurrisset, nondum requisito devocionis oraculo, ad oracionem accedens, quod erat sibi dubium, divino miraculo inveniebat apertum. Cum igitur super ysaiam scriberet et eius profunda misteria investigaret, pervenit ad quemdam textum, quem cum non intelligeret nec ad intellectum littere, qui ei satisfaceret, perveniret, multis diebus ieiunans et oracionibus se affligens, quadam nocte predictus eius socius ipsum audivit loquentem, cum quo vel quibus ignorans, sonum quidem locucionis percipiens, sententiam non perpendens. Qua locutione finita dixit doctor eidem : Frater raynalde surge et accende candelam, et accipe quaternum in quo super ysaiam scripseras, et para te iterum ad scribendum. Qui cum diucius scriberet, que doctor quasi in libro legeret, ea facilitate dictaret. Post aliquam horam dixit ei : Vade fili ad quiescendum, quia adhuc multum restat temporis ad quietem. Qui avidius[1] (volens) scire secretum ad pedes magistri procidit cum lacrimis genu flexus et ait : Ego de loco isto non surgam, nisi dicas mihi, cum quibus vel quo fuisti locutus, et cepit eum per nomen domini fortiter adiurare quam pluries renitentem et dicentem : Non est opus tibi fili hoc scire. Demum ne videretur nomen domini contempnere, lacrimans ait : Fili vidisti his diebus afflictionem meam super dubio isto quod modo exposui, quod multis lacrimis a deo scire petivi. Unde misertus mei misit ad me beatos apostolos petrum et paulum, per quos eum rogaveram, qui me plenissime docuerunt. Sed ex parte dei tibi precipio, ne in vita mea hoc audeas revelare. In ultimis etiam constitutus revelavit eidem fratri raynaldo, quod gloriosa virgo mater domini apparuit et ipsum confortavit de vita sua et sciencia, et quicquid deliberate per ipsam a deo petivit, obtinuit, et quod non mutaret statum sui ordinis, sicut frequenter in oracione

1. *Etiam Cod. Vat. omittit : volens.*

peciverat, impetravit. Hec creditur a filio suo singularem ei scienciam impetrasse, quam peciit cum puritatis lilio, quod sicut immaculatum deo obtulit, sic servavit.

Hic etiam cum esset salerni in conventu fratrum visus est ante altare maius in oracione existens post matutinas a predicto socio suo et fratre iacobo, qui eum exempli gracia observabant, duobus cubitis elevatus a terra, velut si fas est dicere, future agilitatis vel aliquid simile principium[1] accepisse, quo sine pondere quasi in sua levitate maneret.

18. Frater iacobus de caserta sacrista, vir oracione devotus, actione sollicitus et virtute probatus, qui alias habuit vigilans mirabiles visiones, advertens beatum thomam semper de camera sui studii ad ecclesiam ante matutinas descendere, et pulsato ad matutinas, ne videretur ab aliis festinato reddiit[2], semel ipsum curiosius observavit et accedens retro in capella sancti nicholai, ubi fixus in oracione manebat, vidit ipsum quasi duobus cubitis elevatum in aere. De quo diu admirans subito audivit de loco, ad quem predictus doctor conversus erat[3] cum lacrimis, huiuscemodi vocem de ymagine crucifixi : Thoma bene scripsisti de me. Quam ergo recipies a me mercedem de tuo labore? Qui respondit : Domine, nonnisi te. Et tunc scribebat terciam partem summe de christi passione et resurrectione. Post quam scripturam parum scripsit propter miranda, que sibi deus mirabiliter revelavit. Signum namque certissimum fuit quod a scribendi cessaret opere, ex quo iam regraciaretur a domino de mercede.

19. Et licet a mundanis negociis et temporalibus miro modo esset extraneus, qui divinis rebus totus erat intentus, cum requisitus de agibilibus ad agibilia et temporalia intellectum convertisset, tam subtiliter et utiliter consulebat, quasi videretur quis consilium requisivisse divinum, utpote qui illas regulas habebat pre oculis, a quibus omne quod humanitus agitur, divinitus diffinitur. Unde et de sancto lodovico rege francie dicitur, quod semper in rebus arduis eius consilium requirebat, quod frequenter expertus fuerat esse certum. Caritate etiam et pietate diffusus erat et miro modo benignus in animo, suavis in verbo et liberalis in facto, ut

1. *Cod. Vat. : participium.*
2. *Sic etiam Cod. Vat. pro : redire.*
3. *Cod. Vat. addit : ad orandum.*

qui tocius eius conversacionis vidisset effigiem, mentis eius potuisset legere sanctitatem et perpendere que in eius mente sapientia habitabat, ex cuius ore tanta suavitas procedebat. Et licet ipse innocens supra modum contra peccantes insurgeret, sic tamen pro amore iusticie et salute proximi iudici et prelato consulebat contra culpam insurgere, ut prelatus ex suo consilio simul fieret criminis persecutor (et) hominis liberator, ut in subdito crimen deficeret, et homo cum crimine non periret. Et licet propter innocentiam difficulter crederet, quod homo peccaret, tamen cum constitisset aliquem ex infirmitate peccasse, sic alienas deflebat culpas ut proprias. Ex qua benignitate caritatis mirabile videbatur oriri in eius corporali aspectu, ut nemo eum aliquandiu alloquendo et conversando potuisset aspicere, a quo non contingeret spiritalis consolacionis gratiam haurire. Unde frater effranon de salerno in toto ordine fratrum predicatorum celebris opinionis et fame consueverat dicere : quociens illum cum affectu devocionis aspicio, tociens ex eius aspectu et locucione spiritualis letitie et gaudii graciam haurire(!). Quod ex spiritus sancti presencia contingebat, de quo tanta gracia procedebat.

20. Erat etiam miro modo compassivus pauperibus et de suis tunicis et rebus tam habundanter indigentibus solitus erat tribuere, quantum sibi concessum erat a fratribus habundare, nichil sibi reservans de rebus superfluis, que sciebat esse danda pro suplendis defectibus alienis. Fuit autem ad has virtutes ex natalium suorum antiqua nobilitate dispositus, cuius mater multe fuit oracionis et devocionis et abstinencie, que manibus et genibus procumbens oracioni callum induxerat, quod terre multiplicatis flexionibus allidebat. Que talem non meruisset filium, nisi eius oracio placuisset apud deum. Soror etiam eius domina theodora, mater domini thomasii de sancto severino, comitis marsici tante fuit pietatis in alios, quod quicquid habere poterat, pro necessariis sue persone modicis contenta, in operibus misericordie effundebat. In se vero tante fuisse asperitatis dicitur, ut magnam partem nocturni temporis concessi ad ocium, durissimis disciplinis de una cathena ferrea se verberans sibi converteret in tormentum; sensu provida, dispensatione magnifica et provisione discreta et in omnibus virtutibus, in quibus se exercere poterat singularis. Cuius corpus post obitum, cum fuisset ad locum alium pro sua veneracione translatum, inven-

tum est integrun et magnum odorem astantibus reddidit, qui sanctitati sue certum testimonium et fidem dedit. Cuius etiam filius predictus, dum dictarum virtutum reddidit odorem, predicte se ostendit esse sancte generationis heredem. De fratribus etiam ipsius magna referuntur de probitatibus corporum, sed maiora de probitatibus animarum, qui pro defensione et zelo matris ecclesie ab imperatore frederico sustinuerunt exilium et quidam ex eis pro fidelitate tormentum.

21[1]. Fuit autem magnus in corpore, procere et recte stature, que rectitudini anime responderet, coloris triticei ad temperate complexionis indicium, magnum habens caput, sicut perfectiones virtutum aliarum, que rationi deserviunt, organa perfecta requirunt. Aliquantulum calvus, tenerrime complexionis in carne, sicut aptitudo eius intelligencie exigebat; virilis robore, cum se ad actum alicuius virtutis corporee exercebat. Nichil terribile timens in coassistencia divina confidens. Vadens namque parisius, cum in mari pateretur horrendam maris et aeris tempestatem, nautis eciam mortem timentibus, ipse imperterritus in tota tempestate permansit, ut videretur deus nobile corpus et organum preparasse, quod ad actum virtutis serviret obediens, quod nunquam esset racionis iudicio contradicens. In terroribus autem aeris, tonitrui et tempestatis quasi pro scuto opponendo[2], muniendo signo crucis dicebat : Deus in carnem venit, deus pro nobis mortuus est. Tam perspicacis autem fuit ingenii, ut requirenti eum fratri danieli de angusta, que erat maior gracia quam fecerat ei deus preter graciam gratis datam, cum satis vellet declinare, ne responderet, cogenti ait : Credo me intellexisse omne quod legi; et fertur dixisse aliquando familiariter studentibus non ad ambitum glorie inanis, sed ad preconium divine laudis et gracie, quod nunquam librum legerat, quem non intelligeret ad plenum. Cuius ingenii subtilitatem et acumen intelligencie et velocitatem diffinitivam iudicii ostendunt satis multi-

1. Quae his sequuntur usque ad n. 26 fere ad verbum consonant cum illis, quae habentur in vita a Guillelmo de Tocco exarata. Nihilominus non licet inde concludere, nostrum auctorem exscripsisse illa ex Tocco, cum etiam quaedam differentiae inveniantur, et praesertim quia non apparet cur antea et postea tantopere discrepaverit a Tocco. Verisimile est tum Tocco, tum Calo has narrationes desumpsisse ex communi fonte, qui forsan est frater Raynaldus socius S. Thomae, aut « historiae », quas indicat Ptolomaeus de Lucca (Hist. eccl., l. 22, c. 8).

2. *Cod. Vat. addit : se.*

tudo librorum, quos edidit, et veritatum et sentenciarum novitas, quas invenit, ut vix possit aliquis quantumcunque magni et solertis studii, libros quos edidit, ad intellectum perlegere, quos ipse potuit parvo tempore perquirere et dictare.

22. Cum eius scripta dei dispensacione fuissent parisius examinationi exposita, quorumdam invidia procurante pater egidius ordinis heremitarum, qui fuerat 13 annos dicti doctoris auditor[1], dixit deridendo insufficienciam correctorum : In hoc mirabili et felicis memorie doctore fuit sue subtilitatis ingenii et certitudinis iudicii manifestum indicium, quod opiniones novas et raciones, quas scripsit bachallarius, paucis exceptis, nec docendo, nec scribendo mutavit; nos autem moderni sicut incerti et dubii iudicii, opiniones, quas aliquando tenuimus, in contrarium arguti modico argumento mutamus. Unde et hi qui scripta eius examinant, non intelligentes, que iudicant, solius invidie stimulacione laborant, et in luce musce insiliunt, dum quod arguunt non cognoscunt, quasi de luce noctue audeant iudicare, et tenebrescunt ex lumine, dum de ignota eius veritate craticant[2]. Unde verificatur illud psalmiste : Illuminans tu mirabiliter a montibus eternis, turbati sunt omnes insipientes corde; a luce qua sanctus instruitur, invidus cognitione privetur. Sicque factum est divino miraculo, ut unde doctori sancto detrahitur, inde deo et sancto eius gloria cumuletur. Tante etiam fuit capacitatis et memorie retentive virtutis, ut hoc quod legendo semel caperet, perpetuo retineret. Sic enim fertur dixisse magistro[3] de vercellis, cum statim querendo concilia, invenisset que quereret. Cuius insigne est opus mirabile super quatuor evangelia de sanctorum dictis compositum ad preceptum urbani pape, qui perlegens in diversorum monasteriorum libris pro maiori parte ita creditur memorie commendasse, quasi sanctorum dicta habuisset pre oculis, que legisset in libris.

23. Miro etiam modo fuit temporalium contemptativus, sive necessariorum pro victu sive horum[4] et dignitatum. Nam semel veniens

1. Tocco addit : « qui postmodum fuit Archiepiscopus Bituricensis. » Iste Aegidius, nemo alius est, quam Aegidius Colonna, Prior generalis Eremitarum S. Augustini qui an. 1295-1316 sedem archiepiscopalem Bituricensem (Bourges) occupavit (cfr. Eubel Hierarchia cath., I, 142).

2. Craticare est idem ac croticarè, vel garrire.

3. *Cod. Vat. addit : Iohanni.*

4. *Cod. Vat. recte habet : honorum.*

de sancto dyonisio, quo iverat sanctorum reliquias visitare, cum studentibus suis, et vidisset de propinquo civitatem parisius, dixerunt ei studentes : Magister videte, quam pulcra civitas parisius. Velletis esse dominus huius civitatis? Qui respondit : Libencius vellem habere omelias crisostomi super matheum. Civitas enim hec si esset mea, propter curam regiminis, contemplacionem divinorum mihi eriperet et animi consolacionem impediret. Oblatas etiam sibi plures dignitates et redditus a beate[1] memorie clemente quarto papa, simul renuit redditus et honores, cum tamen omnis sui generis propinquos sub persecucione frederici imperatoris pro causa ecclesie haberet in campania exules, quibus ad subveniendum movere eum poterat naturalis affectus. Recepta etiam bulla ab eodem papa de promocione sua ad archiepiscopatum neapolitanum cum addicione reddituum monasterii sancti petri de ara, dignitatem renuit et quod ulterius ad alia eum non promoveret suppliciter exoravit.

24. Erat etiam pre nimia contemplacione quasi abstractus a sen sibus sepe. Nam cum sanctus lodovicus rex francie semel invitasset eum ad mensam suam, et ipse se humiliter excusasset propter opus summe, quod tunc dictabat, instante rege et mandante priore parisiensi cum illa ymaginatione, quam manens in cella conceperat, accessit ad regem, iuxta quem existens in mensa, subito mensam percutit dicens : modo conclusum est contra heresim manichaei. Quem prior tetigit et dixit : Advertatis magister, quia nunc estis in mensa regis francie, et traxit eum per cappam fortiter, ut abstractum a sensibus excitaret. Qui ad se rediens, inclinans se ad sanctum regem, rogavit eum ut sibi parceret. De quo rex est plurimum admiratus et edificatus, et vocato notario suo voluit rex, quod coram se redigeretur in scripto.

Quidam etiam cardinalis legatus in regno audiens de eo plurima admiranda venit ad eum. Qui cum vocatus de studio in sua abstractione maneret, cum expectasset ille diucius sic abstractum, subito doctor ascendit habens faciem ylarem et ait : Modo habeo quod querebam. Qui cum nullum signum reverencie ei ostenderet, cardinalis cepit eum despicere. Cui dixit episcopus capuanus, qui fuerat eius discipulus : non miremini domine, quia sic frequenter abstrahitur. Et tunc traxit ipsum fortiter per cappam. Qui ad se

1. *Cod. Vat. : bone.*

rediens quasi evigilasset de somno, et advertens se esse inter tantos prelatos, a domino cardinali humiliter veniam petivit. Interrogatus, cur in illa abstractione tam letam faciem ostendisset, dixit, de quadam questione, de qua diu cogitaveram, nunc pulcram racionem inveni, de qua gaudium animi manifestavit exterior leticia, quam ostendi[1]. Existens aliquando in sancto severino, castro sororis sue cum dicto socio et aliis fratribus per magnum spacium temporis fuit passus extasim et abstractionem a sensibus, de quo soror turbata petivit a socio, quid hoc esset. Qui dixit : frequenter in spiritu rapitur, cum aliquid contemplatur, sed nunquam tanto tempore, sicut nunc, vidi eum abstractum. Et post modicum traxit eum per cappam fortiter, et sic eum quasi a somno excitavit. Qui suspirans ait : Fili, tibi in secreto revelo prohibens, ne in vita mea alicui valeas revelare. Venit finis scripture mee, quia talia vidi, quod ea que scripsi et docui, modica mihi videntur, et ex hoc spero in deo, quod sicut doctrine mee, sic erit cito finis

1. In Codice Vaticano hic inserta sunt sequentia : Existenti autem parisius apparuit soror sua ymaginaria visione. Que cum diceret se esse in purgatorio, certum missarum petivit numerum quibus sperabat liberari. Qui vocans studentes rogavit, ut pro sororis sue anima missas dicerent et orarent. Que ei postea rome apparuit in visione et se fuisse liberatam de purgatorio dixit virtute missarum. Et cum de se quereret quid esset, illa respondit. Tu frater es in bono statu, et cito veniens ad nos, sed major tibi gloria est parata quam nobis. Tene tantum quod habes. Et querenti de fratribus suis, ait, quod dominus landufus erat in purgatorio, et dominus raynaldus in paradiso; de quo iterum, ostenso sibi libro per angelum scripto litteris aureis et azuriis, repperit inter lineas aureas, que erant martirum, nomen fratris, quia pro fidelitate ecclesie morienti sub tyrannide frederici imperatoris mors sibi computata fuit ad martirium.

Existenti eciam in ecclesia neapoli ad orandum, apparuit frater romanus, magister in theologia, quem parisius legentem dimiserat. Cui cum attonitus beatus thomas diceret : bene veneritis, quando venistis, ille respondit. Ego ex hac vita transivi; concessum est mihi tibi pro tuo merito apparere. Qui recollecto spiritu ait : Ex quo deo placeam, ex parte ipsius te adjuro ut ad quesita respondeas. De me quid est, et an placent deo opera mea? Respondit : Tu es in bono statu et placent deo opera tua. Et de te, inquit, quid est? Respondit : Ego sum in vita aeterna, et fui in purgatorio quindecim diebus propter negligenciam quam commisi in quodam testamento, quod cito expediendum mihi commisit parisensisis episcopus. Petivit eciam utrum deum videret immediate, vel specie mediante. Qui respondit. Sicut audivimus sic vidimus in civitate domini, et cetera.

Neapoli fratrem de choro vocavit portarius, cui enxennium portabatur, quod in cella reposuit, et rediens ad chorum cepit cogitare quomodo illud solus posset comedere, et quietus in choro esse non poterat. Cujus inquietudinis causam doctor videns in spiritu, fratri ad se vocato ait : Vide, frater, quid cogitas et id de quo temptaris non impleas. Qui cum diceret nichil aliud se cogitare nisi audire missam quae dicitur, dixit illi : Ad quid de choro vocatus fuisti? Tunc ille narravit sibi facti seriem et temptationem mentis. Tunc magister ait : Ego vidi daemonem coram te saltantem et ostendentem tibi enxennium. Cave ne solus comedas, sed aliis fratribus ex caritate dispensa. De quo frater admiratus egit gracias deo et doctori predicto.

et vite mee. Sicut enim deus moysi, qui iudaeis legem iustitie attulit, et paulo, qui in gentibus legem gracie predicavit, sic et huic doctori eximio supra humanum intellectum plurima revelavit; qui de manu sedentis in throno libellum involutum recepit et apertum toti ecclesie exponendum porrexit. Cum enim semel consultum esset a medicis, quod in tibia portaret cauterium, dixit socio : Cum venit, qui ignem debet apponere, facias me ante scire. Quod cum fieret, in lecto in quo cauteriandus erat se preparans extendens tibiam totus fuit abstractione levatus, quod apposicionem ignis et cauterium non percepit. Cuius signum fuit, quod lecto, ubi tibiam extenderat, non mutavit. Cum semel in camera dictaret de trinitate, accepta una candela in manu dixit scriptori : Quicquid videas in me, cave ut non me voces. Et tunc in contemplacione abstractus et candela post horam consumpta est usque ad digitos, quibus ignem candele diucius adherentem doctor non sensit, sed ipsum ignem sine aliquo motu digitorum sustinuit, donec defecit. Simile visum fuit de eo parisius, quociens oportuisset sibi minuere, ut antequam minutor ad percutiendam venam accederet, de abstractione sibi a sensibus per contemplacionem provideret, et tunc secure minutor venam percuciens sancti doctoris ymaginationem non poterat ledère abstracti a sensibus. Erat enim miro modo passibilis, et ideo subito lesivo corporis turbabatur. Unde et sibi divinitus est concessum, quod aliquam lesuram corporis non sentiret. — Predicabat autem populo utilia[1] evitata omni curiositate tam in dividendo, quam in prosequendo. Qui tam reverenter audiebatur a populo, quasi sua predicacio prodiret a deo. Et quod dicebat ore, implebat opere; admirabatur quoque plurimum, quomodo aliqui et precipue religiosi possent de alio quam de deo loqui, aut de his que deserviunt edificacioni animarum. Unde et a iuventute mos ei erat, quando in communi locutorio et locucione, si hi cum quibus erat, ad alia sua ora laxarent, statim de loco illo recedebat, quasi ad eum non pertineret locucio, que non esset de deo, aut non saperet edificacionem proximi. Sic enim se disposuerat, ut aut cum deo loqueretur, dum oracioni insisteret, aut deus per ipsum diceret[2], scriberet vel doceret, ut in se ipso quodammodo perficeret gyrum celi, ut a se in deum sue mentis motum

1. Cod. Vat. : utilia non subtilia.
2. Cod. Vat. addit : aliquid.

orando inciperet, et a deo ad proximum docendo[1] consurgeret; unde iterum sui motus circulum inchoaret.

25. Quidam[2] frater cum cepisset mente sollicitus, et affectione devotus cogitare, quomodo posset convenienter texere plenariam ystoriam dicti sancti, et super his oraret deum et beatum thomam, ut scribendi ei sufficienciam impetraret, post oracionem soporatus circa auroram vidit in somnis coram se unum rete argenteum contextum catenulis argenteis cum diversorum colorum lapidibus preciosis in ipsius retis medio mira varietate contextis. Qui intelligens, in his vitam et virtutes illius signari, cogitabat, quibus lapidibus illos possidet virtutibus adaptare[3] ut congrue responderent. Qui vigilans ystoriam circa quam ceperat, prosecutus (est). Tota enim huius vita fuit ex apparicione[4] argentea, conversacione candida, actione mundissima et doctrina sonora, et in similitudinem retis, quia vita doctrine in omnibus concordavit, in quo visi sunt inserti tot lapides, quot in eius anima sunt infuse virtutes. Figurata in Rationali iudicii, in quo intexti erant 12 lapides preciosi, quos portare debebat summus pontifex ante pectus, in quo doctrina et veritas scripture scripta erant, quia eius doctrina in veritate prefulsit.

26. Cum eius socius febrem continuam pateretur[5] venit ad eum visitandum et confortandum. Quem cum ad pacienciam induxisset, consuluit ut ad sanctam agnetem specialem devocionem concipe-

1. Cod. Vat. habet : ad proximum docendo finiret a quo in deum contemplando et orando consurgeret.

2. Bollandiani (Act. SS. Mart. t. I, 655) putant hunc fratrem esse ipsum Guillelmum de Tocco. sed haec opinio non videtur vera, quia Calo non legit biographiam S. Thomae a Tocco exaratam. Cfr. infra n. 30 not.

3. Mendose pro : quibus lapidibus posset illas virtutes adaptare, sicut recte habet, Cod. Vat.

4. Cod. Vad : apropiatione.

5. Notatu dignum est quomodo eamdem rem narrat Ptolomaeus de Lucca (Hist. eccl. l. 23, c. 10). « Caeterum quod vidi de ipso ad judicium sanctitatis ejus tacere non debeo. Cum enim ego cum ipso venirem de Roma, declinavit Molariam ad castrum Domini Richardi cardinalis, ibique praefatus Doctor infirmatus est de tertiana. Socius vero suus Frater Raymundus de continua gravi (febri). Et cum non apparerent in eo signa critica, medici Domini Richardi male judicabant de ipso. Tunc venerabilis Doctor recepit reliquias B. Agnetis, quas ex devotione secum ferebat de Urbe et misit dicto Fratri, quod super se poneret et haberet fidem plenam in eis. Quod et fecit et curatus est ultra spem omnium medicorum; propter quam causam disposuerat singulis annis facere festum solemne de ipsa cum bona refectione fratrum, quod et illo anno fecit Neapoli. Sequenti vero transiit ad Deum. Obiit autem quinquagesimo vitae suae anno; alii dicunt XLIV habens in Magisterio annos XX. » Hoc testimonium est magni momenti, quia Ptolomaeus loquitur ut testis oculatus et insuper testatur jam suo tempore incertam fuisse aetatem, quam adeptus est S. Thomas.

ret, et ab ea ut sanitatem reciperet, speraret. Cuius merita implorans reliquias dicte sancte, quas (ex) devocione ad pectus suspensas portabat, orans posuit super pectus infirmi, et statim sanus et ylaris in lecto sedit. Quod miraculum utriusque sancti meritis est credendum. — Parisius vero cum in crastino determinare deberet coram universitate quamdam, quam disputaverat, questionem, surgens de nocte, ut consueverat, ad orandum, percepit in ore suo supercrevisse unum dentem superfluum, qui impedimentum prestabat non modicum ad loquendum. Quod ab eo audiens socius consuluit, quod universitati diceretur in crastino, quod impedimento superveniente, determinare non poterat et ordinaretur, quod ferro dens auferetur. Doctor igitur considerans universitatis scandalum et quod imminere poterat ex dentis avulsione periculum, dixit socio : Nullum aliud video remedium, nisi quod divine providencie me committam. Et diu orans in loco solito cum lacrimis remedium petiit. Quo orante instancius dens ille superfluus sine aliqua violencia vel dolore tactu sue manus levi evellitur, et ipse ab impedimento locucionis totaliter liberatur. Quem dentem ad recolendum divine beneficium pietatis magno tempore secum tulit. — Cum in septimana sancta idem predicasset rome de passione christi in ecclesia sancti petri et populum ad lacrimas provocasset, in die pasce induxit eos ad gaudium et ad congaudendum gloriose virgini de resurrectione filii, sicut pridie fuerant de passione compassi. Qui cum descendisset post predicationem de pulpito, mulier quedam, que magno tempore fluxum sanguinis passa erat et nullo iuvari potuerat remedio medicine, cappe eius fimbriam tetigit et statim liberata est. Et sequens eum ad sanctam sabinam, quod beneficium recepit, eius socio indicavit. — Cum semel ipse esset neapoli in sua camera decumbens in lecto, fratre bonofilio de neapoli, qui ei serviebat absente, germanus dicti servitoris puerulus ad custodiam camere remanens, vidit per fenestram camere stellam fulgentem ad mensuram magnitudinis fenestre ingredi et super caput eius per spacium unius ave maria residere, et post paululum eodem vidente, unde venerat inde redire. Qui postea factus senex, hoc inquisitoribus sub iuramento deposuit. Demon frequenter visus est in forma ethiopis ipsum temptaturus ad cameram eius accedere et magister ipsum signo crucis opposito et clamando fugare.

27. Post hoc cum dictus doctor de mandato domini gregorii

decimi pape iret ad generale concilium lugdunense et portaret libellum, quod de mandato domini urbani pape fecerat contra grecos, contingit ipsum transire per campaniam in castro magencie, quod erat domine[1] francisce neptis sue debilem declinare, ubi amisit totaliter appetitum. Et requisitus a magistro ioanne de guidone de piperno, si aliquem cibum appeteret, et de nullo cibo, nisi de alecibus, que comederat in francia, diceret se posse gustare, anxiatus ille, quia talis piscis ibi non poterat inveniri, invenit in platea castri sardas recentes de terracina portatas in salma. Quam cum fecisset deponi ad terram, repperit unam de alecibus cistam, de quo miratus, quod nunquam ibi visi fuerant tales pisces, et quod venditor solas sardas se emisse dicebat. Predictos pisces fecit magistro deferri cum gaudio. Qui advertens grande miraculum, renuens de illis comedere, dixit medico : Melius est quod divine providencie me committam, quam de his piscibus sic a deo prestitis et a me concupitis manducare presumam. De quibus piscibus, quia multi comederunt, et medicus retulit, miraculum est vulgatum in regione. Cumque fuisset aliquibus remediis confortatus, ut videretur sibi, quod posset iter inceptum prosequi versus romam, invitatus ab abbate et monachis monasterii fosse nove cisterciensis ordinis predictum monasterium est ingressus cum comitiva decenti concurrencium et concomitancium monachorum. Qui ingressus ecclesiam debita reverencia sacro altari exhibita, sanctum claustrum intravit. Ubi facta manu domini super eum dixit, pluribus suis fratribus et monachis audientibus : Frater raynalde hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo etc. Et positus est in camera abbatis, et sicut exigebat necessitas, pie stratum est ei caritative suis sociis collatis[2]. Ubi cum pluribus diebus gravatus amplius in infirmitate decumberet, monachi cum tanta reverencia et humilitate ei servire ceperunt, ut ei de silva propriis humeris ligna deferrent. Qui aliis compassivus dicebat : unde hoc mihi ut servi dei serviant homini et onus tam de longe deferant! Qui licet admodum debilis esset, rogatus ab aliquibus monachis ut aliquid memoriale sue sciencie eis in finem[3] relinqueret, breviter eis exposuit can-

1. In primo processu inquisitionis testatur Abbas Nicolaus monasterii Fossae novae, castrum hoc fuisse Domini Annibaldi de Ceccano. Ergo neptis Francisca fuit uxor hujus viri.

2. Cod. Vat. : collocatis.

3. Cod. Vat. : in fine.

tica canticorum, in dilecti et dilecte canticum terminans studium, qui ad dilecti properabat amplexum.

28. Deinde nimia debilitate deficiens et suum exitum presenciens cum magna devocione peciit sacrosanctum christi corporis sacramentum. Quo sibi ab abbate et monachis reverenter portato, cum ipse prostratus ad terram debilis corpore fortis mente suo domino obviam cum lacrimis occurrisset, oblato sibi dominico sacramento, cum petitum fuisset ab eo, ut moris est, si crederet, quod illa hostia consecrata esset verus filius dei, qui exivit de utero virginis etc. libera voce et devote cum lacrimis ait : Si maior sciencia, quam fides de hoc sacramento in hac vita haberi potest, in illa respondeo, quod vere credo et pro certo scio, hunc deum verum esse et hominem, dei patris et virginis matris filium et sic credo animo et confiteor verbo. Et premissis aliis devotis verbis sumendo sacramentum predixit : Sumo te precium redemptionis anime mee[1] pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi ; te predicavi, te docui. Nichil unquam contra te dixi, sed si quid male dixi, ignorans dixi. Nec sum pertinax in sensu meo, sed si quid male dixi de hoc sacramento et aliis, totum relinquo correctioni sancte romane ecclesie, in cuius obediencia nunc transeo ex hac vita. In huius eciam sacramenti elevacione consuevit dicere : Tu rex glorie christe, tu patris sempiternus es filius etc. usque in finem cum magna devocione. Die alio petivit exeuncium sacramentum. Qui cum ad singulas sacre unctionis formulas respondisset, post paululum spiritum reddidit deo patri millesimo CCLXXIIII septima die marcii hora matutinali, et tam letanter exivit de corpore, quasi mirabiliter videbatur manere extra corpus.

29. In cuius transitus hora quidam illius monasterii monachus orans in ecclesia obdormivit. Et ecce visa est ab eo una stella miri splendoris super monasterium cadere, et due stelle combinate ad ipsam descendere et primam stellam ad celestia sublevare, que duarum stellarum videbatur splendorem attingere et magnitudinem adequare. Expergefactus autem a somno, cum audisset pulsari tabulam signum obitus eius qui tunc obierat, intellexit primam stellam signare eius animam, que celum cum aliis conscendit. Quedam eciam stella per modum comete tribus diebus ante eius obi-

1. Cod. Vat. addit : sumo te viaticum peregrinationis mee.

tum super monasterium visa fuit, quod cum ignoraretur, quid significaret, dum apparuit, ostendit illius doctoris obitum, dum cessavit[1]. Frater eciam paulus de aquila vir magne probitatis et fame, lector et inquisitor hereticorum existens neapoli vidit ymaginaria visione, ipso migrante, predictum doctorem ibi legentem in scolis coram scolarium multitudine copiosa et beatum paulum eius scolam intrantem cum societate sanctorum. Cui cum doctor descendens de cathedra vellet occurrere, apostolo ei innuente, quod legeret et prosequeretur quam ceperat lectionem, doctor rogavit apostolum, ut ei diceret, si habuisset verum de suis epistolis intellectum. Qui respondit : Bene sicut in hac vita homo vivens in corpore potest scire. Sed volo, ut mecum venias, et ducam te ad locum, ubi clariorem habebis de omnibus intellectum ; et videbatur ipsum per cappam accipere et ducere extra scolas. Ad cuius exitum dictus frater cepit fortiter clamare dicens : Succurrite fratres, succurrite[2] ; quo fratres excitati interrogaverunt, quid clamans in visione vidisset. Qui narravit eis totam per ordinem visionem. Qui horam notantes noverunt illam fuisse obitus sui horam.

Dominus ioannes de ferentino, supprior dicti loci visu oculorum totaliter carens, fecit se duci ad corpus eius. Ad cuius pedes cum reverencia et devocione prostratus applicavit se funeri, et ponens faciem suam super faciem eius oravit deum, ut illius meritis fieret ei restitutio luminis. Qui statim illuminatus clamavit : Benedictus deus, quia meritis huius sancti visus est mihi perfectissime restitutus.

30. Abbas autem et monachi tot visis sanctitatis indiciis, dolentes de tam subita eius morte et gaudentes se tantum meruisse patronum, solemnes circa sancti corpus exequias celebrarunt. Quibus interfuerunt plures fratres sui ordinis qui ad eum venerant visitandum. Et terracinensis episcopus frater minor[3] cum pluribus sui ordinis fratribus, et multi de campania nobiles, quorum plurimi attinebant eidem. Cum igitur funus cum cantu et reverencia ad

1. Jam Ptolomaeus de Lucca (hist. eccle. 22, c. 9) idem factum narrat.

2. Cod. Vat. addit : quia frater thomas a nobis tollitur ; ad cujus clamorem fratres excitati...

3. Bernardus Guidonis nuntiat nomen istius episcopi fuisse Franciscum. Gams autem (Series episcopor. 732) affert duos episcopos Terracinenses, quibus erat nomen Franciscus : alter ab anno 1263-1273, alter ab anno 1273-1295, quando translatus fuit ad sedem Avellinensem. Eubel (Hierarch. eccl. med. aev., I, 504) hanc assertionem probabilem habet.

ecclesiam portaretur, domina francisca neptis eius, que non audebat monasterium ingredi, ab abbate de gracia petivit, ut funus faceret deferri ad ostium. Quo viso ipsa cum aliis duabus fecit super[1] lugubre ex more lamentum. Quarum clamor et gemitus, cum longius personaret, mulus, cui doctor insederat, de stabulo se fracto fune dissolvit et nullo ducente appropinquans ad feretrum mortuus cecidit sine omni alia infirmitate. Delatum est demum ad ecclesiam corpus, in qua fuit venerabiliter tumulatum. Frater autem raynaldus de piperno, qui tocius vite sue meruit testis esse et socius pro sui commendacione[2] astantis populi surgens in medium predicavit et dixit : Ego istius doctoris tocius vite exterioris et consciencie testis sum et frequenter et nunc generalem ejus confessionem audivi. Quem ita semper purum repperi, sicut puerum quinque annorum, qui nunquam sue carnis sensit contagium, nec habuit in aliqua pravitate consensum. Post eius obitum die tercia frater raynerius maturus pisanus nostri ordinis vir admodum laboriosus et humilis, ei multum familiaris in vita, cum fuisset pre dolore obitus eius diucius ananie[3] lacrimatus, cogitans quod tanta sciencia fuisset amissa dormiensque post gemitum, vidit quod frater thomas exibat de sacristia indutus sacerdotalibus vestibus procedens ad altare cum ministris paratus ad missam, ipso fratre raynerio faciente more solito cantoriam. In qua cum doctor procederet vertens se ad populum post evangelium, solemniter predicavit. Quibus finitis redeunte eo ad sacristiam et choro toto fratrum ei devocius inclinante, cum idem frater raynerius in eum curiose intenderet, perpendit dictum doctorem dextrum oculum multo maiorem habere sinistro et incomparabiliter clariorem mirandique splendoris. De quo cum plurimum miraretur, dixit ei : De hoc fili miraris! quantam differenciam in me oculi dextri ad sinistrum perpendis, tanta est differencia sciencie, quam nunc in patria habeo, ad illam quam habui dum essem in vita.

31. Cogitans autem dictus abbas, quod cognitus erat locus sepulture ipsius et quod posset eis auferri, procurantibus fratribus sui ordinis per mandatum summi pontificis corpus eius, quod erat loco depositi dicto monasterio commendatum, occulte ipsum trans-

1. Cod. Vat. addit : funus.
2. Cod. Vat. recte habet : magistri et consolatione astantis populi.
3. Id est in urbe Anagni.

ferri fecit ad capellam sancti stephani iuxta claustrum. Cui apparens doctor in somnis ipsum graviter arguit, quod erat suo corpori in debita reverencia derogatum, et quod fratres sui ordinis essent decepti, qui locum in quo reverenciam redderent, in veritate nescirent, et comminatus est ei, nisi corpus suum ad priorem locum cito reduceret. Qui timens et volens nichilominus claustrales monachos hoc latere, acceptis capelle illius clavibus a domino blasio et assumptis duobus monachis extraneis et aliquibus oblatis accessit ad locum et patefacto sepulcro ferreis instrumentis, anno a die sue translationis, illuc tantus odor de eius sepultura subito exalavit, ut non sepultura defuncti hominis, sed apotheca aromatum visa sit patuisse. Qui tantus odor sic per monasterium se diffudit, quod nullo[1] indicante ad ipsum monachi divinitus excitati convenerunt et viderunt corpus eius integrum in membris et in pannis, cappa et caputio sui ordinis habitu, sicut fuerat ante positum in sepulcro, in nullo penitus immutatis, cum tamen eius corpus fuerat grossum et pingue et magnum et solum sepulture humidum et profundum. Quod videntes monachi, posito in lecto defunctorum sancti corpore et elevato, ut ad ecclesiam cum sollempnitate deferretur, ordinato prius, que cantare deberent, cantor alta voce incepit : Iste sanctus digne vertitur in memoriam hominum, qui ad gaudium transiit angelorum. Quod cum cantibus reverenter delatum, sepultum est iuxta altare maius in quadam tumba marmorea, et conventus cantavit missam de confessore. Cantor enim cum non precogitasset, quem introitum diceret, subito cantare cepit : Os iusti meditabitur sapienciam etc. Dum autem monachi ad refectionem ivissent, inter custodes alios sacri corporis, magister iacobus murator pro sepulcri paratura cum aliis ad custodiam mansit. Qui aperiens tabulam, qua capsa sacri corporis tegebatur, terram que circa pectus ejus ceciderat, recolectam eduxit, que magnum odorem reddidit, qui se per totum chorum cum fragrancia magna diffudit, ita ut omnes qui aderant, mirarentur, stupentes, quod non solum corpus sancti odorem redderet, sed etiam omnia, que adhesissent ei; unde quidam nobilis, qui pro habendis sancti reliquiis venerat, de illa terra partem aliquam secum detulit et pro suo sanctuario conservavit. Divina autem providencia in tali monasterio obiit ut tot sanctorum

1. Cod. Vat. addit : homine.

religiosorum fide dignum testimonium haberetur de miraculis sacri corporis eius, qui compellerentur clamantibus signis eius sanctitatis testes existere, qui videbantur[1] forte, ne videretur, quod clauresceret miraculis, occultare, ne propterea a fratribus sui ordinis peteretur corpus ipsius. Quibus eciam fratribus sui ordinis non fuisset creditum de frequentacione odoris, quin fuisset humana sagacitate suppositus, qui senciebatur tam mirabili suavitate diffusus, nisi inter manus tot testium fuisset aliis manifestus. Quarto decimo vero anno ab eius obitu dominus petrus, abbas dicti monasterii, rogatus a domina theodora, sorore sancti, ut ei daret de reliquiis manum dextram fratris sui, promittens hoc facere accessit ad sancti sepulcrum, et ferreis instrumentis vix elevato lapide sepulture et patefacto sacri corporis precioso thesauro, sicut prius inde magnus odor exivit. Ad quod sicut antea omnes monachi convenerunt et invenerunt corpus eius integrum in membris et in pannis sui habitus, sicut prius, excepta summitate nasi que modicum erat ex diuturnitate corrosa. Cuius dexteram, quam credebat ut putridam, posse evellere, compulsus est detruncare. Quam licet pre stupore mirabili pavidus, presumptuosus tamen ex devocione concepta, accepit et cum reverencia detulit ad sororem, que illam cum desiderio expectabat. Quam receptam devote cum lacrimis fecit diligencius conservari cum aliis reliquiis, quas habebat. Que usque hodie, sicut accepta fuit, integra sic apparet, que apud conventum salernitanum nostri ordinis, in quo est sepultum corpus dicte sororis eius, cum veneracione servatur. Quidam vero clericus dum de sancto non devote sentiret et devocionis causa a quodam capellano plures reverende reliquie monstrarentur dicente se adhuc preciosiores habere, sc. manum sancti thome de aquino, ilico eum derisiorie de his trufante, cum eas non curaret videre, sed diceret : sanctus non est, sed frater quidam ordinis predicatorum, tremor apprehendit et caput eius ad modum cuiusdam magne ciste grossum[1] sibi esse videbatur. Qui infirmitate correptus et penitens, dum veniam a sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum sancti deosculans, confestim a tremore et inflacione capitis liberatus est sensitque progredientem maximum ex illa manu odorem, qui odor, cum ipsius curati capucio personeque ex tactu manus eiusdem

1. Ita uterque codex. Probabiliter est menda pro : nitebantur.
1. Cod. Vat. addit : et valde ponderosum.

per magnum tempus inhereret, multis eumdem postea percipientibus et sciscitantibus quid esset hoc, narrare quod acciderat et nolens miraculum cogebatur. Fuit autem hoc XLII anno ab obitu dicti doctoris, quod et tunc adhuc cum odore dicta manus in sua integritate perdurabat excepto pollice, qui fuit alicuius devocione subtractus, extensa siccata et a suo colore triticeo iam mutata. Sensit eciam idem clericus cum odore, mentis in omni temptatione auxilium, ut quociens sensisset se ab adversario impugnari, eciamsi iam deliberasset in animo consentire, vocato dei auxilio et meritis dicti sancti, continuo se percepit ab omni periculo liberum et securum. Cum autem hoc miraculum fuisset domino thomasio de sancto severino, comiti marsici pluries ennarratum, laudans deum de miraculo, et cogitans quod a fratribus sui ordinis reverencius servaretur predicta manus, ipsam priori et conventui salernitano concessit cum reverencia conservandam. Ad quam venerandam devocione debita cum quidam frater devotus plurimum accessisset sperans, quod ab aliis audiverat, sentire suavitatis odorem, cum non sensisset, ut speraverat, iterum ad ipsam reverencius adorandam cum majori devocione se preparans sensit odorem mirabilem, cui similem non recoluit se sensisse. Quod miraculum priori suo et pluribus enarravit. Qui odor quia non sentitur ab omnibus, qui ipsam manum adorant, nec quociens adoratur, omni caret suspicione, quod non sit ille odor humano ingenio procuratus, quia et nullius alterius rei odori similis inveniatur. Referunt eciam qui ad adorandum accesserunt et alia sanitatis beneficia receperunt, quod idem miraculum de odore ad alias dicti sancti reliquias esset ostensum. Ex quo inolevit consuetudo devota, quod homines in suis operibus occupati in agris, quacunque infirmitate subito gravarentur, ad dicti sancti sepulcrum ire et eius meritis graciam invenire. Magister raynaldus, arte cyrurgicus, sed per decennium podagricus ita quod per se ire non poterat absque baculi vel hominis suffragio, se deo et beato thome devovens et procumbens iuxta tumulum eius, oracione facta, sanus prosiluit currens et deum laudans et sanctum suum. De quo miraculo monachi stupefacti pulsatis campanis : te deum laudamus solemniter cantaverunt. Petrus francisci de piperno oblatus dicti monasterii ex horribili quadam visione fantasmatis percussus pedibus manibusque contractus fuit et ore distortus et facie sensi-

bile[1] carens et omni virtute destitutus mortuo similis videbatur adeo ut igne membris eius admoto non sentiret, portatus ad sancti tumulum, post morulam liber et sanus surrexit. Qui statim relicto seculo factus est conversus dicti monasterii conversacione devotus. Iacobus romanus habitator piperni, cum haberet filium puerulum nicolaum paraliticum in sinistro latere, in quo motum amiserat naturalem, concepta devocione ad sanctum thomam, filium suum super eius sepulcrum orando cum lacrimis collocavit, donec missa a monachis cantaretur. Qua finita filium de sepulcro sustulit perfecte curatum agens gracias deo et sancto suo. Dominus nicholaus angeli de piperno paciens artheticam in brachio dextro, ita quod nichil cum ipso poterat operari, concepta devocione ad sanctum thomam, accessit ad ejus sepulcrum cum plena fide. Super quod dum orans deum sancti meritis graciam implorasset, posito super sepulcrum infirmo brachio, subito fuit sanitati pristine restitutus. Thomasius iuvenis de piperno infectus lepra, nondum a societate hominum separatus, cum devocione ad sepulcrum sancti thome accessit eius meritis confisus. Iuxta quod cum, pia dissimulacione, permisissent eum monachi pernoctare, de nocte ei dormienti sanctus thomas apparuit dicens : Quid petis a me? Qui cum respondisset : peto a deo tuis precibus et meritis liberari. Sanctus respondet ei : Surge et esto sanus. Qui evigilans cum gaudio reperit se sanatum gratias agens deo et sancto thome[2].

1. Cod. Vat. : sensibus.

2. Guillelmus de Tocco multa plura miracula affert quam noster Calo. Praesertim addit miracula, « quae in prosecutione cannonizationis ejus (Thomae) divinitus contigerunt fratribus quibus commissa fuit inquisitio de miraculis a Deo meritis ejus factis » (apud Bolland c. XIII). Si Calo cognovisset ista miracula atque processum cannonizationis, certo de illis locutus fuisset. Bernardus Guidonis qui paulo post cannonizationem S. Thomae ejus vitam scripsit, quam plurima ex Tocco et processu cannonizationis depromit. Nihilominus maxima, licet non universalis, conformitas inter nostrum Calo et *priorem partem* (usque ad. cap. XIII) vitae a Tocco exaratam existit. Quomodo haec explicari possunt? Duae hypotheses occurrunt : prima : Calo et Tocco ex communi fonte nobis ignoto hauserunt. Altera : aut Calo legit primam partem vitae a Tocco conscriptae illamque cum quibusdam mutationibus et additionibus iterum in lucem dedit, aut Tocco legit vitam a Calo compilatam atque adjunxit ea, quae repperit ex utroque processu inquisitionis praevio cannonizationi. Ut candide meam opinionem de hac re proferam dico :

1° Calo non legit totam vitam a Tocco scriptam sicuti illa invenitur tum apud Bollandianos tum in codicibus manuscriptis hodie notis. Secus enim certo non omisisset ea, quae notatu valde digna enarrantur in capitulo XIII et seqq. Quandoquidem ipse praefatur in prologo Legendarii sui : « Quoniam sunt plurimi sanctorum illustrium discipulorum Christi vel apostolorum, martyrum, confessorum ac virginum, de quibus

nihil omnino est in usitatis legendis, ideo in presenti opere intendo plenius ponere de premissis, sicut in libris monasteriorum vel ecclesiarum et diversis historiis potui perfectius invenire, NIL DE SENTENTIIS ABREVIANS VEL DETRUNCANS preterp rologos et superfluitatatem verborum ».

2° Calo scripsit ante a. 1223 hanc biographiam, secus mentionem fecisset S. Thomae cannonizationis quae hoc anno facta fuit.

3° Calo et Tocco ex iisdem fontibus hauserunt, qui forsan sunt « historiae » quas memorat Ptol. de Lucca c. 22-28, aut narrationes fr. Reginaldi socii S. Thomae, aut alterius biographi, de quo sermo est supra n. 24 : « Quidam frater cum cepisset mente sollicitus et affectione devotus cogitare, quomodo posset convenienter texere plenariam ystoriam dicti sancti... » Bollandiani notant ad hunc locum, qui etiam in biographia a Tocco conscripta habetur, illum fratrem esse ipsum Guillelmum de Tocco, sed hoc mihi videtur haud verisimile. Etenim tum Calo tum Tocco eandem visionem retis argentei narrant, sed prorsus diverso modo finiunt narrationem. His verbis concludit Calo : « quia ejus doctrina in veritate prefulsit. » Tocco autem iisdem verbis addit : « et dominus noster Summus Pontifex dum ipsam in conspectu et affectu quasi in Rationali judicii habuit factam potestatem cannonizationis titulo approbavit. » Codices manuscripti tum Burn. tum Florent. tum Vatican. paulo aliter quidem textum reddunt, sed omnes videntur alludere ad cannionizationem S. Thomae. Ex quibus haud obscure sequitur, ut tum Calo tum Tocco legerint « ystoriam fratris. » Calo autem nihil dixit de cannonizatione, quia scripsit ante ipsam. Tocco vero redigens aut perficiens Thomae biographiam postea eam indicavit. Si ille « quidam frater » fuisset Guillelmus de Tocco, dicendum est ipsum scripsisse duas biographias S. Thomae : alteram quam legit Calo ante cannonizationem, alteram quam non cognovit, et quae nunc invenitur apud Bollandianos et in pluribus Codicibus manuscriptis post cannonizationem. Caeterum alio in loco disseram de biographia a Tocco exarata. Sufficit nunc me demonstrasse nostrum Petrum Calo non exscripsisse vitam Toccianam.

VITA S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

GUILLELMO DE TOCCO

PROLOGUS

Pauca verba praefari liceat 1° de vita et gestis Guillelmi de Tocco; 2° de relatione inter illum et Bernardum Guidonis; 3° de manuscriptis continentibus opus a Guillelmo perfectum.

I° DE VITA ET GESTIS GUILLELMI DE TOCCO

Perpauca ad nos pervenerunt de vita gestisque Guillelmi de Tocco, cujus diem et nativitatis et mortis ignoramus. Illum duxisse ortum ex nobilissima familia de Tocco nonnulli historiographi asserunt[1], sed forte nec etiam alienum a vero erit dicere illum sumpsisse nomen ab urbe natali Thocum vel Thucum, quae parum distat a Benevento.

Sicut enim vocatur Thomas de Aquino, Franciscus de Assisi, Vincentius de Bellovaco a conventu vel loco natali, ita etiam noster Guillelmus vocatus est de Tocco a loco suae originis. Caeterum nil certi de hac re dici valet. Ipso Guillelmo testante[2], scimus eum fuisse auditorem S. Thomae docentis Neapoli (a. 1272-1274). A diffinitoribus « provinciae Regni Siciliae comitia habentibus Cajetae » electus fuit, qui nomine provinciae et ordinis instaret pro cannonizatione Thomae Aquinatis apud Johannem XXII Avenioni residentem. Erat tunc Prior con-

1. Cfr. Ughelli, Italia sacra, t. I, col. 281; Quétif et Echard, Scriptor. ord. Praed., I, 552; Franciscus de Petris, Historia genealog. Toccorum, Neapoli, 1654.

2. In primo processu inquisitionis de vita et miraculis S. Thomae testatur Guillelmus d. 4 Aug. 1319 se vidisse Thomam « scribentem super librum de generatione et corruptione, quod credit fuisse ultimum opus suum in philosophia ». (Process. inquis. n. 58.)

ventus Beneventani. Exinde indefesso labore ac summa dexteritate hoc sibi commissum munus prosecutus est atque perduxit ad felicem finem. Iter agens ad urbem Avenioni vehementissimum naufragii periculum apud Montem Argentorarium evasit, precibus — ut dicit — S. Thomae pro cujus cannonizatione laboravit. Postquam venit ad Curiam Summi Pontificis, ita sollerter egit, adjutus quidem a tribus Cardinalibus ex Ordine Praedicatorum assumptis, sc. a Nicolao de Prato, episcopo Ostiensi et sacri senatus decano, a Guillelmo Petri de Godino, a Nicolao de Freauvilla, ut Johannes XXII cannonizationis processum inchoandum statuerit ac statim ad hoc munus delegaverit archiepiscopum Neapolitanum Umbertum[1], episcopum Viterbiensem Angelum[2] ac Pandulphum de Sabello notarium Apostolicae sedis. Qui quidem tres viri injunctum munus perfecerunt, accitis duobus notariis Petro Joannis de Rocca-Tarani et Francisco de Laureto, Neapoli anno 1319 a die 23 Julii ad 18 Sept. Inter testes auditos etiam noster Guillelmus adest. Cum autem in hoc processu plura miraculosa facta S. Thomae fuissent praetermissa, Guillelmus denuo iter arripuit in Galliam ac d. 1 Jun. 1321 obtinuit a Summo Pontifice litteras, per quas novus processus inquisitionis peragendus a Petro[3] Anagniae, ab Andrea[4] Terracinae episcopis, et a Pandulpho de Sabellio fuit indictus. Qui quidem processus locum habuit in monasterio Fossae novae a die 10 ad diem 26 nov. 1321, praesente nostro Guillelmo. Postquam acta utriusque processus serio examinata fuere in Curia Summi Pontificis, tandem die 18 Julii 1323 Johannes XXII sollemniter publicavit Bullam cannonizationis S. Thomae Aquinatis. Cum Guillelmus de Tocco ipse testetur se vidisse S. Thomam, cumque vocetur d. 4 Aug. 1319 in primo processu inquisitionis (n° 58) « antiquus religiosus », mirum est quod senex tot

1. Humbertus de Montauro rexit ecclesiam Neapolitanam 1308-1320 (Gams, Series episcop. 905).

2. Angelus Tignosi episcopus Viterbiensis fuit 1318-1343 (Gams, l. c. 737).

3. Petrus Ferri episcopatum Anagniensem obtinuit 1318-1343 (Gams, l. c. 636).

4. Andreas sedem episcopalem Terracinensem occupavit 1319-1326 (Eubel, Hierarchia cathol. medii aevi, I, 54).

durissima itinera perficere potuerit pro cannonizatione S. Thomae obtinenda. Verisimile est illum non diutius post annum 1323 vixisse, sed quo anno et loco mortuus sit, ignoramus.

2° DE RELATIONE INTER GUILLELMUM DE TOCCO ET BERNARDUM GUIDONIS

S. Thomae Aquinatis vita conscripta a Guillelmo de Tocco tum clarissimis viris Quétif et Echard[1], tum Bollandistis[2], tum caeteris omnibus semper visa fuit fons, ex quo Bernardus Guidonis, episcopus Lodevensis, hauserit suam historiam vitae S. Thomae. Primus Ios. Endres[3] contendit Bernardum scripsisse hanc historiam ante cannonizationem S. Thomae atque Guillelmum de Tocco fere nihil aliud perfecisse, quam hanc historiam bene et concise a Bernardo conscriptam exornare reflexionibus mysticis, quae haud raro sat insulsae apparent. Iam supra p. 9 concussi argumentum allatum ab Endres de historia scripta a Bernardo ante cannonizationem. Videamus nunc argumenta quibus cl. auctor nititur probare alterum assertum, sc. Guillelmum de Tocco exscripsisse Bernardum Guidonis illumque exornasse solis reflexionibus mysticis. Affert quaedam exempla :

Bernardus Guidonis.

« Dum adhuc thomas esset lactens infantulus et more infantis pannis involveretur in cunis, contigit quadam vice, dum causa balneandi ipsum nutrix solvisset, ipse infans extendens manum suam quandam cartulam divino nutu repertam de terra, nullo sibi innuente, suscepit... »

Guillelmus de Tocco.

« Contigit praedictam matrem suam in civitate Neapoli, de qua originem traxerat, ire ad balneum cum aliis dominabus et praedictum puerum cum ea portari per nutricem. Quem cum nutrix posuisset in consueto loco balnei ad sedendum, puer cartulam parvulam divinitus repertam in eodem loco, nullo jubente, suscepit... »

Guillelmus de Tocco idem factum narrat, quod Bernardus Guidonis. Solummodo addit hoc factum contigisse in civitate Neapoli, de qua originem traxit S. Thomae mater, quae cum

1. Scriptores ord. Praed., I, 552.
2. Acta SS. Mart., t. I, 657.
3. Histor. Iahrbuch (1908), p. 538.

aliis dominabus ad balneum ivit. Nihilominus Endres asserit extra dubium poni Guillelmum hic exornasse ad instar stili Roccoco simplicem narrationem Bernardi[1]. Iudicet lector num revera haec assertio extra dubium sit posita.

Quam leves sint rationes ab auctore allatae, luce clarius apparet ex alio ejus exemplo :

Bernardus Guidonis.

« Cum itaque electus a Deo juvenis servatur in custodia carceris, lux divina in tenebris sibi illuxit in mente ; nam multa ibidem perlegit, didicit et memoriae commendavit. »

Guillelmus de Tocco.

« In tali autem carcere juvene diligentius coarctato, quamvis privato lumine et exitus libertate, lumen ei in tenebris affuit et in vinculis plus libertatis invenit. Qui cum arctabatur in corpore, solvebatur in mente, cui tantum spiritualis intelligentiae radiis Deus miserator illuxit, quod ibi Bibliam perlegit et textum Sententiarum didicit et tractatum Fallaciarum Aristotelis, ut dicitur, compilavit. »

Eo usque procedit Endres[2] ut audeat Guillelmum manifestae contradictionis insimulare in hoc loco. Etenim Guillelmus primo narrat, Thomam fuisse inclusum in tenebroso carcere, et deinde asserit eundem Thomam nihilominus plura legisse et scripsisse. Numquid quis legere et scribere potest in carcere tenebroso? — Sane ista sunt quisquiliae. Numquid Guillelmus dixit carcerem Thomae fuisse ita tenebrosum, ut nunquam ullum lumen sive naturale sive artificiale ibi micuerit? Numquid juvenis Thomas per totum annum aut etiam forte per biennium in tenebris Aegyptiacis degere vivereque potuit? — Sed haec sufficiant. Ex dictis jam satis superque constat argumenta adducta pro thesi cl. Endres esse prorsus futilia. Guil-

1. « Ein eklatantes Beispiel, bei dem die Ausschmückung durch Wilhelm über allen Zweifel erhaben ist, bildet der Bericht beider Autoren über die bekannte Anekdote, dass Thomas als Kind während des Bades hartnäckig ein Zettelchen, auf dem das Ave Maria verzeichnet war, in sein Händchen schloss. Bernardus erzählt schlicht und einfach, wie die Amme den Säugling, natürlich zu Hause, baden will. Er wehrt sich energisch gegen die Abnahme des Zettels... Wilhelm hat die Szene mit der Virtuosität eines Rokoko Künstlers ausgemahlt. Aus dem einfachen häuslichen Kinderbad macht er eine grosse öffentliche Action. Die hochgeborene Gräfin begibt sich, natürlich in der Stadt Neapel, ins Bad, begleitet von anderen Damen. Der Kleine wird von der Amme mitgetragen. Und nun wickelt sich die Szene in völlig geänderter Staffage ab. »

2. *Ibid.*, pag. 546.

lelmus neque exscripsit, neque exornavit Bernardum Guidonis. Exinde tamen nondum licet concludere, Bernardum Guidonis nihil aliud praestitisse quam paucis verbis comprehendere eadem, quae Guillelmus longo sermone narravit. Etenim licet mira concordantia non solum realis sed etiam verbalis inter tres antiquissimos Thomae biographos, sc. inter Petrum Calo, Guillelmum de Tocco, Bernardum Guidonis aliquando existat, tamen ex alia parte haud parvae differentiae inter illos manifeste apparent, quas quidem suis locis semper indicabo. Quapropter jam supra p. 55 tamquam hypothesim valde probabilem statuimus, tunc temporis extitisse communem fontem, ex quo omnes antiqui biographi Thomae hauserint. Qui quidem communis fons sunt aut « historiae », quarum mentionem facit Ptolomaeus de Luca[1], aut narrationes fr. Reginaldi socii S. Thomae, aut documenta illius fratris, de quo narrat Petrus Calo (supra n. 25, pag. 45) dicens : « Quidam frater, cum cepisset mente sollicitus et affectione devotus cogitare, quomodo posset convenienter texere plenariam ystoriam dicti sancti. »

3° DE MANUSCRIPTIS CONTINENTIBUS OPUS A GUILLELMO DE TOCCO CONFECTUM

Vitam S. Thomae a Guillelmo de Tocco conscriptam typis mandaverunt Bollandiani[2] juxta codicem manuscriptum Crucigerorum Coloniensium. Qui quidem codex quam plurimis

1. Histor. eccl., 22.
2. Acta SS. mens. Martii, t. I, 659 sqq.
3. Nullus quidem codex vetus manuscriptus expressis verbis dicit historiam, quam infra dabimus, esse revera conscriptam a Guillelmo de Tocco, sed nihilominus ad unum omnes auctores admittunt hoc. Thomas Malvenda t. I Annalium Praedicatorum ad annum 1237 pag. 594 asserit, se incidisse in volumen vetustissimum, quod vitam et miracula S. Thomae continebat, auctore Guillelmo de Tocco, qui, ut inscriptio praeferebat, ipsum Thomam in vita sua vidit et audivit docentem et praedicantem. Quae autem a Malvenda citantur ex hoc volumine vetustissimo, subinde eisdem plane verbis narrantur ac in historia, qnam infra proferemus. Nonnullae tamen discrepantiae etiam adsunt : caeterum cum — quantum scio — nemo hucusque negavit historiam istam esse compositam a Guillelmo de Tocco, non est cur multum sistamus in probatione alicujus veritatis ab omnibus admissae. Non raro accidit, ut veteres auctores prae modestia reticeant nomen suum in operibus confectis. (Cfr. Acta SS., *l. c.*, 656.)

mendis conspersus est, ita ut cl. P. Denifle b. m. jam mihi dixerit operae pretium esse novam editionem hujus vitae juxta meliores codices procurare. Ubinam manserit codex Crucigerorum Coloniensium non potui invenire, licet diu et diligenter quaesiverim. Verisimile est illum totaliter periisse. Dum codices manuscripti veteres continentes S. Thomae vitam a Bernardo Guidonis conscriptam sunt satis frequentes (fere viginti jam inveni), multo rariores sunt veteres codices in quibus reperitur vita a Guillelmo de Tocco exarata. Hujusmodi codices in Anglia, Germania, Gallia, Belgio, Hollandia, Austria et Italia non inveni, nisi sex sequentes.

1) *Codex Burneianus.* N° 349 Londini in « British Museum » mihi videtur esse omnium melior et forte etiam antiquior. Est pulcherrimus codex membranaceus optime conservatus, excepto uno alterove folio in fine (260 $\times$ 190 mm.). Continet 1. vitam Sancti Wilhelmi confessoris quondam militis et ducis Aquitaniae, qui anno dominicae incarnationis 1156[1] obdormivit in Domino, auctore Theobaldo quodam (fol. 1-37); 2. vitam S. Elisabethae de Thuringia, auctore Theodorico de Thuringia (fol. 37-76); 3. vitam S. Thomae Aquinatis, auctore Guillelmo de Tocco (fol. 76-126). Magna cum diligentia S. Thomae vita transcripta est, ita ut quantum ad puritatem scriptionis iste codex omnes alios antecellat. Scriptor diligenter notat in margine (caracteribus valde parvis), si ipse non valuit cum certitudine legere originalem codicem, de quo transcripsit. In fine autem notat : « Non inveni plus in exemplari, quam hucusque. » LXX capita enumerat et rubro colore cuique capiti summarium praeponit sat pulchris adhibitis initialibus. Post septuagesimum autem caput cessat numerare, sed nihilo secius colore rubeo praemittit summaria capitum. Codex Burneianus videtur esse conscriptus medio saeculo XIV.

2) *Codex Florentinus* (Conventi soppressi I, VII, 27) ex conventu S. Marci ad Bibliothecam Universitatis transsumptus fuit.

1. Vita ista impressa est typis inter Acta SS. mens. Februar., t. II, p. 459 sqq. Iste S. Wilhelmus non est confundendus cum alio Wilhelmo, qui vixisse videtur tempore Caroli Magni.

Continet 1. vitam S. Catharinae Senensis contractam ex ampliori fratris Raymundi de Vineis Capuani a fr. Thoma Antonio Senensi[1]. In fine notatur : « Hanc legendam cum bulla cannonizationis fecit scribi Symon de florentinis in conventu panormitano insule sicilie anno dom. 1464 ex eleæmosynis a diversis personis collatis. » — 2. Vitam S. Thomae Aquinatis a Guillelmo de Tocco conscriptam. In fine leguntur : « Hanc legendam S. Thomae ego fr. Symon de bertis de florentia emi a fratre Iohanne bittalone theologiae professore de conventu s. dori de panormo insule trinacrie pro sex carlinis anno domini 1465, dum essem prior in dicto conventu panormitano. » — Iste codex Florentinus videtur esse conscriptus paulo ante medium saeculum XIV, sed neque cum tanta diligentia est transcriptus, neque ita bene conservatus est, quam codex Burneianus.

3) *Codex Vaticanus* (Bibl. Vat. lat. 10150) ex conventu Dominicano urbevetano provenit et ante aliquot annos a cl. P. Ehrle, Bibliothecario acquisitus fuit pro bibliotheca Vaticana. Est membranaceus, sicuti duo praecedentes codices et scriptus est versus finem saeculi XIV (210×290 mm.). Continet praeter vitam S. Thomae a Guillelmo de Tocco conscriptam « privilegium cannonizationis », novem lectiones tum pro principali festo Angelici Doctoris, tum pro festo translationis reliquiarum. Insuper adduntur lectiones pro festo Corporis Christi, « ystoria de corpore Christi edita a venerabili et egregio doctore sacrosancte romane ecclesie S. Thome de acquino ordinis predicatorum, de mandato urbani quarti », sermonem S. Thomae in festo Corporis Christi, lectiones pro quibusdam aliis festis et demum vitam S. Euphraniae virginis. Etsi iste codex sit junior codicibus Burneiano et Florentino, atque plura in illo desint, ut suis locis indicabitur, tamen optime conscriptus est et haud raro accuratior est, quam codices praecedentes.

1. Thomas Antonii de Senis singulari spiritualique necessitudine conjunctus fuit cum S. Catharina Senensi. Cfr. de illo Quétif et Echard, Scriptores ord. Praed., I, 780.

4) *Codex Monacensis* (Bibl. reg. Monac. 14547; Catal. IV, p. 191) continet primo historiam trium regum (fol. 1-74); deinde vitam S. Thomae Aquinatis a Guillelmo de Tocco conscriptam (fol. 77-143), deinde plures alias legendas. Saeculo XV scriptus fuit.

5) *Codex Viennensis* (Bibl. convent. Benedictinorum Scotiae cod. 318; in catalog. ab Hubl. confecto p. 347) valde similis est in omnibus codici Monacensi.

6) *Codex Trevirensis* (Bibl. urbis catal. ms. 310) est codex papyraceus saeculi XV exeuntis et continet praeter diversos sermones, librum de universo malo totius mundi per jacobum doct. exim. ord. Carthus.; deinde vitam S. Elisabethae Thuringensis et postea vitam S. Thomae Aquinatis a Guillelmo de Tocco exaratam. Cum sat magna sollertia conscriptus est iste codex, sed cum sit ita recens, non habet tantum valorem ac codices tres priores.

Existunt adhuc plures codices, qui continent vitam S. Thomae a Tocco conscriptam, sed plus minusve in compendium redactam e. gr. Ultrajecti ad Rhenum (Bibl. Univ. cod. 395) Karlsruhe in Badenia (IV, 379), Neapoli (Bibl. nat. cod. VIII, B. 9. fol. 93-98); sed omnia ista compendia sunt parvi valoris historici, cum sint recentiora neque semper concinne elaborata.

Typis mando codicem Burneianum, qui mihi videtur purior omnibus, Variantes tamen noto ex codice Florentino et Vaticano. Aliquando etiam, ubi sunt Variantes majoris momenti, notabo textum apud Bollandianos impressum.

PRÜMMER.

Scribebam Friburgi Helvetiorum d. 20 Dec. 1912.

Prohemium de hystoria beati thome de aquino ordinis fratrum predicatorum. Et primo de necessitate institutionis ejusdem ordinis et ejus commendatione.

Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, modernis temporibus, quasi ad mundi vesperam, cum videbatur in suis manibus lumen suae notitiae abscondisse; novi luminis radiis iterum Ecclesiae miseratus, illuxit : et quot Doctoribus fideles suos noviter docuit, quasi tot syderibus mundum mirabiliter illustravit. Nam cum illa Dei Sapientia, Verbum Patris, manifestata fuisset in carne, ut omnem hominem illuminaret in mente, et prima dispensatione immediate Apostolis illuxisset, posita sunt per eos prima fidei fundamenta, sicut de ore Domini, quasi de lapidicina totius Ecclesiae sunt excisa : a quibus velut a clipeis aureis, ab ipso sole justitiae illustratis, secunda dispensatione divini Verbi, Doctores Ecclesiae quasi montes divinae speculationis altissimi splenduerunt. Qui, sicut exigebat errorum diversitas, et suadebat veritas fidei inspirata; de utriusque Testamenti velamine intelligentiam in apertam notitiam educentes, quot libros Spiritu sancto[1] revelante, scripserunt, quasi tot turres cum propugnaculis adversùs haereticorum machinas fabricaverunt. Qui velut Joseph providentiam imitantes, de veteris et novi Testamenti segetibus excussa frumenta divini eloquii, quasi in quibusdam horreis, collegerunt in libris. Quae cùm non essent ita parata fidelibus, ut satores divini seminis de facili educta de horreis in agro dominico seminarent; providit Deus, ut tertià dispensatione Ordini Fratrum Praedicatorum divini verbi fieret commissio : qui ab occidentis mundi hyspanie partibus, in quibus corporale lumen solis occumbit, in suo Patre beato Dominico, qui ipsum instituit, divinitus praevisus incepit. Cui concessum est, Spiritu edocente, de obstrusis favis sacrae Scripturae divini eloquii mella exprimere, et utiliora fidelibus, quasi fructum nuclei de testa difficilioris litterae, per apertiorem intelligentiam demonstrare : et de Doctorum libris, quasi repletis horreis educta frumenta eo et cribrata subtilius, utiliora iterum in libris colligere, quo facilius poterat per lucidiorem doctrinam fidelibus utilitas

1. Cod. Flor. om. sancto.

provenire. Hic est ordo stellarum manentium in voto professionis obedientiae, quae adversùs siceram[1] haereticorum aciem pugnaverunt : quae vocatae dixerunt, assumus ad nutum praecipientis Ecclesiae, ad destructionem pravitatis haereticae, et diffusionem lucidae et elimatae doctrinae. Qui ut promissum acciperet usque ad finem seculi perdurandi ei et ejus Patri, qui ipsum instituit, prophetice dicitur : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non deficient de ore tuo, et de ore seminis tui amodo et usque in sempiternum. Quia quod verbum praedicationis cùm in hâc vitâ in fine mundi cessaverit; in laudis praeconium in futurâ transibit. Unde et praedictus Ordo in similitudinem matutini et vespertini sideris convenienter accipitur, quia inter Ordines predicantium[2] in principio praedictae illuminationis, institutione et praedicatione primus apparuit, et ultimus pro testimonio fidei predicando manebit.

De ortu sancti thome quod fuit prophetatus. (C. I.)

Oportebat autem in hoc novi luminis Ordine luminare aliquod prae ceteris refulgere doctrine et ideo de ipso prae aliis clarior stella praefulsit Ecclesiae, qui velut splendida et matutina in aurora praedictae illuminationis apparuit, et quasi vesperus[3] serotini temporis usque in finem seculi mundum illuminans in suis libris pro fidelium illuminatione remansit. Hic est venerabilis doctor beatus Thomas de Aquino frater praedicti ordinis Praedicatorum, de nobili comitum genere, de domo Aquinorum, de regno Siciliae genitus, ampliùs morum, vitae et scientiae claritate conspicuus, quam progenitorum nobilitate praeclarus. De quo doctore futuro mirabili ut praesciretur divinitus, quantum luminis natus mundo splendorem effunderet; premonstratus est ante de matris utero nasciturus, quam mater ejus sciret, quod in suo utero esset in veritate conceptus. Cum enim mater ejus Domina Theodora, tam morum quam genitorum claritate conspicua, esset in castro Roccae-siccae in confinio regni Campaniae, venit ad eam in spiritu frater, Bonus nomine, melior vitâ et religione, qui diu cum pluribus aliis in monte dictae

1. Sic omnes codices. Bollandistae habent : « adversus Sisaram, id est haereticorum aciem ».
2. Bollandistae habent : « mendicantium ».
1. Cod. Flor. vespertinus. Tota phrasis est omnino alia apud Bollandistas.

Roccae eremiticam vitam duxerat, et qui sanctus reputabatur ab hominibus regionis illius, et dixit : Gaude, Domina, quia tu es praegnans, et paries filium, quem vocabis Thomam : et tu et vir tuus cogitabitis eum facere monachum in monasterio montis Casini, in quo corpus B. Benedicti quiescit, habentes spem ad magnos ipsius monasterii reditus pervenire, per ipsius promotionem ad apicem prelaturae[1] : sed Deus de ipso aliter ordinabit, quia erit Frater Ordinis Praedicatorum, tantae claritatis in scientiâ et sanctitatis in vitâ, quod in mundo sibi similis suo tempore non poterit inveniri. Cui respondit praedicta Domina : Non sum digna talem parere filium, faciat Deus suae beneplacitum voluntatis. Quod totum ut prophetice fuerat dictum est veraciter adimpletum. Nam statim secuta est apparens matris foecunditas; natae prolis jocunditas, cum impositione praedicti nominis, sicut continebat praedicta series visionis, ut non dubitarentur cuncta impleri in puero, quae praedicta fuerant in promisso.

De signis quae apparuerunt in pueritia predicti sancti et de auxilio corporalis ejus custodiae. (C. II.)

Et quia praemonstranda erant in puero divinitus praesagia futura etiam corporalis vitae custodia, qui praeservandus erat semper in mente; praetereundum non reputo, quin et illud scribatur, quod in suae vitae principio dicitur divinitus accidisse. Nam in dicto castro, cum subito horrenda tempestas fuisset exorta in aëre, fulgur turrim exterruit (exc'ruit), et sororem dicti pueri, quae dormiebat in turri, et equos, qui erant in stabulo, interemit. Mater vero, quae de puero magis quam de filia erat sollicita, ad lectum, in quo nutrix cum puero dormiebat, tremebunda pervenit, quae sanum ipsum cum nutrice inveniens, Deo gratias reddidit : qui paullatim in puero complere, quae promiserat, inchoabat.

De cartula salutationis virginis gloriosae, quam puer divinitus receptam accepit et retinuit manu clausa. (C. III[2].)

Dignum etiam arbitror celebri retinenda memoriâ et indelebili

1. Cod. Flor. per ipsius vestri filii apicem prelature.
2. Cod. Flor. De cartula cum salutatione virginis quam miraculose invenit et accepit.

annotanda scripturâ, quae totius praedicti pueri praesagia viderentur fuisse infantie gratiae divinae futurae. Nam contigit praedictam matrem suam in civitate Neapoli, de qua originem traxerat, ire ad balneum cum aliis Dominabus et praedictum puerum cum eâ portari filium per nutricem. Quem cùm nutrix posuisset in consueto loco balnei ad sedendum, puer cartulam parvulam divinitus repertam in eodem loco, nullo iubente, suscepit, quem cum nutrix vellet exuere, et ejus manum, in quâ tenebat cartulam aperire, puer coepit fortiter ejulare : cui nutrix compatiens, clausam manum habentem puerum balneavit, abstersit et induit, et ad domum unâ cum matre clausa manu portavit. Cujus mater cùm clausam manum aperuisset filii, quantumcumque puerulus ejularet, reperit in manu ejus cartulam nihil aliud continentem, nisi Ave Maria, salutationem Virginis gloriosae. Conveniens enim fuit divinae providentiae, ut praemonstraretur in puero quod[1] futurum erat postmodum in Magistro, ut praesciretur, quam salutarem doctrinam jam vir sanctus deberet effundere, quem cartulam continentem nostrae salutis initium, non nisi divino ductum Spiritu, contigit invenire. Ex tunc vero inolevit puero praedicto mirabilis consuetudo divinitus indita, non ex frequentiâ actus similis acquisita : quod, quoties, puer ex quacumque caussa in fletum incideret, nullo nutricis applausu a fletu quiesceret, donec cartulam scriptam puer gemebundus haberet : quam acceptam statim in ore ponebat. Ubi divinitus praemonstrabatur in puero, quam discreta ruminatio Scripturarum in ipso debebat praecedere, quas scribendo legendo disceret : et quantum saporem dulcedinis Doctor sensurus erat, dum disceret : ac quantum aliis gustandum relinqueret, dum scribendo dictaret : ut videretur esse quasi miranda quaedam apis docta divinitus, quae de diversis floribus Scripturarum veluti volatu studii verba mellea divinae scientiae, quasi in favis, in suis libris colligeret, et exprimenda toti Ecclesiae ore doctissimo in suo alveario sigillaret. Hic est, cui de manu Angeli liber porrigitur, quem prae meditatione discretionis quasi masticando, sicut Ezechieli mandatur, comederet : et pro velocitate inveniendi, quae disceret, sicut in Apocalypsi Joannis dicitur, devoraret : quia in libro veteris Legis, quasi masticatione discernendus fuit sensus a littera : in novo vero divina sacramenta fidei sic mani-

1. Cod. Flor. quid.

feste fuerunt proposita veluti statim aperto animi ore voranda, in quibus sufficienter eruditus Doctor iste mirabilis, infusa luce novit vetera, quasi comedendo discernere, et nova devorando monstrare.

Quod parentes sanctum puerum nutriendum obtulerunt in monasterio Montis Cassini. (C. IV.)

Deinde parentes ejus puerum faciunt cum omni diligentia enutriri sicut tales parentes decuit, et puerum mirabilem, quem prophetia promiserat, et gratia tam festiva monstrabat. Quem sic enutritum libenter Deo offerunt, et quinquennem ad monasterium praedictum montis Cassini per nutricem cum bona societate transmittunt, in quo sanctis instrueretur moribus, divinis illuminationibus praeparandus. Hoc factum est divino ordinante consilio, ne tam utile luminare Ecclesiae nutriretur in tenebris, et tam spectabile sanctitatis exemplar noxiis nutriretur moribus cum mundanis : quod totum ex fideli narratione matris eius est habitum, quae etiam exemplis sanctitatis claruit, et vitam cum laudibus felici morte finivit. Cum autem praedictus puerulus cœpisset in dicto monasterio sub disciplina Magistri[1] diligentius educari, ad futuri profectus certum indicium in aetate tam tenera et scibilium nescia, qui necdum se scire poterat, miro modo Deum adhuc nesciens, divino ductus instinctu scire quaerebat. De quo futurum erat, ut dum sic anxius et maturius aliis Deum quaereret, clarius prae ceteris, quae scire futurus erat, scriberet, quae studiosius et citius inveniret. Parvulus autem a nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, ut moris erat patriae, se frequentius absentabat : habens in manu cartulam, continentem in scripturis prima addiscentium puerilia rudimenta. Erat autem praedictus puer non verbis garrulus, sed meditari intra se jam incipiens taciturnus : non dissolutus et vagus discursibus, sed ab omni puerili levitate quietus, et, ut ostendere adhuc poterat, in oratione devotus : ut jam in eo novitia aetas ostenderet, quae postmodum provecta monstraret. De quo cum predicta matri dicerentur ad

1. In Cod. Flor. hic notatur in margine : « habitum est a fratre Nicholao de Perusio antiquiori. » Non ita apparet, utrum haec narratio habita fuerit a Nicolao de Perusio, an iste Nicolaus fuerit primus magister pueri Thomae.

gaudium, mirabatur de puero, conferens in corde suo, et sperans impleri de filio, quae praedicta fuerant pronuntiante in promisso.

De praedicti abbatis consilio puerum parentes ejus neapolim mittunt ad studium. (C. v.)

Abbas autem praedicti monasterii providus, cum adverteret in puero tam certa et matura futurae perfectionis indicia, et clara jam primitiva semina futurae segetis Scripturarum, advocato Domino Landulfo, patre dicti pueri, provide ei consuluit, ut puer mitteretur Neapolim ad studendum : ubi studens inciperet discere quae Deus tot indiciis inceperat præmonstrare. Unde puer de utriusque parentis consilio Neapolim mittitur, et sub Magistri Martini in grammaticalibus et logicalibus, et Magistri Petri de Ibernia[1] studiis in naturalibus edocetur. In quorum scholis tam luculenti coepit esse ingenii, et intelligentiae perspicacis, ut altius profundius et clarius aliis audita repeteret, quam a suis Doctoribus audivisset. Et quia congruum erat divinae providentiae de praedicto electo juvene quae coeperat continuare praesagia futurae doctrinae monstrare non destitit de eo[2] gratiam quam effudit. Nam cuidam Fratri Ordinis Praedicatorum, admiranti de praefati juvenis admiranda scientia, de ipso subscripta apparuit visio, quod de ejus facie splendor procederet quasi solarium radiorum, qui in longinquum omnium illuminaret aspectum. Quae visio tribus vicibus eidem Fratri apparuit et futuri effectus certitudinem indicavit.

1. « Is ille Petrus de Hibernia est, ad quem inter epistulas Petri de Vineis lib. III inscripta legitur decima, Magistro Petro de Hibernia. Imperatoris nomine data est, qua constat : illum ad studium Neapolitanum regendum advocatum fuisse, ac plurium auri unciarum mercede pacta pro summa ejusdem imperatoris munificentia conductum. Epistulae verba haec sunt : Te igitur quem antiquae fidei praescripta sinceritas et praestita dudum felicis recordationis domino Patri nostro grata servitia nobis efficaciter recommendant; de cujus etiam experta scientia, probitate cognita et doctrina probata, in conspectu nostro jam pluries multorum testimonia claruerunt; ad celebranda communis studii ejusdem festiva solemnia, hilariter providimus invitandum : fidelitati tuae praecipiendo mandantes, quatenus de favore et gratia nostra securus, ad civitatem ipsam ob reverentiam Majestatis Nostrae, personaliter recturus, accedas. Et ut certam concipias de nostrae gratiae liberalitate fiduciam, firmiter te tenere volumus, quod in adventu tuo, in signum secundioris auspicii, de valore annuo 12 unciarum auri tibi faciat nostra munificentia provideri. » — Ita Bernardus de Rubeis (dissert. criticae de gestis et scriptis S. Thom. Aqu. diss. I, cap. 4); putat tamen cl. Denifle (Die Universitäten I, 456, n. 972) Petrum de Vineis in citata epistula locutum esse de alio Petro de Hibernia, vel Isernia.

2. Cod. Flor. et Vat. hic concordant cum textu apud Bollandianos.

Quod sanctus puer proficiens ordinem ingreditur fratrum predicatorum. (C. vi.)

Cumque mirabilis juvenis tam festinus profectus scientiae, qui divinae potius, quam humanae videbatur esse virtutis, Magistros et alios in admirationem adduceret, et per scholas celebris ejus fama volaret, cogitans praedictus juvenis, qui eodem spiritu agebatur adultus, quo prophetatus fuerat nasciturus, quod poterat sibi esse damnabile, si commissum sibi talentum naturalis ingenii, dono gratiae spiritus augmentatum, sub terra velut sudario negligentioris vitae absconderet, quod poterat per transitum ad aliquem Ordinem[1] augmentare; ductus est ad Fratrum Praedicatorum Ordinem, diu cordis desiderio affectatum, eo duce spiritu quo fuerat prophetica visione praedictum. Frater autem Joannes de S. Juliano[2] praedicti Ordinis professus, fama et opinione praeclarus, divinae vocationis ipsius divinitus executor effectus, praedictum juvenem a Deo sibi destinatum monuit, et ad ingressum praedicti Ordinis mente dispositum inclinavit, ut hoc juvenis vellet perficere, quod Deus de ipso dignatus fuerat praemonstrare.

Quod mater sancti Thomae audito ingressu filii in Ordinem sibi prophetatum venit neapolim ipsum in Ordine confirmare. (C. vii[3].)

De cujus ingressu admirati sunt nobiles civitatis, quod tam nobilis juvenis parentum domum desereret, et tam clarum principium,

1. Recte animadvertit Bernardus de Rubeis (l. c., c. 5) per haec verba : « per transitum ad aliquem Ordinem » destrui fabulam de monachatu S. Thomae. Etenim si juvenis Thomas jam factus fuisset monachus, quando degebat in monasterio Montis Cassini non potuit transire ad *aliquem* ordinem, sed si voluisset transire, debuisset transire ad *alium* ordinem. Insuper si jam fuisset monachus quare timuisset abscondere talentum sub sudario *negligentioris* vitae? — Quis enim credat, humillimum Thomam, monasticam vitam existimare potuisse *vitam negligentiorem?*

2. Iam supra (p. 20) in vita a Petro Calo conscripta indicavimus inter Bernardum Guidonis et alios veteres biographos S. Thomae esse discrepantiam de Priore, qui recepit juvenem Thomam ad habitum ordinis. Ex verbis hic a Guillelmo de Tocco adhibitis non clare eruitur, utrum Ioannes a S. Juliano solummodo inclinaverit, an etiam receperit juvenem Thomam ad ordinem Praedicatorum. Clariora sunt verba Bartholomaei de Capua. « Iohannes de S. Juliano, antiquus frater valde, homo magnae vitae et humilitatis, qui dicebatur notorie dictum fr. Thomam de Aquino recepisse in Ordine Praedicatorum. » (Processus Canoniz., n° 76.) Nemo non percipit maximum pondus hujus testimonii prolati a viro tam digno et competenti.

3. Quod gavisa fuit mater de ejus ingressu et quod statim ivit neapolim ipsum in Ordine confirmare. (Cap. viii, Cod. Vat.)

quod pronosticum erat futurae promotionis indicium, sub habitu pauperis Ordinis occultaret. Fratres vero praedicti Ordinis exultaverunt in Domino, tam nobilem et mirabilem juvenem eis esse divinitus destinatum, quem jam sperarent certis indiciis ad magnum scientiae apicem profuturum. De quo cum ad Vasallos parentum ejus Roccae praedictae relatione veridica pervenisset, et per eos cum lacrymis fuisset matri ejus querulis vocibus intimatum; illa statim, assumpto suorum honorabili comitatu, memor promissionis propheticae, quam in suo filio videbat impleri; cum gaudio venit Neapolim, volens de ingressu predicti ordinis filium maternis monitis consolari[1]. Fratres autem ignorantes bonae matris tam ordinatum affectum, quem credebant materna affectione turbatum, de custodia tam pretiosi recommendati eis thesauri solliciti, praedictum juvenem Terracenam inde Ananiam, et usque Romam ad conventum S. Sabinae cum convenienti Fratrum societate miserunt. Quem solicita mater prosequens, quam materna affectione perurgebat, et usque Romam veniens, tanti laboris fructu et talis filii desiderata visione privatur[2]. Fratres autem supra vires maternalis animi credentes matrem affectum alium non habere, tantam supra juvenem apposuerunt custodiam, ut ipsum de Roma sine timore captionis educerent et eum mittendum Parisius cum bona Fratrum societate fugarent.

Quod mater turbata quod filium videre non poterat, fecit ipsum per filios qui erant cum imperatore in tuscia capi et sibi mitti. (C. VIII.)

De hoc autem mater turbata, quod filium videre non poterat, et quod de tam ordinato suo affectu Ordo multis ejus assertionibus non credebat, victa in ejus animo promissione fidei affectione carnali, ad filios suos, qui erant cum Frederico Imperatore in castro Aquaependentis Tusciae regionis, misit nuntium specialem, mandans eis sub maternae benedictionis obtentu, quod Thomam suum filium, fratrem ipsorum, quem Fratres Praedicatores induerant sui Ordinis habitum, et de regno fugabant, in suis haberent

1. Cod. Vat. sicut Bollandistae : scl. volens eum in praedicto praeviso sibi divinitus Ordine maternis monitis confirmare.

2. Cod. Flor. et Vat. addunt : quantumcumque assereret quod filium suum vellet aspicere et ipsum in ordine confirmare.

manibus, et ipsum sibi sub bona custodia destinarent. Qui maternum volentes implere mandatum, et propriae affectionis monstrare conceptum, coram Imperatore exposito jussu matris, et accepta licentia, per vias et stratas miserunt custodias. Et contigit eos praedictum fratrem suum juxta cujusdam fontis irrigua quiescentem cum quatuor Fratribus dicti Ordinis invenire : in quem cum non ut fratres, sed ut hostes irruerent, non valentes ipsum exuere praedicti Ordinis habitum, quem fortiter tenebat assumptum, et precipue ne juvenis periculum aliquod propter illam injuriam turbatus, incurreret, dimissis aliis Fratribus, ipsum sic indutum matri suae sub bona custodia transmiserunt. Quem mater cum vidisset cum gaudio, nec posset ipsum inducere ad praedictum habitum deponendum, fecit eum custodiri sub bona custodia in monte S. Joannis et Roccae praedictae usque ad reditum filiorum. Interim tamen per diversas personas fecit moneri eum, volens experiri, si promissio vera esset prophetica, quam tentatio non mutaret humana. Fratres autem, quibus fuerat a mundanis de ipsorum manibus tam pretiosa praeda sublata, quasi de amisso Joseph plurimum conturbati, ad Summum Christi Vicarium Innocentium Papam quartum, qui tunc erat in Tuscia, quasi ad alterum Patriarcham Jacob, cum gemitu accesserunt. Coram quo querela proposita, quod de mandato Imperatoris tantus excessus contra Ordinem esset commissus, et quod carnalium fratrum affectio, quasi fera pessima devorasset Joseph; Summus Pontifex perturbatus, quod quasi in ejus presentia tantus excessus fuisset commissus, qui erat in regione propinquus, mandavit predicto Imperatori quod faceret de raptoribus dignam pro convenienti satisfactione vindictam. Qui metuens Summi Pontificis indignationem incurrere, si non studeret excessum per justitiam emendare, fecit de personis capi praedictos fratres Thomae germanos. Contra quos cum requisiti Fratres praedicti Ordinis, si vellent querelam ponere de illatis injuriis; timentes ex hoc Ordini scandalum, et suis conscientiis imminere periculum, a proponenda querela penitus destiterunt, maxime cum audissent praedictum juvenem constanter tenere habitum, etiam in carcere custoditum.

De pugna victoriosa et de profectu quem habuit in carcere. (C. IX.)

In tali autem carcere iuvene diligentius coarctato, quamvis privato lumine et exitus libertate, lumen ei in tenebris affuit, et in vinculis plus libertatis invenit. Qui dum arctabatur in corpore, solvebatur in mente : cui tantum spiritualis intelligentiae radiis Deus miserator illuxit; quod ibi Bibliam perlegit, et textum Sententiarum didicit; et tractatum fallaciarum Aristotelis, ut dicitur, compilavit, atque sorores suas sacras litteras pro praesagio sui magistratus instruxit. Qui incipiens sua fructificare doctrina sororem suam, quam ad eum seducendum parentes miserant, ad amorem Dei et contemptum mundi suis monitionibus et exemplis induxit. Quae habitum religionis S. Benedicti accipiens, propter probitatem et vitae meritum regimen monasterii S. Mariae de Capua electa et confirmata suscepit. Qui ut certam faceret per bona opera suae vocationis electionem per gratiam; sic orationi, lectioni et contemplationi totaliter se donavit, quod nullis persuasionibus, tentationibus, minis, terroribus aliisque variis inductionibus quibus aliquando gravium personarum corda consueverunt allidi, iuvenis animus potuit immutari : imo plus roboris ex impugnatione collegit, quo plures ictus certaminum impugnatus accepit. Quem cum fratres post reditum gravius impugnarent, tentaverunt per injurias perturbare, quem per terrores non poterant frangere, nec persuasionibus emollire.

Unde fecerunt sibi dilaniari habitum praedicti Ordinis, ut prae verecundia dilaniatum deponeret, et alium indueret, qui placeret. Qui cum illatam injuriam patientissime tolerasset, quasi Christum induisset in dictu habitu, illius semicintiis se involvit, nihil minus induisse se arbitrans si dilaniatum teneret habitum, ac si integrum tenuisset omnino[1] ex devotione susceptum.

De acriori insultu certaminis, quod Deo auxiliante vicit. (C. X.)

Quem cum per predictam injuriam non possent evertere, cogitaverunt predicti fratres per aliud genus impugnationis evincere,

1. Cod. Flor. in animo. Tota haec phrasis sicuti etiam sequens satis differt a textu Bollandianorum.

quo turres concuti, saxa molliri, et cedri Libani consueverunt tempestate suffodi. In quo cunctos invenimus pugiles; sed paucos prae difficultate victores. Nam miserunt ad ipsum solum existentem in camera, in qua sub tali custodia dormiebat, puellam pulcherrimam, cultu meritricio perornatam, quae ipsum aspectu, tactu, ludis et quibus posset aliis modis, alliceret ad peccandum[1]. Quam cum vidisset pugil invictus, qui sibi jam Dei sapientiam sponsam acceperat, cujus amore fragrabat; et sentiret in se carnis insurgere stimulum, quem semper tenuerat sub ratione subiectum, hoc permittente providentiae Divinae consilio, ut gloriosior de certamine sibi triumphus exurgeret, accepto de camino in spiritu titione, juvenculam cum indignatione de camera expulit et accedens in spiritus fervore ad angulum camerae, signum Crucis in pariete cum summitate titionis impressit et prostratus ad terram, cum lacrymis a Deo petivit orando perpetuae virginitatis cingulum, quod servare sibi in pugna concesserat incorruptum. Qui cum hoc orando cum lacrymis subito obdormisse, ecce ad eum duo Angeli coelitus missi sunt, qui asserentes eum a Domino exauditum et de pugna tam difficili obtinuisse triumphum, stringentesque ipsum hinc inde in renibus, dixerunt : Ecce ex parte Dei te cingimus, quod petivisti, cingulo castitatis, quod nulla possit de cetero impugnatione dissolvi, et hoc quod humanae virtutis haberi non potest ex merito, tibi conceditur divinae largitatis ex dono. Cujus cinguli nunquam in se sensisse fracturam certa fuit, ut dicetur inferius, suorum Confessorum in obitu attestatione compertum. Nam suam virginitatem, quam in tam gravi pugna servavit invictam, usque ad suum obitum sentire non potuit violatam. Unde ex tunc mulierum aspectum semper abhorruit, et earum consessum toto posse vitavit. Consueverat autem ex hoc admirari quamplurimum, et homines divinis speculationibus deditos assuetus erat arguere, quod diutius possent consedendo mulieribus tempus longis locutionibus perdere, nisi aliquod negotium nimis utile caussa necessitatis occurreret; vel de Deo, aut de divinis locutio immineret. In qua constrictione tactus Angelici cum dolorem sensibilem percepisset, excitatus est cum clamore, et quaerentibus, ad quid cla-

1. Eandem historiam attestatur sub juramento Guillelmus de Tocco in Processu Caunonizationis S. Thomae (61). Ergo non est cur illam in dubium vocemus, ut jam supra p. 23 notavi contra J. Endres.

masset, revelare noluit donum divinitus sibi datum, sed manifestandum usque ad suum obitum conservavit occultum. Quod suo socio revelavit, qui ad laudem Dei et commendationem sancti, pluribus rettulit ad exemplum. O felix clausura carceris, in qua tantus intelligentiae splendor illuxit! o felices compedes, qui tot contulerunt contemplanti coelestes libertates! o felix ex victoria, fortis in pugna tentatio, quam cum hostis concludere conabatur ad casum, surrexit divina coassistentia in triumphum! o expressa matura indicia meritorum sanctitatis et vitae, ut ex utraque parte vitae sensibilis impugnatus, pugil invictus, hinc deliciis, inde injuriis, nec emolliri potuit nec allidi. O felix pugil et invictus tyro, qui, antiquo familiari devicto satellite[1], de tam difficili pugna insolitam reportavit victoriam : dignus de cetero reportare coronam! o felix viator et hospes seculi, qui factus est ex victoria civis coeli, qui suos videre meruit divina dispensatione concives : cui Angelica societas, dum castitate cingitur, non negatur, qui meruit fieri puritate Angelicus, dum pugnavit[2] de sua virginitate terrenus.

Quomodo sanctus juvenis fuit suo ordini restitutus. (C. XI.)

Et quia haec omnia circa praedictum juvenem divinae dispositionis agebantur consilio, nec erat relinquendus a Fratribus de Ordine raptus, qui erat divina miseratione in tam gravi tentatione servatus et aliquando Ordini prophetica promissione reddendus; non destitit dictus[3] Fr. Joannes de S. Juliano ipsum in carcere visitare, quem tantam audiverat in pugna servare constantiam, et tantam moribus disciplinam. Hic enim Reverendus Pater eumdem amorem, quem recipiendo[4] ad Ordinem ipsum conceperat, sub spe, quod restitueretur aliquando Ordini, in mente servabat. Cui occulte tunicas deferebat indutas, quas ei in camera se expolians dimittebat, ne juvenis tandem defectum pateretur in corpore, qui tanta virtute roborabatur in mente. Sicque fere per duos annos custo-

1. Cod. Flor. minus recte habet : qui antiquum familiarem satellitem.
2. Cod. Flor. pugnarat.
3. Cod. Flor. et Vat. predictus.
4. Cf. quae supra p. 20, not. 2, et p. 71, not. 2, diximus de Priore recipiente juvenem Thomam ad habitum religiosum.

ditus[1] in carcere, ostendit ex suae mentis constantia quantus futurus erat in vita : cujus dum provida mater sua vidit, quod deberet impleri in filio, quod per heremitam praedictum fuerat, Spiritu revelante divino; ne videretur juvenis constantiam, sed Dei providentiam impugnare, dissimulata prudenter custodia, permisit ipsum de fenestra castri per funem deponi : ubi parati Fratres susceptum cum gaudio Neapolim duxerunt[2], exultantes in Domino, de recuperato Joseph, qui velut ille spiritum intelligentiae habuit, et plus omnibus Aegypti Sapientibus intellexit. Quem sic Fratres receperunt instructum de carcere, quasi diu mansisset in studio scholasticae disciplinae.

Quod praedictus sanctus juvenis ordini restitutus ad magistrum albertum ordinis ejusdem in colonia mittitur instruendus. (C. XII.)

Postquam vero Fr. Thomas, sicut divinitus Ordini deditus, sic fuit divinitus restitutus, magna Fratrum est facta laetitia, visa subito provisione divina; qui cogitantes nec esse tutum tam nobilem juvenem retinere in suorum natalium regione, quamvis parentes ejus et fratres sui visa ejus constantia ab ejus impugnatione cessassent, Fratres ipsum Romam ad magistrum ordinis[3] miserunt, ut provideret ei propter spem futuri profectus in proximo de studio generali. Quem cum Frater Joannes Teutonicus, Magister Ordinis in carissimum in Christo filium suscepisset, duxit ipsum Parisius et deinde Coloniam : ubi sub Fratre Alberto Magistro in Theologia ejusdem Ordinis florebat studium generale : qui reputabatur in omni scientia singularis. Quo cum pervenisset praedictus juvenis et audisset eum in omni scientia profunda et miranda docentem, gavisus est se cito invenisse quod quaereret : a quo haurire posset avidus, quod sitiret. Qui ut ostenderet, quod ad hoc tendebat, quo venerat; coepit miro modo taciturnus esse silentio, in studio assiduus et in oratione devotus, interius colligens in memoria quod postmodum effunderet in doctrina. Qui cum sub velamine mirae simplicitatis taciturnus absconderet, quidquid a Magistro addisce-

1. Cf. supra, p. 24, not. 4.
2. Cod. Flor. deduxerunt.
3. Cod. Vat. et Bollandiani habent : ad capitulum generale, sed jam supra, p. 25, n. 1, notavi tunc temporis nullum capitulum generale habitum fuisse Romae.

ret et quid Deus ei miseranter[1] infunderet; coeperunt eum Fratres vocare bovem mutum, ignorantes de eo futurum in doctrina mugitum. Verum[2] utiliter sibi et aliis quasi mutus ab exteriori erat eloquio, ut cum suis cogitationibus loquacior fieret in secreto, ut inde habitum scientiae citius tacens colligeret, quem nulla exterior locutio impediret. Cumque sic taciturnus proficeret, cujus profectum opinio humana nesciret, coepit Magister Albertus librum de Divinis nominibus B. Dionysii legere, et praedictus juvenis attentius lectionem audire. Cui cum quidam studens, ignorans quanta virtus intelligentiae in ipso lateret, ex compassione ad repetendam ei lectionem se voluisset exhibere[3], ipse ut humillimus grates referens, acceptavit. Qui studens cum coepisset repetere, et tamen deficeret; praedictus Frater Thomas, quasi jam a Deo loquendi accepta licentia lectionem distincte repetiit, et multa, quae Magister non dixerat, repetendo supplevit : de quo studens admirans, rogavit, ut deinceps Fr. Thomas ei lectiones repeteret, et sibi in hoc pro gratia mutuae vicissitudinis responderet. Quod cum humiliter promisisset rogavit, ne aliis revelaret, ut ipse adhuc absconditus in sua simplicitate maneret. Qui cum hoc promitteret, graviter tamen se arguens si taceret, indicavit Magistro studentium inventum in dicto juvene sapientiae inopinatae thesaurum. Qui cum occulte loco repetitionis se ingerens, ejus sufficientiam plus quam a studente audiverat, percepisset, Magistro Alberto profectum studuit indicare discipuli pro consolatione Magistri. Contigit etiam illis diebus dictum Magistrum disputare quandam difficilem quaestionem, quam cum Frater Thomas recollectam scripsisset in schedula, et quidam studens casu ipsam ante ejus cellam inveniens Magistro cum gaudio ostendisset, legens ipsam Magister, furtum studiosi admirans discipuli, advertit in ipso tam diuturnum silentium cum tanta simplicitate et puritate conversationis et vitae, alicujus magnae et occultae gratiae non carere privilegio. Unde mandavit Magistro studentium, ut quaestionem satis difficilem ei committeret, de qua in crastino responderet : quam cum ex humilitate nollet recipere, ex necessitate obedientiae paruit[4]. Unde ad

1. Cod. Flor. miserative.
2. Cod. Flor. vere.
3. Cod. Flor. et Vat. voluntarium obtulisset.
4. Cod. Flor. paravit se humiliter obedire.

consuetum locum orationis se conferens, et ad primum actum inchoandum scholasticum se Deo humiliter recommendans, ad respondendum de quaestione, prout divino adjutus auxilio potuit, in scholis in crastino se paravit. Unde cum repetitis argumentis Magistri praemisisset quandam distinctionem per quam ad questionem et argumenta sufficientissime respondebat, praedictus Magister ei dixit : Frater Thoma, non videris tenere locum respondentis, sed determinantis. Cui cum omni reverentia respondit : Magister, non video quomodo possim ad quaestionem aliter respondere. Tunc Magister dixit : Modo respondeas ad questionem per tuam distinctionem; et fecit ei quatuor argumenta tam difficilia, quod omnino se ei crederet conclusisse. Ad quae cum Frater Thomas sufficientissime respondisset, fertur Magistrum Albertum dixisse per spiritum prophetiae : Nos vocamus istum bovem mutum; sed ipse adhuc talem dabit in doctrina mugitum, quod in toto mundo sonabit. Quod dictum propheticum est veraciter adimpletum : nam in toto mundo, inter fideles dum ejus doctrina diffunditur, Ecclesia ejus vocibus edocetur. Juvenis autem, qui cor suum in humilitatis fundaverat pavimento, ex tanti Magistri testimonio, et ex tam honorabili actu scholastico non erexit in superbiam animum, nec mutavit solitae simplicitatis exemplum : eumdem modum vivendi servans in posterum, quem tenuerat inchoatum, quamvis Magister praedictus omnes difficiles actus scholasticos ipsi committeret, quem sufficientiorem aliis inveniret. Posthac autem praedictus Magister Albertus cum librum Ethicorum cum quaestionibus legeret, Frater Thomas Magistri lecturam studiose collegit et redegit in scriptis : opus, stylo disertum, subtilitate profundum, sicut a fonte tanti Doctoris haurire potuit, qui in scientia omnem hominem in sui temporis aetate praecessit. Et bene congruit providentiae divini consilii, ut a lectione libri de Divinis nominibus praedictus Frater Thomas acciperet a Deo loquendi et se manifestandi licentiam, cui Deus concessurus erat sui nominis manifestare doctrinam; et ut a Dei nominibus divinae notitiae lectionem inciperet, quam usque in finem vitae legendo perficeret, quam scribendo etiam moriens non careret.

De commendatione magistri Alberti in vita et scientia. (C. XIII.)

Nec vacat a commendatione discipuli, si aliquid subjungamus de commendatione Magistri. Erat autem praedictus Magister Albertus in omnibus scientiis singularis excellentiae, de quo cum Summus Pontifex providisset Ratisponensi Ecclesiae ipsum praeficiens in Pastorem ; ipse renuntians honori et oneri dignitatis, praeelegit vitae contemplativae et meditationi scibilium magis in Praedicatorum Ordine, de quo assumptus fuerat, quietus intendere, quam oneratus pastoralis curae negotiis deservire. Qui quolibet die in oratione in sua capella dicebat unum Psalterium, reliquum tempus reservans ad scibilia meditandum, ut mirandus Magister simul scientiae studium et vitae discipulis praeberet exemplum. De quo etiam dicitur, quod miraculis claruit, quae ejus vitae meritum praemonstrarunt : cujus[1] corpus prae devotionis gratia requisitum in tumba quod positum fuerat, ut est consuetudo, supinum, inventum est, ut sibi moris erat dum viveret, quasi in oratione recumbens : cui cito divinum discipulum divinus Spiritus in utroque mirabiliter adaequavit, sicut ejus vitae ostendit meritum, et lucens omnibus scientiae documentum.

Quod persuasione magistri Alberti factus est sanctus Thomas bachalllarius Parisius. (C. XIV.)

Post haec autem cum Frater Thomas sic mirabiliter in scientia et in vita proficeret, et Magistro Alberto ex commissione Reverendi Patris, Fratris Joannis[2], Magistri Ordinis incumberet ut Parisiensi studio de sufficienti bachallario provideret, Magister predicti sui discipuli praevidens velocem in doctrina profectum, persuasit per litteras praedicto Magistro, ut de Fr. Thoma de Aquino pro bachallario in praedicto studio provideret, describens ejus sufficientiam in scientia et vita. Quem cum non statim duceret acceptandum adhuc sibi in gratiis[3] ignotum; suasu Domini Hugonis Cardinalis

1. Cod. Flor. omittit omnia a verbo « cujus » usque ad verbum « recumbens » ; quae quidem omissio profecto non accidisse videtur, si Codex Flor. et Burn. ex eodem originali fuissent transcripti. — Etiam Bollandiani habent textum satis diversum.

2. Cod. Flor. omittit « Fratris Joannis ». Cf. quae supra, p. 27, adnotavi in hunc locum.

3. Cod. Burn. omittit verba : « adhuc sibi in gratiis ».

ejusdem Ordinis, cui erat de ipso per litteras intimatum, praedictus Magister ipsum in praedicti studii bachallariam acceptavit; scribens ei, ut statim Parisius se conferret, et ad legendum sententias se pararet. Qui prae humilitate de se semper humilia sentiens, hanc promotionem voluisset[1] renuere, nisi opportuisset Magistri litteris obedire. Factus autem bachallarius, cum coepisset legendo effundere, quae taciturnitate deliberaverat occultare, tantam ei Deus infudit scientiam, et in labiis ejus tanta est divinitus effusa doctrina, ut omnes etiam Magistros videretur excedere, et ex claritate doctrinae Scholares plus ceteris ad amorem scientiae provocare. Erat enim novos in sua lectione movens articulos, novum modum et clarum determinandi inveniens, et novas adducens in determinationibus rationes : ut nemo, qui ipsum audisset nova docere, et novis rationibus dubia diffinire, dubitaret, quod eum Deus novi luminis radiis illustrasset. Qui statim tam certi coepit esse judicii, ut non dubitaret novas opiniones docere et scribere, quas Deus dignatus esset noviter inspirare. Unde scripsit in bachallaria et in principio sui Magisterii super quatuor libros Sententiarum opus, stylo disertum, intellectu profundum, apertum intelligentia[2], et novis articulis dilatatum. Ad quorum determinationem cum humanas scientias, quasi ancillas ad arcem divinae Sapientiae in obsequium adduxisset, quas sacris sententiis concordaret, visus est humanas funditus intellexisse scientias, et summum gradum sui studii fixisse in sapientia divinorum, quibus noviter videbatur instructus, et gustu divinae Sapientiae delectatus, quem jam Deus ducem suorum eloquiorum faceret : quem tanta replevit scientia, ut alios posset illustrare. Nec absurdum videatur aliquibus, quod in sapientiae Divinae sententiis, secularibus quis utatur scientiis, cum ab eodem intellectu divino subiecta omnium scientiarum prodeant, a quo divinae Sapientiae veritates emanant, cui omnes scientiae jure deserviunt[3], a qua et humanitus acquisitae procedunt.

1. Cod. Flor. voluit.
2. Cod. Flor. intelligentie.
3. Cod. Flor. subserviunt.

Quod sanctus Thomas potest ex figuris veteris[1] testamenti congrue commendari. (C. xv.)

Sed quia tam splendidum luminare, quod misericors Deus in mundi vespera fidelibus voluit mittere, ab ipso quasi mundi principio debuit praemonstrari, ideo in veteri Testamento praedicti Doctoris multiplex figura non defuit, quae praesignaret[2] divinitus qualis fuit : ut sic novae Legis fructus temporibus ultimis in figuris praemonstraretur antiquis; et Deus, dum in praesentibus implet praeterita, ad se ostendat[3] pertinere futura. Unde hic Doctor mirabilis dici potuit esse praevisus in Isaac filio Abrahae, qui cum ad agrum Scripturarum ad vesperum senescentis Ecclesiae ad meditandum egreditur, sicut ille Rebeccam, sic iste in sponsam Dei sapientiam habere meretur, per quam sicut deposita hydria servo Abrahae, etiam camelis potus tribuitur, sic per hujus scientiam quasi de hydria cunctis fidelibus aqua sapientiae mira facilitate donatur. Dici[4] potest hic congrue Iacob, qui post luctam devicti certaminis, et acceptam de rore coeli benedictionis dulcedinem, ad puteum perveniens Scripturarum, hausit quasi Rachelis ovibus, id est, Christi fidelibus, poculum, et ipsam Rachelem Dei sapientiam habere meruit, quam aspiciens concupivit, obtinuitque Angelica impositione[5] Israelis vocabulum, postquam de Divinis Scripturis habuit clarum veritatis aspectum. Hic ut Iacob super Petram Christum, dum per humilitatem quievit subditus, fieri meruit meditatione supremus : unde vidit in somnis scalam, per quam ad summam veritatis notitiam debebat ascendere, coelum attingere, et Angelos ascendentes per scalam, qui orantis Thomae Deo offerrent oracula; et descendentes, qui contemplanti revelarent divina in veritate secreta; et Dominum innixum scalae, qui praedicto Doctori ostenderet se inspirasse scientiam, et acceptare doctrinam. Quod bene per modum scalae componitur, quia in ea semper aliquod notum principium, et quasi quibusdam gradibus congruis propositionibus, conclusio veritatis infertur. Hic est alter ille Joseph qui dum Spiritu

1. In Manuscripto habetur erronee : novi.
2. Cod. Flor. premonstraret.
3. Cod. Flor. ostendit.
4. Cod. Flor. omittit omnia a verbo « Dei » usque ad verbum « infertur ».
5. Bollandiani habent : in sponsione.

sapientiae repletur in carcere, de ipso eductus meruit plus omnibus Egypti sapientibus divina cognoscere, et de utriusque Testamenti segetibus divini eloquii frumenta in libris, quasi in horreis collecta[1] servare : qui, ut ille fratribus suis, primo frumenta divini eloquii gratis eorum ingeniis tribuit, et toti Ecclesiae postmodum de alimentis divinae Sapientiae sine invidia distribuenda providit. Appropriate autem et figuraliter dici potest, quod hic fuit quasi alter ille Moyses qui de aquis mundanae vanitatis et proprie nativitatis eductus, quia de Aquinorum prosapia generatur, miro modo per Pharaonis filiam matri Ecclesiae totaliter redditur, et ex uberibus divinae Sapientiae lacte nutritur. Hic est Moyses cui de rubo sub flammae ignis similitudine Dominus loquitur, et hic quasi Deus locutus ei fuerit, edocetur : qui missus ad fratres suos, non sine signis et mirandis prodigiis, ductor populi delegatur. Hic est Moyses, qui, sub duplici columna nubis et ignis, fideles de Aegypti tenebris duplicis scientiae habitu doctus eduxit : ut in columna nubea intelligatur scientia secularium scripturarum, quam sensibus adquisivit; et in columna ignis lex illa ignea, quam ex dextera divinae largitatis, Deo revelante, suscepit. Hic est Moyses qui de petra difficilis intelligentie scripturarum fluenta divine sapientie dum oravit humiliter optinuit habundanter[2]. Hic est Moyses, qui montem divinae speculationis ascendens, non sine divini stylo digiti scribentis in ejus animo, sub duarum tabularum similitudine duorum testamentorum scientiam de summa divinorum speculatione portavit. Hic est iterum Moyses, cujus ex divini sermonis consortio facies splendens efficitur, ut non possent filii Israel nisi velatis vultibus in ipsum aspicere : sicut in istum quem Deus decreverat prae aliis illustrare, ut usque dum hodie quorumdam facies velatae permaneant et ad hujus Doctoris intelligentiae faciem, aut caeca aemulatione aut ignorantiae tenebris obscurati aspectibus intelligentiae suae non pertingant. Hic est Moyses, qui facie ad faciem Domino loquitur : qui divina, quae sibi Deus revelare voluit, sic intellexit lucide, velut aenigmaticam illam Dei faciem in Scripturis vidisset aperte. Qui cum frequenter raptum a sensibus pateretur, supra humanum intellectum divina vidisse creditur, quibus ejus animus absorberetur.

1. Cod. Flor. collocata.
2. Totam hanc phrasim omittunt Bollandiani.

Quorum magnitudine intellecta et scripta despiceret prae illorum excellentia, quae vidisset : sicut circa finem suae vitae maxime patuit, cum prae revelationis magnitudine a scribendo ulterius prae stupore cessavit : quibus cum finem imposuit, admiranti de ejus raptu suo socio[1] revelavit. Hic disputavit, ut Salomon a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, qui de pariete nascitur, id est, a Dei filio, divinitatis candore de Patre genito, usque ad eumdem de gloriosa Virgine cum corpore nostrae humanitatis assumpto : a quo sicut studium inspiratae veritatis incepit, sic scribendi et vivendi terminum in eo, qui scire et vivere dederat, felici morte finivit. Unde adhuc hic Doctor dici potest, quasi ille Thomas non dubius, sed quasi certus in scientia divinorum : qui dictus est abyssus propter profunditatem ingenii, qui abyssum id est in Christi latus invitatus ingreditur, et ad scrutanda divinorum secreta et ea tam certa notitia sibi inspirata descripsit in libris, quasi ipsa haberet prae oculis, et quasi manu ipsa contingeret, quae intelligentiae digito indicaret : ut jam non restaret amplius, nisi ut supra intellectum, quantum homini esset possibile, in divinitate ipsum conspiceret, quem supra alios aenigmatice didicisset. Sic autem mirandus bachallarius Doctor futurus finivit sententias, relinquens Scholares ad futurum ejus Magisterium avidos, quos fecerat, dum doceret attentos : dilectus Deo, qui scientiam tribuit, et acceptus hominibus, quibus quasi novis radiis veritatis illuxit.

De visione quam habuit quando factus est magister in theologia[2]. (C. XVI.)

Post decursum studii studiose vel fructuose completum, cum tempus instaret, quo bachallarii Theologiae erant Parisiensi Cancellario praesentandi; non servato ordine secundum anticipationem temporis consueto, mandavit praedictus Cancellarius Priori Parisiensi Ordinis Fratrum Praedicatorum, ut ex parte sua mandaret praedicto Fr. Thomae, ut ad recipiendum Magisterium in Theologia, non obstante consuetudine qua erant sibi alii praefe-

1. Cod. Flor. admirantibus aliis ejus raptum suo socio revelavit. — Textus apud Bollandianos iterum diversus est.

2. Cod. Vat. Quomodo factus fuit frater thomas magister in theologia et de visione quam habuit cap. XVII.

rendi, sine contradictione aliqua se pararet. Qui humiliter se excusans propter defectum scientiae et aetatis, obtinere quod excusaretur non potuit, propter praeceptum obedientiae, quod coegit : Qui humiliter suscipiens onus impositum, ad locum orationis se contulit consuetum in quo prostratus cum lacrymis oravit Deum, ut ad suscipiendum et exequendum Magisterium, scientiam et gratiam dignaretur infundere, quem dignatus fuerat adhuc indignum multis gratiis praevenire. Et incipiens Psalmum : Salvum me fac Deus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum, diu orans cum lacrymis obdormivit[1] : et ecce ad eum nuntius coelitus missus est Frater quidam antiquus, ejusdem Ordinis admodum reverendus, et dixit ei : Fr. Thoma, quid Deum oras cum lacrymis? Respondit : Quia impositum est mihi onus Magisterii, ad quod scientia mea non sufficit : et quid proponam pro meo principio, non occurrit. Cui senex dixit : Ecce exauditus es, suscipe onus Magisterii, quia Deus tecum est et pro tuo principio nihil aliud proponas, nisi hoc : Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra. Quo dicto[2], frater Thomas evigilans, Domino gratias reddidit, qui eum velociter exaudivit. Quod verbum non solum thema fuit proponendi principii, sed totius sui sufficientiam studii indicavit : quia ex his, quae de montibus divinae speculationis accepit, totam Ecclesiam, quasi agrum divini seminis complutum sapientiae pluviis satiavit. Est enim omnibus manifestum, quod in toto mundo inter fideles Catholicos in philosophia et theologia in omnibus scholis nihil aliud legitur, quam quod de ejus scriptis hauritur : quamvis multi alii Magistri ejus stylum scribendi quo potuerunt studio, imitantes, quasi ex ejus scriptis clavem habentes scientiae, ingressi sint divinorum secreta cellaria : et multa volumina scripserunt, suum exercitantes stu-

1. Iam in opere, quod inscribitur « Vitae Fratrum » et quod S. Thoma adhuc vivente a Gerhardo de Frachetto conscriptum fuit, legitur haec historia : « Cum cancellarius Parisiensis disposuisset dictum fratrem (Thomam) ad legendum in theologia licenciare, in crastinum dictus frater ipsa nocte vidit in sompnis, quod quidam dabat ei librum et dicebat : » Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum saciabitur terra. « Unde ipse frater in principio suo hoc idem accepit pro themate. » (Ed. Reichert, pars IV, c. 24, § 8.) — Codex Florent. habet : « In oratione permansit, » sic innuens hanc visionem factam non fuisse in somno, sed in vigilia; quod quidem apparet etiam ex variante sequenti. — Iterum S. Thomas hanc visionem narravit ante mortem suam fr. Raynaldo de Piperno et Priori monasterii Fossae novae, sicut apparet in processu cannonizationis. (Act. SS. Boll., I, 702, n. 49.)

2. Codex Flor : statim ille senex disparuit et rediit unde venit.

dium supra positum dicti Doctoris fundamentum divina dispensatione mirabiliter permittente, ut quicumque ab hujus Doctoris scriptura volunt divertere, contingat eos aut in fide aut moribus oberrare : ut sic, sive qui sequuntur commendent quod asserunt, sive qui detrahunt veritati, testimonium referant, quod a veritate discedant.

De profectu sui magisterii et de libris quos fecit. (C. XVII.)

Post Magisterium praedictus Doctor cum coepisset disputare et legere, tanta multitudo scholarium ejus scholas intrabat, ut vix eos locus scholarum caperet, quos tanti Magistri doctrina traheret, et ad proficiendi studium provocaret. Sub cujus Doctoris lucida et aperta doctrina floruerunt quamplures Magistri religiosi et seculares propter modum docendi compendiosum, apertum et facilem : qui pro eo quod fuit insolitus, simul cum ejus scientia creditur ei fuisse divinitus inspiratus. Qui Doctor visus est quasi campum secularium scientiarum ingrediens, flosculos excerpisse de sentibus, et plenam manum habere de Apostolicis cophinis fragmentorum sacrae Scripturae : quae Deus mandavit Apostolis ne perirent, colligere, et futuris Doctoribus componenda[1] servare. Qui et de sacrorum Doctorum horreis plenis frumento de utriusque Testamenti excusso, segetibus utiliora collegit in libris, et nulla Scripturae veritas remansit sibi abscondita, nec Doctoris cujuscumque Scriptura inaccessibilis, involuta. De quo ut sciretur quantum donum scientiae hujus Doctoris lateret in corde, concessum est ei divinitus, ut manifestaret in opere multiplici scripturarum[2]. Nam praeter opus, quod fecit super quatuor libros Senten-

1. Cod. Flor : reponenda.

2. De catalogo S. Thomae operum quae hic recenset Guillelmus de Tocco videsis P. Mandonnet, O. Pr : *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin* (1910), pages 67-71. Minime autem possum consentire de omnibus quae ibi cl. auctor disserit. Notanter alienae a vero, neque ullo modo probatae sunt sequentes propositiones : « Tocco semble avoir eu sous les yeux, pour rédiger sa légende de saint Thomas, celle déjà compilée par Bernard Guidonis. » — « Guidonis avait déjà écrit sa légende, dans son premier état, avant l'enquête de 1319. » (Cf. quae supra p. 9, not. 2, disserui contra I. Endres.) « Tocco n'a pas utilisé pour sa légende les actes du procès de canonisation. Non seulement Tocco ne parle pas de la canonisation de saint Thomas (*sic!*), mais il suit les événements du procès jusqu'au voyage des commissaires, qui se rendent de Naples en Avignon. » (Cf. verba Guillelmi de Tocco prolata de canonizatione S. Thomae, supra p. 55, n. 3.)

tiarum, Summam fecit theologie, quam in tribus distinxit libris, materias quatuor librorum aliter ordinans : quam cum pluribus articulis ampliavit subtilioribus rationibus, ipsas determinans Sanctorum auctoritatibus roboravit.

[1]Scripsit etiam librum, qui intitulatur Contra Gentiles, stylo disertum, et rationum novitate et subtilitate profundum : in quo miro modo ostendit, quod ex proprio ingenio habuit, et quod raptu mentis in Deum orationibus impetravit. Per quod manifeste ostendit aliis gentibus, fidei non subjectis, quanta sit veritas fidei Christianae : quae si humanam rationem transgreditur[2], rationibus tamen naturalibus, si pro sua altitudine non probatur, verisimiliter suadetur : ut et ipsi infideles ex hac scriptura ad fidem habeant auditum, si dictae scripturae habere non renuunt intellectum : dum adverterint quod fidem nostram non possunt rationibus impugnare, quibus nequeant defensores fidei rationibus respondere. Unde cum praedictum librum scriberet, frequenter visus est quasi totaliter a sensibus alienus, qui divinis revelationibus semper erat intentus. Scripsit praedictus Doctor opus super quatuor Evangelia, Sanctorum auctoritatibus miro modo contextum, ex quibus sic Evangeliorum continuavit historiam, quasi unius Doctoris videatur esse Postilla : in quo opere mirandum creditur Deus in predicto Doctore ostendisse miraculum : quod[3] discurrens per diversa monasteria, et diversorum Sanctorum legens volumina, pro magna parte ipsorum auctoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit : nam eodem agebatur[4] spiritu, quo legendo Doctor colligeret, et quo scribendo servaret. Praeter quod opus[5] fecit Postillam super Evangelium B. Joannis, in qua ostendit, quam alte de suo ingenio, adjutus per gratiam, ad

1. Textus hujus phrasis est melior illo, qui habetur apud Bollandianos.
2. Cod. Flor : supragreditur.
3. Qui Cod. Burn.
4. Cod. Flor. agebat spiritu, quo legenda Doctor colligeret et quid scribenda servaret.
5. Bollandiani hic minus recte habent : « Propter quod opus. » — Haec postilla super Evangelium S. Joannis vocatur in processu cannonizationis S. Thomae, testante Bartholomaeo de Capua, lectura super Joannem, « qua non invenitur melior; quam recollegit idem frater Raynaldus, sed correxit eam frater Thomas ». — Notatu dignum est, quod Guillelmus de Tocco omittit : « Expositiones super quatuor Evangelia ad litteram. » Qui quidem tractatus in nonnullis catalogis inter opera S. Thomae enumerantur. Expositiones super Evangelia S. Marci et S. Lucae, hodie periisse videntur. De expositionibus super Evangelia S. Matthaei et S. Joannis vide Bernardum de Rubeis, de gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae Aquinatis, diss. IV.

profunda misteria libri pervenerit, quae Sanctorum auctoritatibus declaravit. Scripsit super Epistolas Pauli omnes, quarum Scripturam praeter Evangelicam super omnes commendabat, in quarum expositione Parisius visionem praefati Apostoli dicitur habuisse. Scripsit super Isaiam, in cujus quodam textu difficili post orationes frequentes et lacrymas, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, qui ipsum instruerent, habuisse dicitur visionem. Scripsit super magnam partem Psalterii; super Job ad litteram, quem nullus Doctor litteraliter tentavit exponere propter profunditatem sensus litterae, ad quem nullus potuit pervenire. In quo opere, quasi inter Job et amicos suos arbiter fuisset de communi concordia positus, sic respondit ex utraque parte ad singula, velut si quislibet quod proponebat arguere, potuisset ei oretenus revelare. Scripsit insuper quaestiones de potentia et de veritate et malo, magna volumina. Scripsit librum, quem nominavit Compendium Theologiae, quaestiones de Quolibet, de Perfectione vitae spiritualis, de Substantiis separatis, quaestiones de Anima, super Dionysium de divinis nominibus[1], de Trinitate, de Hebdomadibus Boetii, et alia multa opuscula Theologicae veritatis plusquam XX diversis Dominis et Religiosis personis a quibus sicut ei mittebantur dubia, dabat illuminatus divinitus de veritate responsa : ut nullum inhumanis intellectum ejus lateret dubium, ad quod non pertingeret divina luce secretum. Scripsit officium de Corpore Christi de mandato Papae Urbani, in quo omnes, quae de hoc sunt Sacramento, veteres figuras exposuit, et veritates, quae de nova sunt gratia, compilavit. Scripsit etiam super librum de causis et compositiones Proculi.

Scripsit[2] super Philosophiam naturalem et moralem, et metaphysicam[3] quorum librorum procuravit, quod fieret nova translatio, quae sententiae Aristotelis continet clarius veritatem, et alia multa opuscula de naturalibus quaestionibus, et scripsit aliqua super Logicam : et quidquid potuit legere, divino adjutus lumine, potuit explanare. In quo ostendit Deus, quod ipsum ad perquirendam omnium veritatem elegerat, quem de omnibus prae ceteris illus-

1. Cod. Flor. omittit ista tria opera.
2. Isti duo tractatus omittuntur in Cod. Flor.; afferuntur autem in Cod. Burn. et Vat.
3. Cod. Flor. omittit omnia usque ad verba : « et alia multa opuscula ».

trabat : quia nunquam in se peccando[1] deo opposuit obicem a quo orando quaereret veritatem; unde videtur Deus in dicto Doctore, dum viveret, manifestum ostendisse miraculum, ut tam modico tempore forte in XXV annis qui inter Magisterium ejus et obitum in vita fluxerunt, bis redeundo in Italiam et eundo Parisius, tot potuerit libros per suos scriptores in scriptis redigere, tot quaestiones tam sufficienter discutere, et tot novitates scribendo docere : ut non videatur potuisse totum tempus suum in aliis occupare, nisi in sanctarum meditationibus Scripturarum, qui comedendo, ambulando et quidquid aliud faciendo, non putabatur contemplando potuisse aliud meditari, nisi quae post comestionem oportuisset scribere vel dictare. Qui quod potuisset tot libros in tam brevi tempore facere, per aliud admirandum indicium Deus mirabiliter demonstravit. Nam ut vera relatione sui socii et suorum studentium est compertum, praedictus Doctor de diversis materiis tribus scriptoribus et aliquando quatuor in sua camera[2] eodem tempore, Spiritu revelante, dictabat, ut videretur Deus simul ejus intellectui diversas veritates infundere, quas simul posset non absque miraculo manifesto dictare, ut non videretur Doctor iste mirabilis ignota perquirere, sed quasi collecta divinitus in ejus memoria de thesauro spiritus multiplicis Sapientiae revelare : quasi videretur esse hujus Doctoris scientiae habitus inundans doctrinae fluvius Scripturarum qui in eo desuper oriens et de divinae Sapientiae fonte descenderet, quem in diversos libros, quasi diversos rivulos derivaret. De quo retulit scriptor suus quidam Brito evenus[3] Garnit Crocarensis dioecesis, quod postquam dictaverat sibi et duobus aliis scriptoribus quos habebat, tamquam fessus prae labore dictandi, ponebat se dictus Doctor pro pausationis gratia ad quietem, in qua etiam dormiendo dictabat. De cujus ore dormientis, quae audiebat praedictus scriptor, redigebat in scriptis, continuando materiam, de qua ante scripserat, cum vigilando dictabat, ut videretur eius anima sic administrare corpori in viribus sensitivis ut in intellectualibus a carnis onere vide-

1. In se peccando posuit deo obicem. In textu Bollandianorum falso habetur : praedicando.

2. Cod. Flor. : recumbens et aliquando perambulando dictabat.

3. Quisnam fuerit ille Brito evenus Garnit, non potui invenire. Cod. Flor. et Vat. asserunt illum fuisse « Trecorensis dioecesis », quae est forsan Tréguier in Gallia, Crocasensis vel Crocagensis dioecesis est Cork in Britannia.

retur esse soluta, ut posset dicere : Ego dormio et cor meum vigilat, qui etiam vigilans cum Deo contemplationis otio dormiebat.

De erroribus quos predictus doctor destruxit. Et primo de errore Averroys. (C. XVIII.)

Quantum autem fuerit Ecclesiae utilis hujus doctrina Doctoris, non solum ad manifestationem utriusque Testamenti Catholicae veritatis, sed ad confutationem pravitatis haereticae, Deus in ipso principio sui Magisterii, et deinceps miseratus ostendit. Nam praeter praedicta magna volumina, quasi fidei Christianae in sanctis montibus posita fundamenta, in quibus antiquas haereses confutavit sicut alii doctores quasdam novas hereses suo exortas tempore divino Spiritu revelante destruxit, quarum haeresum prima fuit error Averrois, qui dixit unum esse in omnibus hominibus intellectum. Qui error malorum favebat erroribus, et Sanctorum virtutibus detrahebat : dum uno existente in omnibus intellectu, nulla esset differentia hominum, nec distantia[1] meritorum. Qui tantum invaluit etiam in mentibus simplicium, sicque se periculose infudit[2], ut requisitus quidam miles Parisius, si vellet in suis ultimis de suis criminibus se purgare, responderit : Si anima B. Petri est salva, et ego salvabor : quia si uno intellectu cognoscimus, uno fine exitii[3] finiemus. Quem errorem cum essent scholares Golardiae[4] imitantes, qui Averrois sectatores communiter erant; poterat praedictus error plures inficere, quibus potuissent predictum errorem sophisticis rationibus suadere. Unde contra hunc errorem praedictus Doctor fecit scriptum mirabile, in quo praeter rationes fidei, quibus praedictus error eliditur, per dicta etiam Aristotelis, quae Averroes male intellexerat, a radice

1. Cod. Flor. : distinctio; Cod. Vat. : discretio.
2. Cod. Flor. : sic quod se perniciose infudit.
3. Cod. Flor. et Vat. : melius habent : in vitae exitu.
4. Cod. Vat. rectius scribit : garlandie. Isti scholares garlandie videntur fuisse discipuli Johannis de Garlandia, qui fere eodem tempore, quo S. Thomas venit Parisium, docuit in Universitate Parisiensi cum magno plausu grammaticam et poesim. Ipse quidem videtur fuisse vir probus, sed ejus discipuli nimis adhaeserunt Averroismo. (Cf. Leop. Delisle, Notice sur les œuvres authentiques ou supposées de Jean de Garlande, par M. Haureau, dans Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibl. Nat., t. XXVII (1879), 1-87.)

evellitur et nihil rationis habere monstratur : ut nullus, qui possit dicta Aristotelis capere, possit quin sit praedictus error irrationabilis dubitare.

De errore Guillelmi de sancto amore, segeri et eorum sequacium (C. XIX.)

Post hunc errorem praedictus Doctor Parisius destruxit alium de novo exortum : qui error non fuit ab infideli commentatore exortus, sed a fidelibus licet in hoc non fidelibus, Guillelmo de Sancto Amore, Sigero et aliis eorum sequacibus adinventus. Qui errando dicebant, quod Religiosi mendicantes, non laborantes manibus, non poterant in sola studii contemplatione salvari, consiliorum perfectioni et supererogatae justitiae detrahentes : addentes et multa alia erronea simul et falsa sophismata contra Religiosorum paupertatem et eorum salutaria instituta; volentes funditus paupertatis Religiones suffodere, quas, sola eos stimulante invidia, non poterant tolerare. Quorum error tanto maius periculum fidelibus afferebat, quanto major magistratus auctoritas fidem dabat : quem cum redigissent in scriptis aggravaverunt suam malitiam, a qua nec diutius meditantes, dum scriberent, se noluerunt avertere : Quanta erat iniquitas Sanctos Dei ex sola invidia impugnare? Qui ad eorum perniciem volumen volans maledictionis et impietatis haereticae conscripserunt. Quod ut in aures divulgaretur universalis Ecclesiae, ad pauperum Religiosorum infamiam, et subversionem religionis paupertatis et vitae, ac delectionis[1] perpetuae in ruinam, sanctissimo Patri Domino Clementi Papae quarto, quasi zelatores Ecclesiae, impugnatores fidei obtulerunt. Quod cum ad petitionem Reverendi Patris Fratris Joannis de Vercellis[2] praefati

1. Cod Vat. : ac delectationis perpetue injuriam.

2. Quae hic narrat Guillelmus de Tocco et quae simili modo supra p. 31 a Petro Calo prolata sunt, magnas facessunt difficultates. « Sus deque miscet omnia Guillelmus de Tocco, » ita judicat Bern. de Rubeis (l. c., diss. XX, c. II). « Guillelmus de Tocco in Vita S. Thomae (A. A. SS. Mart., I, 666) omnes disceptationes contra Guillelmum de S. Amore falso ad aetatem Clementis IV et Johannis Vercellensis refert. » Ita asserit Denifle (Chartul I, n. 273, pag. 312). Sequentia certa sunt : 1. Librum Guillelmi de S. Amore « de periculis novissimorum temporum » jam condemnatum fuisse ab Alexandro IV a. 1256, d. 5 oct. (Chartul. l. c. n. 288). 2. Tunc temporis Magistrum Generalem non fuisse Johannem Vercellensem, sed Humbertum Romanum. — Bernardus de Rubeis (l. c.),

Magistri Ordinis, cui incumbebat, de mandato Summi Pontificis, praedicto volumini respondere, fuisset praedicto Doctori, cum esset Anagniae in Capitulo, coram Fratribus non sine singultu et lacrymis significatum[1], qui de statu Ordinis in pugna adversariorum tam gravium dubitabant; Frater Thomas ipsum volumen accipiens, et se Fratrum orationibus recommendans, cum perlegisset attentius et intellexisset profundius, reperit praedictos Magistros, quos non amor agnitae veritatis afflabat, nec zelus fraternae salutis accenderat, sed veritatis aemula et inimica caritatis invidia perurgebat, a fundamentis errasse fidei, et male intellexisse Sanctorum auctoritates inductas. Unde vocatis iterum in Capitulo de mandato predicti Magistri Ordinis Fratribus, Frater Thomas afflatus divino Spiritu, quo in omnibus agebatur, dixit : Fratres, in Deum confidite, qui vos vocavit in suum obsequium : quia libellum legi impugnantis perfidiae, et inveni ipsum male fundatum in veritate fidei, et male constructum Sanctorum auctoritatibus in auxilium fulcimenti. Cui nefando libello invocato sancto Spiritu, qui falsa denudat, dum revelat abscondita, per libellum veritati consonum respondebo. Quem cum in modico tempore de mandato prefati Summi Pontificis perfecisset respondens argumentis nefariis et suppositis fidei fundamentis, libellum Summo Pontifici obtulit. Quem acceptans ut mere Catholicum, condemnavit libellum oppositum, et eum in publico consistorio comburi fecit in fide suspectum. Quem libellum ad explicandam eorum malitiam, et ad Dei justitiam a Dei Vicario implorandam sic incepit : « Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. Super populum

rejectis aliis explicationibus, rem se habuisse hoc modo opinatur : « Parisiis in Italiam ac Romam et Anagniam anno 1256 currente adventaverat S. Thomas. Huic Albertus Magnus, qui in Theutoniam reversurus erat, munus et onus reliquit causae, quae agebatur, tuendae ac propugnandae adversum magistros Parisienses. Mandante Pontifice Alexandro IV ac urgente Humberto de Romanis, Generali Ordinis Praedicatorum Magistro, opus ille agressus est complevitque : contra impugnantes Religionem. Latum ergo ab eodem Pontifice anathema, redactusque in ordine Guillelmus de S. Amore. Quievit ipse diu, volens nolens : libellum suum innovavit; transmisitque demum ad Clementem IV. Nonnisi veterem errorem recantari agnovit Summus Pontifex. Legendum is Joanni Vercellensi novum librum tradidit, ipseque Magister Generalis Aquinati examen commisit, ut si quid novae difficultatis inesset, responderet. Nihil vero deprehensum, quod nova responsione refutandum foret : adeoque Guillelmi de S. Amore libellus derelictus fuit contemptusque. Haec sunt omnia verisimillima. » — Equidem non nego hanc explicationem esse verisimilem, sed remanent dubia cuilibet legent totam dissertationem XX hac de re a Bernardo de Rubeis conscriptam.

1. Cod. Vat. : assignatum.

tuum malignaverunt consilium et cogitaverunt adversus Sanctos tuos, » etc. Quem librum non est visus praedictus Doctor sic cito composuisse humano ingenio, sed potius in Spiritu accepisse de dextera sedentis in throno. In quo cum omnia tela hostis nequissima praedictus Doctor penitus extruxisset prefatus Summus Pontifex ipsum libellum, et libelli nefarii condemnans auctoritates[1], ipsos Magistros errorum cum suis complicibus de cathedra magistratus deposuit, et expulsos de Parisiensi studio omni dignitate privavit. Praedictus vero Doctor post divinitus obtentam victoriam non elatus, sed humilior Deo factus Parisius rediït, et ad confusionem insultantium contra Sanctos, et consolationem sequentium veritatem, praedictum libellum, quasi ad omnes articulos disputavit, ostendens fundamenta esse firmissima Religionis consulta a Domino paupertatis, a quibus erravit persecutorum pertinax ausus malitie in eorum salutis perniciem et ruinam. Et quia consonum erat, quod invicto Ecclesiae pugili aliquis favor ad augmentum ecclesiasticae[2] disciplinae consurgeret, qui ad studium animaret, pro praedicto spectabili triumpho victoriae, favente Illustri Rege Franciae S. Ludovico, Ordo Praedicatorum habere meruit in sacra Theologia Parisius duas scholas[3], ut ex eo Ordini honor consurgeret, unde praedictus Doctor Ecclesiae adversarios fidei scholastica disputatione vicisset.

De errore novi spiritus libertatis et tertii status mundi. (C. XX.)[4]

Destruxit et tertium pestiferum pravitatis errorem Doctor iste mirabilis, qui error antiquus extitit, et perniciosior de novo surrexit, qui sub pio nomine omnem impietatis perniciem continens, vocatur de novo spiritu libertatis. Cujus sectatores simul et inventores se nominant Fraterculos de vita paupere, ut etiam sub hoc humilitatis sophistico nomine simplicium corda seducant : quos captos potius haeretica pravitate fermentant, quorum mentes, dum non probant, utrum a Deo sint spiritus, sic mendax spiritus demen-

1. Cod. Vat. : auctores.
2. Cod. Flor. : scolastice.
3. De istis duabus scholis vide Denifle (Chartul. n. 230, 268, 273).
4. Cod. Vat. : De destructione erroris novi spiritus et contra ponentes tertium statum mundi, cap. XXI.

tavit, ut sub uno capite Christo duas fingant Ecclesias : unam carnalium, super quam Summus Romanus Pontifex praesidet, sub quo per diversas provincias ipsam Praelati ejus auctoritate gubernant. Contra quam Ecclesiam, quae Christo copulatur in sponsam, sic profano ore blasphemant, ut hac reprobata, aliam mentiantur esse Ecclesiam spiritualium, de qua esse se asserunt, inventores erroris pariter et sequaces. Qui dum[1] dicunt se duci spiritu libertatis, in omnem servitutem pravitatis haereticae eodem spiritu praecipitante labuntur. Quibus miserrimus spiritus divisionis et erroris, quot potuit ipsorum phantasias subvertere, tot dedit sectas pravitatis haereticae invenire. Quorum dementia ad fundandas in ruina sine fundamento haereticas pravitates tertium novum[2] fingit statum et sine testatore Christo novi spiritus Testamentum, sub quo status Ecclesiae debet hoc novo tempore immutari. Quorum errores praedictus Doctor in suis scriptis in diversis locis elisit : ostendens post Christi Evangelium et filii Dei ultimum Testamentum per quod in haereditatem coelestem fidelis omnis ingreditur[3], nullum alium statum Ecclesiae debere succedere, sed istum, qui nunc est gratiae, praeparativum gloriae, usque ad finem seculi permanere. Et quia ex dictis abbatis Joachim praedicti haeretici fomentum sumunt praefati erroris pestiferi, praedictus Doctor in quodam monasterio petivit librum praefati Abbatis, et oblatum totum perlegit, et ubi erroneum aliquid reperit vel suspectum cum linea subducta damnavit, quod totum legi et credi prohibuit, quod ipse sua manu docta cassavit. Contra quem errorem pestiferum sanctissimus Pater dominus Joannes Papa XXII, ad quem pertinet haereses condemnare, mirandam edidit decretalem, quorum errores, dum in ipsa descripsit, sacri canonis auctoritatibus, potenter elisit[4].

De destructione Schismaticorum et omnium Graecorum. (C. XXI.)

Destruxit quarto praedictus Doctor illum antiquum Graecorum Schismaticae pravitatis errorem : qui praeter alias haereses in

1. Cod. Flor. et Vat. : quidam.
2. Cod. Flor. : statum mundi et novum fingunt sine Christo testatore.
3. Cod. Flor. et Vat. : ingredimur.
4. Cf. quae supra p. 32 de hac re adnotavimus.

quas schismaticae pravitatis scelus praecipitat, in hunc devenerunt errorem, ut Romano Pontifici, Successori beati Petri et Christi Vicario, obedire recusent. Contra quos de mandato Summi Pontificis Urbani specialem libellum edidit, in quo per Doctores Graecorum ipsos perspecta veritate convicit. Nec solum praefatus Doctor praedictos destruxit errores, sed tot, quot potuissent succrescere, si contigisset praedictum Doctorem tot veritates fidei non docere. Erat enim Scriba doctissimus, proferens nova et vetera de novo et veteri Testamento.

Sed quia frequenter contigit quod, dum intellectus superius subtilia speculatur, affectus inferius a devotione remittitur, praedictus Doctor die quolibet unam lectionem sibi de patrum collationibus faciebat. De quo interrogatus cur interdum speculationem dimitteret, respondit : Ego in hac lectione devotionem colligo, ex qua facilius in speculationem consurgo, ut sic affectus habeat, unde se in devotionem diffundat, et intellectus ex hujus merito ad altiora conscendat. In hoc sui Patris Dominici imitatus exemplum, qui in dicto libro legens frequentius, magnum perfectionis apicem apprehendit : unde creditur praedictus Doctor nihil minus habuisse a Doctoribus magnis in gloria, qui nihil minus in vitæ sanctitate habuit, et doctrina : sicut Fratri Alberto de Brixia, qui etiam in vita et post mortem miraculis claruit[1], vigilanti et oranti fuit

1. Codex Florentinus hic omnia sequentia addit, quae Antonius de Brixia testatus est in processu Cannonizationis (n. 66) :

Claruit admiranti quomodo potuit in tam brevi tempore quo vixit ad tantam sanctitatem et scientiam pervenire, fuit aperta visione monstratum. Nam cum super hoc mirabili deum, beatam virginem et beatum Augustinum, ut ei gloriam venerabilis doctoris beati Thomae de Aquino ostenderent, frequentius cum lacrymis ante altare beate virginis exorasset, sibi vigilanti et oranti apparuerunt due reverende persone cum splendore mirabili et ornatu, quarum una mitram portabat in capite, alia erat in habitu fratrum ordinis predicatorum, qui coronam portabat in capite, auream, lapidibus preciosis contextam, habens circa collum duas aureolas argenteam et auream et in pectore magnum lapidem preciosum qui ecclesiam suo splendore illuminabat. Cappam vero gestabat intextam per totum lapidibus preciosis, tunicam et scapulare candoris nivei. Qui frater Albertus stupefactus de tam mirabili visione proiecit se ad pedes eorum supplicans, ut ei indicarent qui essent, qui ei tam mirabiles apparerent. Et tunc ille qui mitram portabat respondit : Quid, frater Alberte, sic admiraris? Exaudite sunt preces tue. Ecce nunc manifesto tibi, quod ego sum Augustinus doctor ecclesie qui missus sum ad te indicare tibi doctrinam et gloriam fratris Thome de Aquino qui mecum est. Ipse enim est filius meus qui doctrinam apostolicam et meam est secutus et ecclesiam dei sua doctrina illuminavit, quod designant lapides preciosi et precipue lapis quem gestat in pectore qui designat intentionem rectam quam ad defensionem fidei habuit et declarationem ostendit. Ceteri vero lapides preciosi libros multos et opera scripture sue que composuit. Et licet Thomam precedam pontificali infula, ipse vero super me polleat virginitatis aureola, sumus tamen pares in gloria.

aperta visione monstratum, beatos Doctores Augustinum et Thomam pares esse in gloria, licet Augustinus infula pontificali praecederet et Thomas super Augustinum virginitate polleret. Quam visionem apertam praedictus Frater Albertus adjuratus compulsus est revelare, cum frequenter fuisset auditus asserere, praedictum Thomam magnum Sanctum esse in patria et hoc publice praedicare : quia nullus potest de tanti Doctoris dubitare gloria, cujus tam certa testimonia sunt de vita.

De conversione duorum judaeorum magnorum praedicatione et oratione divinitus patrata. (C. XXII.)

Et non solum Deus voluit per praedictum Doctorem haereticam pravitatem convincere : sed et caecitatis Judaicae tenebras misericorditer dignatus est illustrare. Nam in Molaria castro Domini Richardi[1] Cardinalis prope Romam, cum praedictus Doctor in festo Nativitatis Domini cum praedicto Domino moraretur, et ad eum duo magni Judaei litterati et divites, sicut omni anno consueverant, convenissent, rogavit praedictus Dominus, ut praefatus Doctor cum eis de eorum conversione tractaret. Cum quibus cum diutius contulisset de Lege veteri, et Salvatoris adventum probasset per dicta plurium Prophetarum, dedit eis terminum ut in crastinum de eorum conversione, et super his quae proposuerat, responderent. Pro quorum conversione cum pius Doctor orasset, et eam petivisset a Dei Filio, ut eam sibi in suae nativitatis gaudio concedere dignaretur, ecce Judaei in termino ad praedictum Doctorem conveniunt, et eo viso, divino afflati spiritu convertuntur, confitentes se non posse spiritui, qui in ipso loquebatur, et sapientie, nisi quod persuaserat respondere. Fitque magnum de festo Dominicae Nativitatis gaudium, et quod Judaeis perfidis conversionis beneficium est Deo miserante donatum; et Dominus Cardinalis de utroque festum cum magno gaudio celebravit. Consueverat[2] autem praedictus Doctor quolibet anno in praedicto festo

1. Iste est Richardus Hannibaldensis, creatus cardinalis a. 1237, mortuus in concilio Lugdunensi 1274. Non est confundendus cum ejus nepote Hannibaldo de Hannibaldis, qui etiam dignitate cardinalitia fulgebat et ex ordine Praedicatorum fuit assumptus. (Cf. Quétif, Scriptores, I, 261.)

2. Cod. Flor. et Vat. omittunt totam hanc phrasim.

aliquam novam habere de Deo et gloriosae Virginis Filio visionem, quae animo ejus afferret gaudium et avidum satiaret affectum.

De diversis hujus doctoris virtutibus (C. XXIII).

Ut autem radix hujus Doctoris scientiae, quae tantum erat in fructibus multiplicanda doctrinae, nos aliquo modo non lateat; sed ad Dei et Sancti laudem, et exemplum omnibus innotescat, praeterire non debemus narrationem suorum actuum et virtutum. Erat enim praedictus Doctor in sui reputatione humillimus, corpore et mente purissimus, oratione devotus et consilio providus, et conversatione placidus, caritate diffusus, intellectu lucidus, ingenio acutus, judicio certus, memoria retentivus[1], a sensibus quasi quotidie elevatus, et omnium quasi temporalium contemptivus, ut omnium virtutum unus homo haberet habitus, ex quibus sibi ad meritum et aliis in exemplum similes producerentur effectus.

De hujus doctoris miranda humilitate (C. XXIV).

Et primo de ejus humilitate narrandi virtutes ejus sumamus principium, a qua omnium virtutum proficit incrementum. Unde de sua humilitate fertur, quod praedictus Doctor in sua puritate dixit : Regratior Deo, quia nunquam de mea scientia, cathedra magistrali, et de nullo actu scholastico habui motum inanis gloriae, qui meum a sede humilitatis extolleret animum. Et si primum motum praevenientem rationem habui, ejusdem rationis judicio superveniente depressi : non enim potuisset in tam sublime erexisse animum ad divina, nisi ad fundamentum humilitatis sua deposuisset humana. Erat enim sibi conscius a Deo se scientiam habere, qui dederat; et ideo in suo animo motum inanis gloriae habere non potuit noxium, qui quotidie sciebat sibi fieri divinae veritatis influxum. Cujus humilitatis indicium ex ejus humili conversatione ostenditur : ex qua, qualis fuit ejus interior animus, edocetur. Unde cum potuisset Doctor mirabilis ex illa sublimi speculatione a divinis ad humana descendere, sic erat in conversatione tractabilis et in locutione suavis, ut vere ostenderet a Christi

1. Cod. Flor., retentus.

forma se exemplatum[1] procedere, cujus vitam meruit et contemplando cognoscere et praedicando docere, quia non potuisset a Deo tantam habere scientiam, nisi vivendo prius didicisset ejus ex humilitate doctrinam.

Exemplum de hujus doctoris magna humilitate (C. xxv)[2].

De cujus mirabili humilitate dicitur quod cum in conventu Bononiensi praedictus Doctor transiens moraretur et more solito per claustrum contemplativus incederet, Frater quidam alterius conventus, qui Doctorem non noverat, venit ad eum, petita et obtenta licentia a Priore, quod cum fratre qui primo sibi occurreret, in civitatem ad sua negotia ire liceret : et dixit ei : Bone Frater, Prior mandavit, quod veniatis mecum. Qui statim inclinans caput secutus est eum. Post quem cum non potuisset sic festinanter incedere, frequenter redargutus a socio, se humiliter excusavit. Cives vero, qui eum noverant, admirati, quod tantus Doctor post Fratrem modicae[3] conditionis incederet, de quo[4] erat dignus, ut praeiret; cogitantes hoc ex errore aliquo contigisse indicaverunt Fratri, quis esset ille, quem duceret. Qui conversus ad Fratrem Thomam, petivit veniam, ut ejus ignorantiae indulgeret; et conversis praedictis civibus ad magistrum cum reverentia et interrogantibus de tantae humilitatis exemplo respondit : Quod in obedientia perficitur omnis religio[5], qua homo homini propter Deum se subjicit, sicut Deus homini propter hominem obedivit. — O felix humilis anima, quam dignitas magistratus non extulit, nec tanti Doctoris status conditio a radicibus humilitatis avulsit : cui non est visum aliquam excusationem opponere, ubi ex verbo Prioris innotuit obedire. Qui quamvis non esset discursibus assuetus qui divinis meditationibus erat intentus, in promptu tamen habuit obedientiam, quam esse noverat virtutum omnium ex humilitate magistram.

1. Bollandiani : exemplariter.
2. In Cod. Vat. deest haec superscriptio.
3. Boll., tantae.
4. Cod. Flor., qui.
5. In margine linea rubea subducta habetur : perfectio totius religionis perficitur in obedientia.

Aliud humilitatis exemplum coram Universitate Parisiensi ostensum.
(C. XXVI.)

Aliud exemplum ad praedicti Doctoris humilitatis indicium fuit ab his qui fuerunt cum ipso Parisius veridica assertione relatum. Quod cum quidam Religiosus[1] Parisius deberet per cancellarium examinari ad Magisterium in vesperis, sicut est moris, Licentiandus de objectis quaestionibus opinionem contrariam tenuit veritati, quam in suis scholis Frater Thomas determinaverat. Cui cum vir ille patientissimus non reputans sibi praejudicatum, in quo ei fuerat a Magistro adhuc novitio contradictum, quasi vere humilis, qui sui contemptum ut magnanimus contemnebat, quietus mente et verbo tranquillus, cum suis Fratribus sociis rediit ad conventum. Studentes vero, et praedictus socius ejus sui magistri non ferentes injuriam, dixerunt : Magister, nos graviter in vestra persona sumus offensi, quia ille Magister contra vestram opinionem non debuit dicere, et vos non debuistis hanc veritatis injuriam coram omnibus Magistris Parisiensibus sustinere. Quibus quietus Magister plus in animo quam in verbo respondit : Filii, visum est mihi, novo Magistro in suo principio esse parcendum, ne confunderetur in conspectu omnium Magistrorum. De mea vero doctrina non dubito de cujuscumque contradictione Doctoris, quam Deo operante firmavi Sanctorum auctoritatibus et rationibus veritatis. Si Fratribus tamen videtur aliud, die crastino supplere potero, quod omisi. In crastinum autem cum ad idem in aula Domini Episcopi coram eisdem Fr. Thomas cum studentibus convenisset, et eaedem quaestiones et determinationes fuissent per Licentiandum[2] sine correctione aliqua repetitae, Frater Thomas cum omni moderamine dixit Magister, ista vestra opinio, salva veritate, teneri non potest, quia est contra tale Concilium : unde oportet vos aliter dicere, si

1. Iste Religiosus videtur esse Johannes Peckham. Etenim in Processu cannonizationis (AA. SS. Mart. I, 712, n. 77) idem factum narratur his similibus verbis : « Quando idem Fr. Thomas una vice disputabat Parisius, ubi erat Fr. Johannes de Pizano ordinis Fratrum Minorum, qui fuit postea archiepiscopus Cantuariensis, quantumcunque dictus Fr. Johannes exasperaret eundem Fr. Thomam verbis ampullosis et tumidis, nunquam tamen ipse Fr. Thomas restrinxit verbum humilitatis, sed semper cum dulcedine et humilitate respondit. » Cl. P. Denifle (Chart. Univ. Paris. I, pag. 635) opinatur hanc disputationem habuisse locum, quando Thomas secundo Parisiis legit, i. e. an. 1269-1271.

2. Cod. Flor : per Licentiatum sine correptione aliqua.

non vultis a Concilio discordare. Tunc aliter dicere coepit, sed opinionem in sententia non mutavit. Contra quem iterum arguens, et Concilium contra ipsum adducens, compulit ipsum suum confiteri errorem, et petere humiliter a praedicto Doctore scire plenius veritatem. Tunc Frater Thomas dixit : Modo bene dicitis, et docuit eum quod erat pro veritate tenendum[1]. De quo Magistri omnes admirati sunt de tranquillitate mentis ejus et verbi, qui sic arguebat adversarium quasi doceret discipulum, et quod tantae scientiae subito proposuisset mirabile documentum, ut suum locum teneret et debitum solveret occulta virtus animi, et veritas manifestata Magistri.

De dicti doctoris mentis et corporis puritate. (C. XXVII.)

Meruit etiam praedictus Doctor ad tantam sapientiam sublimari, non solum ex humilitate, qua se paravit obediens, ut ipsam susciperet : sed ex puritate mentis et corporis, qua apud Deum digne meruit ut haberet. Legerat enim et scripserat, quod in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo puritatem mentis et corporis habere studuit, quam sciens haberi non posse ex humano merito, petivit a Deo, ut sibi largiretur ex dono; quod certum est collatum sibi fuisse virginitatis donarium, sicut ex visione, quam in carcere habuit, reali fuit indicio Angelicae visionis ostensum. De cujus Doctoris puritate mentis et corporis fidem fecit testimonium Fratris Raymundi Severi praedicti ordinis, qui frequenter cum juramento asseruit, quod existens Parisius in studio cum praedicto Doctore, non recordabatur in septem annis quibus simul fuerant, quod audisset in confessione ejus habuisse eum in carnali cogitatione consensum, qui rarissime habuerat primum motum; cum toto illo tempore mutuo sibi per confessionem conscientias panderent et alternatim ad sacrum Missae ministerium[2] se juvarent. Erat autem praedictus Frater Raymundus vir magnae religionis et famae, quem sanctum fuisse tanti Doctoris conversatio tantae diuturnitatis ostendit. Ad testimonium[3] autem hujus puritatis

1. Cod. Flor. et Vat. : plenius veritatem.
2. Cod. Vat. et Boll. : mysterium.
3. Cod. Flor. : Ad certitudinem etiam ejus puritatis facit testimonium.

assertio facit sui in ultimis confessoris et socii continui Fratris Raynaldi[1] de Piperno qui totius vitae suae meruit esse comes et testis : qui pluribus et pluries retulit quod confessio dicti Doctoris fuit in ultimo sicut confessio pueri quinque[2] annorum, qui nunquam habuisset peccati mortalis in aliqua pravitate consensum.

De hujus doctoris puritate mirabili cuidam fratri in visione revelata.
(C. XXVIII.)

De hujus Doctoris puritate mirabili et inviolata ac modernis temporibus inaudita, facta est revelatio cuidam Fratri[3] devoto dicti Sancti, de quo inferius dicetur, quod revelationem habuit de reti argenteo contexto in nodis diversis lapidibus pretiosis, cum cogitasset ejus historiam texere, et de quo posset ipsum virtutibus commendare. Qui cum prosecuturus praedicti Doctoris cannonizationem rediret ad Curiam et esset in parte[4] Asturii cum intolerabili tempestate, rogavit praedictum sanctum Thomam, sicut frequenter oraverat, quod sibi aliquam revelationem ostenderet, qua in tanto periculo et laboris taedio ipsum aliquatenus sublevaret. Quo devotius orante cum lacrymis, circa auroram post petitionis instantiam dormienti Fratri B. Thomas apparuit satis

1. Cod. Flor. habet : Fr. Raymundi de Piperno, viri litterati et religiosi.
2. Cod. Flor. : septem.
3. Bollandiani putant hunc fratrem esse ipsum Guillelmum de Tocco, auctorem hujus Legendae. Sed mirum est, quod ipse Guillelmus, qui die 4 Aug. 1219 tanquam testis citatus et juratus comparuit in processu cannonizationis S. Thomae, nec verbulum dicit de hac duplici visione. Illum ex humilitate tacuisse haud verisimile est, cum ex juramento praestito debuerit dicere totam veritatem. Hinc non est possibilis nisi duplex explicatio : altera : Iste frater non est Guillelmus de Tocco; altera : Guillelmus de Tocco habuit has visiones saltem post primum processum cannonizationis S. Thomae. Prima explicatio est valde facilis, sed est etiam pure negativa. Altera explicatio obiter considerata videtur esse optima atque carere omni difficultate. Sed res non est ita. Etenim iste frater expressis verbis dicit se jam scripsisse *totam historiam* S. Thomae. Quapropter dicendum est Guillelmum de Tocco *bis* scripsisse vitam S. Thomae, nempe 1) totam historiam S. Thomae ante has visiones et 2) Legendam quae continet has duas visiones; immo et cannonizationem S. Thomae; et quam habemus impressam apud Bollandianos. De prima historia S. Thomae nullum vestigium superesse videtur. Sed forte quis dixerit, Guillelmum suam primam historiam postea auxisse his visionibus et narratione cannonizationis. At haec explicatio non sufficit, quoniam Petrus Calo jam narrat visionem de reti argenteo (cf. *supra*, p. 45) et tamen nihil dicit de cannonizatione S. Thomae. Ergo undique difficultates. Sermo redibit de his omnibus, quando « fontes vitae S. Thomae » fuerint typis impressi. Interim sufficiat indicasse difficultates et invitasse benignum lectorem, ut mecum quaerat solutionem.
4. Bolland. : in portu.

juvenis, sicut eo tempore fuerat, quo de hac vita transivit. De quo cum miraretur, alteri cuidam Fratri, quem ad Ordinem ipse Doctor receperat, dixit : Ecce S. Thomas junior te esse videtur. Cui respondit dictus Doctor : sic Sancti sunt juvenes. Qui cum eum interrogare vellet de historia, quam de eo scripserat, dixit : Magister ego scripsi totam historiam tuam, unum tamen mirabile est, de quo dicas mihi, si est ut scripsi, plenius veritatem; quod tu fuisti ita mortuus purus et virgo, sicut exivisti de utero matris tuae : quod post mortem praedicavit Frater Petrus de Sicia. Qui conversus quasi de sua laude aliquantulum in ruborem, dixit : Sic fuit; hoc tamen non praedicavit Frater Petrus; sed socius meus frater Raynaldus. Quem cum vellet interrogare de tota historia, si contineret in omnibus veritatem; tres globi luminis in splendore aequales, sed unus erat supra duos, apparuerunt subito ante ipsum. Tunc Frater memor quod legerat, dixit : Docuisti Magister et scripsisti, quod Sancti triplicem visionem habuerunt de Deo, aliquam[1] sensibilem, aliquam imaginariam, aliquam intellectualem : intelligens praedictus Frater hunc triplicem modum visionis praedictos tres globos luminis designare. Qui respondit : Verum est, et statim disparuit visio. — O diffusa sancti pietas, et usque ad indignum quasi nullius meriti discipulum benignitas inclinata Doctoris, qui senem in vita sustinuit, et inter afflictiones innumeras lapsum, in tantis laboribus iterati itineris sustentavit, ut speremus ipsum suis devotis in spiritualibus ampliora juvamenta tribuere, quos temporalibus quotidie non desinit adjuvare. Huic etiam puritati prae omnibus testimonium reddidit modus et miranda conversatio vitae suae; qui sic quotidie divinis contemplationibus erat intentus, ut nullo modo fieri posset contrariis ac communibus actionibus occupatus. Non enim poterat pondus carnis mentem ejus divinis rebus indesinenter intentam deponere, qui disposuerat adhuc vivens in corpore in coelestibus animo habitare. Cui suam vitam sic concesserat divinus Spiritus occupare, ut semper de virtute in virtutem curreret, ut contemplativus intellectu claresceret, et activus affectu aedificatoria cumularet. Cujus tota vita sic erat sacris actionibus occupata, ut aut oraret, meditaretur, aut legeret, praedicaret, scriberet vel dictaret; ut nullum tempus[2] vitae suae perde-

1. Cod. Burn. : hic habet tripliciter : aliqui.
2. Cod. Vat. : tempore.

ret otium, quod non esset ad exercitium sanctae actionis expensum.

De dicti doctoris contemplatione et oratione. (C. XXIX.)

Et quia consequens erat, ut, qui tam profundum humilitatis exemplum pro fundamento posuisset in infimis, tantae puritatis aedificium erexisset in medio, devotionen mentis perficeret in supremo : ideo tertio loco de ejus mentis elevatione et oratione dicemus. Erat autem supra modum devota ejus oratio, qua sic liber in Deum devotione mentis ascenderet, quasi nullum pondus carnis contrarium sustineret. Quae consueta erat nunquam excitare motum rationi contrarium, qui corpus suum coegerat fieri sub ratione subjectum. Quod non solum ex dictis apparet, quae de ejus humilitate, conversatione et puritate sunt dicta; sed ex sequentibus, quae sunt veridica attestatione probata. Erat autem praecipue devotus ad sacrosanctum Sacramentum Altaris : de quo quia ei concessum fuerat profundius scribere, donatum est ei devotius celebrare. Quotidie enim unam Missam dicebat, nisi eum infirmitas impedisset, et aliam audiebat socii vel alterius, ad quam ipse frequentius ministrabat. Consueverat autem frequentius rapi in Missa tanto devotionis affectu, ut totus perfunderetur in lacrymis, qui tanti Sacramenti sacris absorbebatur mysteriis, et reficiebatur ex donis. Unde cum semel in conventu Neapolitano in die Dominicae Passionis, multis militibus astantibus, Missam devotius celebraret, in prosecutione cepti sacri mysterii visus est absorptus sic ab altitudine Sacramenti, quasi divinis videretur admissus interesse mysteriis, et Christi hominis affici putaretur poenis : quod indicare videbatur diutina mentis abstractio et undans profusio lacrymarum. Quo diutius sic manente, admirati Fratres accesserunt, et ipsum tangentes, ut prosequeretur sacra mysteria, a profunditate qua raptus videbatur interesse mysteriis excitaverunt. Quem post sacrum sumptum mysterium, aliqui Fratres et milites sibi familiares rogaverunt, ut sibi quid accidisset in illo raptu eis dignaretur dicere et quod eis ad aedificationem crederet revelare. Qui dicere renuit, et revelata ne perderet, occultavit. Visus fuit etiam frequenter, cum cantaretur ille versus in Completorio quadragesimali tempore : Ne projicias nos in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea; quasi raptus et in devotione absorptus multis perfundi lacrymis, quas de oculis vide-

batur educere piae mentis. Erat praeterea praedictus Doctor nocturno tempore humanae deputato quieti, post brevem somnum in sua camera vel ecclesia, ad quam sibi de nocte patebat accessus, in loco, quem sibi ad orandum elegerat, in oratione prostratus, ubi orando mereretur addiscere, quae oportuisset post orationem scribere vel dictare. Sic enim tempus vitae suae, sibi concessum ad meritum, distribuit ad profectum, ut praeter illud tempus modicum, quod somno vel refectioni pro valetudine corporis sibi perfunctorie indulsisset, reliquum orationi, lectioni, praedicationi, meditationi, vel scribendis aut dictandis quaestionibus expendebat : ut sic nullum suae vitae tempus esset vacuum, quod non esset sacris actionibus occupatum. Ita quod si aliquando pro consolatione Fratrum vel aliarum venerabilium personarum cogeretur dimisso studio in locutorio consedere, a profectu virtutis et studii, etiam in illa hora modica non vacabat. Nam expeditis his, quibus oportuisset propositis respondere; aliquod historiale aut morale ad aedificationem breviter disserebat, reliquum si superfuisset tempus, priusquam ad cameram suam completa locutione redisset, surgens a loco cum quocunque sedisset, sicut non advertens divinis intentus, discurrens per claustrum vel hortum, consuetis suis meditationibus et speculationibus expendebat. Sic iterum ad orandum paratus, quasi non dimisisset oraculum, cujus nulla occupatio immutabat affectum : quia nec aliis delectabatur ejus affectio, nisi his revelationibus, quas impetrasset orando.

De his quae prædictus doctor orando petebat. (C. xxx.)

Et quia ex eo, quod petitur a Deo, oratio exauditur, necessarium est dicere, quid in oratione praedictus Doctor consueverat postulare. Qui cum esset nobilis de genere, et potuisset divitias temporales habere, sicut ipsas contempsit cum habuit, sic cum non habuit, non petivit : sed exemplo Salomonis nihil aliud, quam Dei sapientiam, quam amabat, in oratione petebat. Unde certissime creditur, quod manifeste probatur, quod praedictus Doctor merito suae orationis sive devotionis a Deo devotus obtinuit quae scripsit, quae docuit, et dictavit. Quod ex ore praedicti Fr. Raynaldi socii ejus est habitum, qui, quod de ipso viderat, servavit in dicti Doctoris vita secretum. Retulit autem praedictus socius post

praefati Magistri obitum, quod cum de monasterio Fossaenovae redisset, et lectiones, ubi dimiserat, cum esset Lector Neapoli, resumpsisset, cum ingenti fletu dixit : Fratres, ego fui a Magistro meo in vita sua prohibitus, ne miranda, quae de ipso videram revelarem inter quae fuit, quod scientiam suam quam prae aliis mirandam habuit, non humano ingenio, sed orationis merito acquisivit. Nam quotiens studere voluit, disputare, legere, scribere vel dictare, prius ad orationis secretum accedens, profusus orabat lacrymis, pro divinis inveniendis in veritate secretis : cujus orationis merito sicut de quaesitis ante orationem accedebat dubius, sic postmodum redibat edoctus. Cum autem aliquod dubium occurrisset nondum requisito devotionis oraculo, ad orationem accedens, quod erat sibi dubium divino miraculo inveniebat apertum. Unde videbatur in ejus anima intellectus et affectus, sicut se invicem comprehendunt : ut potentiae liberae; sic invicem sibi subserviebant in suis actionibus, ut supremae : ut affectus orando mereretur ad divina ingredi, et intellectus hujus merito intueri, quae altius intelligeret, quo affectus ardentius in id quod luce caperet, amore flagraret[1].

De effectu orationis mirabili praedicti doctoris. (C. XXXI.)

De quo mirando Doctore praedictus socius ejus aliud stupendum revelavit prodigium. Quod cum super Isaiam scriberet et profunda Prophetae mysteria exponendo et scribendo in lucem adduceret, pervenit ad quemdam ipsius libri textum, quem cum non intelligeret, nec ad intellectum litterae, qui ei satisfaceret, perveniret, multis diebus jejuniis et orationibus se affligens, instantia orationis obtinuit sibi dubium divinitus exponi oretenus, quod petiverat in oratione devotus. Nam uno dierum, celebrato cum devotione jejunio, de nocte audivit praedictus ejus socius ipsum loquentem, cum quo vel quibus ignorans : sonum quidem locutionis percipiens, materiam autem, de qua currebat locutio, non perpendens. Qua locutione finita, praedictus Doctor dixit socio : Fili Raynalde surge, et accende candelam, et accipe quaternum, in quo super Isaiam scripseras, et para te iterum ad scri-

1. In codice Vaticano hic inseritur visio S. Thomae habita Parisiis, in qua audivit verba: Bene scripsisti de Sacramento Eucharistiae.

bendum. Qui cum diutius scriberet, quae Doctor, quasi in libro legeret, ea facilitate dictaret : scribenti Fratri post aliquam horam dixit : Vade fili ad quiescendum, quia adhuc multum restat temporis ad quietem. Qui avidius scire volens secretum Magistri sui prodigium, quod audita locutio praetenderat revelatum, ad pedes sui Magistri procidit cum lacrymis, genibus flexis et dixit : Ego de loco isto non surgam, nisi dicatis mihi, cum quibus vel cum quo diutius estis ista nocte locutus : et coepit ipsum per nomen Domini Dei fortiter adjurare. Qui cum pluries dicere renuisset et diceret : fili, non est tibi opus hoc scire; iterum strictius adjuratus, ne nomen Dei videretur contemnere, per quod eum socius ausus fuerat adjurare, praedictus Doctor prorumpens in lacrymas dixit : fili, vidisti his diebus afflictionem meam super dubio, quod habui super istum textum, quem modo exposui, quem multis lacrymis a Deo scire petivi : unde hac nocte Deus misertus mei, misit ad me beatos Apostolos Petrum et Paulum per quos ipsum rogaveram, qui me omnia plenissime docuerunt. Sed ex parte Dei tibi praecipio, ut in vita mea non audeas revelare. — O stupendum et divinae dispensationis mysterium; ut Deus divinae scripturae suae intellectum ad tempus abscondat, quem alio tempore mira pietate revelat; ut sciatur quantum intellectus humanus a divinis deficit, qui per se ad divina mysteria non pertingit; ut ab illo petatur intelligentia cujus est revelare secreta, et discamus divina charismata in humilitate custodire, quae discimus cum difficultate, dum quaerimus, invenimus[1]. O pium et efficax Doctoris oraculum quod sic cito divinae pietatis inclinavit auditum, ut sciat homo patienter ferre, dum divina non capit, quae appetit, et confidat orando citius impetrare quod quaerit. O felix Doctor, cui divinae Scripturae Clavicularius cœli aperuit ostium, et ascensor coelestium Paulus ille mirabilis docuit in veritate secretum. O felix Doctor, hospes mundi et civis coeli, qui cum coelestibus loquitur, dum adhuc in corpore hospitatur. O certa, vera et digna fide praedicti Doctoris approbata doctrina, quae divina revelatione suscipitur, et a coelestibus Doctoribus edocetur.

1. Textus ita refertur a Cod. Burn., Flor. et Vat. — Apud Boll. est alia lectio.

De alio effectu suae orationis. (C. XXXII.)

Aliud grande prodigium praedictus socius ejus retulit de praefato Doctore, quod in ultimis constitutus revelavit ei pro Dei laude et ejus consolatione. Quod beata Virgo gloriosa Mater Dei ei apparuit, quae ipsum certificavit[1] de vita sua et scientia, et quod quidquid deliberate per ipsam a Deo petivit, obtinuit, et quod non mutaret statum sui Ordinis sicut frequenter in oratione petiverat, imperavit[2]. Erat enim praedictus Doctor virgo purissimus, mente et corpore nitidus, sicut ex ore suorum confessorum certissime est compertum. Novit autem illa mulierum fortissima Mater pia, non solum intra coelorum ordines delectata discurrere ; sed dignatur etiam peregrinantibus suae praesentiae solatium non negare : quae unde ascendit semper respicit, et tamen juxta Filium Regina consedit. Quae pie creditur Doctori suo singularem illam scientiam a Filio impetrasse, quam petiit cum puritatis lilio : quod sicut immaculatum Deo obtulit, sic servavit.

De elevatione corporis ejus, quae in oratione ejus visa est. (C. XXXIII.)

Ad habendum autem de dicto Doctore mirandae devotionis et orationis indicium, de elevatione ejusdem mentis et corporis subjungendum est certissimum apertae visionis sensibile argumentum. Nam cum esset Salerni in conventu Fratrum, visus est praedictus Doctor, ante altare majus in oratione existens, post Matutinas a Fratribus Iacobo et praedicto socio suo, qui ipsum exempli gratia observabant, duobus cubitis elevatus a terra, velut, si fas est dicere, futurum[3] agilitatis vel aliquod simile participium accepisset, quo sine pondere, quasi in sua levitate maneret. Dignum namque erat, ut animam illam, quam nulla violaret affectio, corpus sequeretur obediens, cuius affectibus numquam fuerat contradicens, quod mirabiliter Deus revelaret miraculo, quod supernaturaliter concessisset ex dono.

1. Cod. Flor. : confortavit.
2. Cod. Flor. : et petivit. Tota phrasis satis diversa est apud Bolland.
3. Cod. Flor. : futurae.

De simili effectu orationis et elevationis et revelationis ei facta. (C. XXXIV.)

Simile sed magis stupendum vidit in conventu Neapolitano de praedicto Doctore Frater Dominicus de Caserta sacrista; vir oratione devotus, actione sollicitus, et virtute probatus, qui alias habuit visiones mirabiles : qui advertens Fr. Thomam semper de camera sui studii ad ecclesiam ante Matutinas descendere et pulsato ad Matutinas ne videretur ab aliis ad suam cameram festinus[1] redire, semel ipsum curiosius observavit. Et accedens retro in capella S. Nicolai, ubi fixus in oratione manebat, vidit ipsum quasi duobus cubitis elevatum in aere. De quo diu admirans, subito audivit de loco, ad quem praedictus Doctor conversus erat ad orandum cum lacrymis, hujuscemodi vocem prodire de imagine Crucifixi : Thoma bene scripsisti de me, quam recipies a me pro tuo labore mercedem? Qui respondit : Domine, non nisi te. Et tunc scribebat tertiam partem Summae de Christi passione et resurrectione. Post quam scripturam parum scripsit propter miranda quae sibi Deus mirabiliter revelavit. Signum namque fuit certissimum, quod a scribendi cessaret opere, ex quo jam requireretur a Domino de mercede quam satis congruam petivit pro munere, ut haberet, unde reficeretur in patria, de quo scribendo tanta dulcedine delectabatur[2] in via : quem cum prae ceteris intellexisset dum viveret, prae multis aliis clarius videre meruit dum transiret.

Quod praedictus doctor fuit consilio providus. (C. XXXV.)

Fuit praeterea Doctor praedictus consilio providus, quia consequens[3] erat, ut qui divina cognosceret, de humanis certissime judicaret. Qui licet a temporalibus negotiis et mundanis miro modo esset extraneus, qui divinis rebus totaliter erat intentus[4], cum intellectum suum speculativum requisitum in concilio ad agibilia et temporalia convertisset, tam subtiliter et utiliter consulebat, quasi

1. Cod. Flor. : festinato.
2. Cod. Flor. et Vat. habent : dulcorabatur.
3. Cod. Flor. : conveniens.
4. Bolland. addunt : tamen.

videretur quis consilium requisivisse divinum; utpote qui illas regulas habebat prae oculis, a quibus omne, quod humanitus agitur, divinitus definitur : unde de illustri rege Franciae S. Ludovico dicitur, quod semper in rebus arduis dicti Doctoris requirebat consilium, quod frequenter expertus fuerat esse certum : ut utriusque in hoc perpenderetur sanctitas, et illustris regis qui in dubiis Doctorem consulendum requireret et sancti Doctoris, qui divino doctus Spiritu, quod esset utilius, responderet. Unde dicitur, quod cum primo Parisius de aliquibus arduis et necessariis in crastino deberet habere consilium, de sero mandabat praedicto Doctori, ut illa nocte super dubio imminentis casus mente intenderet, ut quod esset utile respondendum, in crastino cogitaret : quod vir obediens, sicut mandatum reciperat sic implebat.

De praedicti doctoris miranda caritate et benignitate. (C. XXXVI.)

Et quia conveniens satis erat, ut qui tot beneficia a divina largitate abundantius aliis suscepisset, se omnibus caritate diffunderet; fuit etiam praedictus Doctor caritate et pietate diffusus, ut alios a se ipso praeveniret in gratiis, quibus datus erat divinitus ut splendesceret in doctrinis. Erat enim miro modo benignus in animo, qui totus erat suavis in verbo et liberalis in facto : ut ostenderet omnibus quis Spiritus ejus habitaret in mente[1] cujus tanta suavitas procedebat ex ore : ut unusquisque, qui totius conversationis ejus vidisset effigiem, mentis ejus potuisset legere sanctitatem. Qui licet supra modum contra peccantes insurgeret, ipse qui peccata nesciret; sic pro amore justitiae et salute animae proximi Judici et Praelato consulebat contra culpam insurgere, ut Praelatus ex suo consilio, simul fieret criminis persecutor et hominis liberator; et subito[2] crimen deficeret, et homo cum crimine non periret. Et quamvis ipse Sanctus difficulter crederet, ut homo peccaret, similes sibi omnes vel meliores aestimans in innocentia et natura, cum constitisset aliquem ex infirmitate peccasse, sic alienas deflebat culpas, ut proprias; illius imitatus exemplum, qui per compassionem ut propriis urebatur incendiis in defectibus alienis. Ex qua benignitate caritatis mirandus affectus ex solo ejus corpo-

1. Cod. Burn. : quis ejus spiritum haberet in mente.
2. Cod. Flor. : in subdito.

rali aspectu videbatur oriri, ut nemo ipsum aliquamdiu alloquendo et conversando potuisset aspicere, a quo non contingeret gratiam specialis consolationis haurire : unde Frater Eufranon[1] de Salerno, in toto Ordine Fratrum Praedicatorum celebris opinionis et famae, consueverat pluries dicere, quod quoties praedictum Doctorem cum affectu devotionis aspiceret, toties ex ejus aspectu et locutione gratiam laetitiae spiritualis hauriret, quod sine Spiritus sancti praesentia esse non poterat, de quo tanta gratia procedebat. Unde ex diffusae caritatis ejus radice quidam fructus pietatis erumpebant in ramis. Nam erat miro modo compassivus pauperibus, et de suis tunicis et rebus tam abundanter indigentibus consuetus erat tribuere, quantum sibi necesse fuerat affectibus[2] abundare; nihil sibi reservans de rebus superfluis, qui sciebat esse danda ex praecepto Dominico pro supplendis defectibus alienis. De quibus ex scientia nihil sibi reservabat in crastinum, quod sciebat esse in necessitatis articulo alienum[3].

De naturali propagine dicti doctoris. (C. XXXVII[4]).

Et quamvis sit necessarium recognoscere virtutum omnium in praedicto Doctore Dei gratiam esse fontale principium, non est omittendum dicere, si naturalem eius propaginem quaerimus et invenimus, ipsam esse naturale virtutum ejus moralium fundamentum; ut in omnibus Deus laudetur, qui naturam condidit et ipsam per gratiam augmentavit. Fuit enim praedictus Doctor ad has virtutes ex natalium suorum antiqua nobilitate dispositus praecipue si generatio eius propinqua respicitur, quae adhuc in memoria recens habetur. Cuius Doctoris mater, ut hi qui eam noverunt referunt, multae dicitur fuisse devotionis, orationis et abstinentiae, quae in manibus et genibus procumbens orationi callum induxerat, quod[5] terrae multiplicatis genuflexionibus alli-

1. Cod. Flor. : Effranon.
2. Cod. Flor. : concessum erat a fratribus.
3. Bolland. : opus cuiquam.
4. In Codice Burn. mendose scribitur : c. XXXVIII. Quae quidem computatio inde videtur provenire, quia prooemium hujus legendae tamquam cap. I fuit numeratum. Caeterum res est parvi momenti. — Codices Vat. et Flor. superscribunt hoc caput : De naturali probitate et collata sanctitate prosapie predicti doctoris.
5. Cod. Vat. et etiam Bollandiani habent : quae terrae multiplicatis genuflexionibus allidebat.

debat : quae non meruisset talem habere filium, nisi eius placuisset oratio apud Deum. Soror etiam hujus Doctoris Domina Theodora, mater Domini Thomasii de S. Severino Comitis Marsici, cujus est cum laudibus recens memoria ad exemplum, tantae dicitur fuisse pietatis in alios, quod quidquid habere poterat pro necessariis suae personae, modicis contenta, in operibus misericordiae effundebat. In se vero tantae asperitatis fuisse dicitur, ut magnam partem nocturni temporis, aliis concessi ad otium, durissimis disciplinis de una catena ferrea se verberans sibi converteret[1] in tormentum : quae sensu erat provida, dispensatione magnifica, et provisione discreta et in omnibus virtutibus, in quibus se exercere poterat, singularis. Cuius corpus post felicem suum obitum, cum fuisset ad locum alium pro sua veneratione translatum, inventum est integrum, et magnum odorem astantibus reddidit, qui sanctitati suae certum testimonium dedit. Cui virtuosae propagini, quae in sanctorum memoria transiit, vivens adhuc dictae sororis filius et dicti Doctoris nepos, praedictus Dominus Thomasius Comes Marsici[2], fidem facit. Qui dum dictarum virtutum reddit odorem, praedictae se ostendit esse sanctae generationis heredem : ut non videatur dicti Doctoris generatio in bonitate novitia; quae fuit in nobilitate moris et generis, in stipite et in ramis longa praecedentium temporum antiquitate professa. De cuius Doctoris fratribus magna referuntur de probitatibus corporum sed maiora de probitatibus animarum, qui pro defensione et zelo sanctae matris Ecclesiae ab imperatore Frederico sustinuerunt exilium, et quidam ex eis pro fidelitate tormentum.

De naturali dispositione corporis dicti doctoris, quae respondebat interiori virtuti mentis. (C. XXXVIII.)

De naturali etiam dicti Doctoris dispositione corporis, sicut et mentis, dicitur quod magnus fuit in corpore, procerae et rectae staturae, quae rectitudini animi responderet : coloris triticei, ad temperatae ejus complexionis indicium : magnum habens caput, sicut perfectiones virtutum animalium quae rationi deserviunt,

1. Cod. Flor. et Burn., converterat.
2. Cod. Flor., Marsisci.

organa perfecta requirunt : aliquantulum calvus. Fuit tenerrimae complexionis in carne, sicut aptitudo eius intelligentiae indicabat in mente. Fuit virilis robore, cum se ad aliquos actus virtutis corpore exercebat : qui etiam virtute animi nihil terribile timuit, nihil abjectum pia humilitate despexit; et propter[1] hanc causam iu coassistentia divina confidit : de quo dicitur, quod vadens Parisius, cum in mari horrendam pateretur ex aere[2] tempestatem, nautis etiam mortem timentibus, ipse imperterritus in tota tempestate permansit : ut videretur Deus tam nobile corpus et organum praeparasse, quod ad actus virtutum[3] serviret obediens, quod nunquam esset rationis judicio contradicens. In terroribus autem aeris, tonitrui et tempestatis, quasi pro scuto opponendo se muniens crucis signo, dicebat : Deus in carnem venit, Deus pro nobis mortuus est.

De subtilitate ingenii eius. (C. XXXIX.)

Et quia Doctoris praedicti animum nulla sensualis passio perturbabat, nulla rei premebat affectio temporalis, nec ullius honoris inflabat ambitio, consequens erat, ut subtilis esset ingenio, et Spiritus sapientiae Dei subtilis intellectum eius acueret, in quo per gratiam habitaret. Unde fertur dixisse aliquando familiari locutione studentibus, non ad ambitum inanis gloriae, sed ad praeconium divinae laudis et gratiae, quod nunquam librum legeret, quem divino adjutus Spiritu non intelligeret et ad profundum libri mysterium non veniret. Dignum namque erat, ut ex quo scrutationi divinorum totus intenderet ad quam eum divina providentia ordinarat, ut desideriorum viro[4] divinus Spiritus nihil absconderet : sed ei, quod sacrae erat doctrinae necessarium, revelaret. Erat enim divinae sapientiae organum, per quod Deus suum voluit revelare secretum. Cuius ingenii subtilitatem, acumen intelligentiae et velocitatem diffinitivam judicii satis ostendit multitudo librorum, quos edidit, et veritatum et sententiarum novitas quam invenit : ut vix possit aliquis, quantumcumque magni

1. Cod. Flor. et Burn., qui preter hanc.
2. Cod. Flor., maris et aeris.
3. Virtutis.
4. Bollandiani habent textum satis diversum, sed evidenter minus bonum.

ingenii et sollertis studii libros quos edidit studens, ad intellectum perlegere, quos ipse potuit parvo tempore perquirere et dictare.

De certitudine judicii eius. (C. XL.)

Et quia ad subtilitatem ingenii sequitur judicii certitudo, dum intellectus quod potest subtilitate capere et[1] etiam quod verum est judicare; ideo conveniens fuit, ut praedictus Doctor sicut subtilis ingenii fuisse dicitur, sic et certi fuisse judicii evidentissime judicatur[2]. Nam opiniones et rationes, quas adhuc Bachallarius adinvenit, paucis exceptis, magister effectus scripsit, tenuit et defendit. Unde cum scripta eius ex occulta et mirabili Dei dispositione examinationi exposita essent Parisius, quorumdam magistorum aemula invidia procurante, quasi de luce auderent noctuae judicare, et per hoc scripta eius magis in veritate clarescerent, dum in eis, quod in veritate arguerent, non haberent; quidam magister Ordinis eremitarum Frater Aegidius, qui postmodum fuit archiepiscopus Bituricensis[3], qui tredecim annis praedictum Magistrum audierat, dixit deridendo insufficientiam correptorum : In hoc mirabili et digno memoria Doctore Fr. Thoma de Aquino fuit sui subtilitatis ingenii et certitudinis iudicii manifestum indicium, quod opiniones novas et rationes, quas scripsit Bachallarius, Magister effectus, paucis exceptis, nec docendo, nec scribendo mutavit; nos autem moderni temporis, sicut incerti et dubii judicii, opiniones, quas aliquando tenuimus, in contrarium arguti modico argumento mutamus. Unde et hi, qui scripta ejus examinant, non intelligentes quae iudicant, solius invidiae stimulatione laborant, et in lucem muscae insiliunt, dum quod arguunt non cognoscunt; et tenebrescunt ex lumine, dum de ignota eis non bene sentiunt veritate[4] ut de eis juste possit Ecclesia conqueri et dicere illud psalmistae : Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis : turbati sunt omnes insipientes corde : quae sancta

1. Bollandianorum textus est diversus.
2. Cod. Flor., sicut subtilis ingenii fuisse evidentissime creditur, sic et certi extitisse judicii agnoscatur.
3. Cod. Flor. et Vat. habent : Burgensis.
4. Cod. Flor. habet : dum de ignota ejus veritate crocitant. Cfr. quae supra, p. 41, adnotavimus.

Ecclesia videtur petere, ut Deus iudicio aemulos veritatis percutiat, dum praedictus Doctor doctrina divinitus inspirata coruscat : ut luce, qua Sanctus instruitur, invidus cognitione privetur. Sicque factum est divino miraculo, ut unde Doctori Sancto detrahitur, inde Deo et Sancto eius gloria cumuletur.

Quod predictus doctor fuit magne memorie. (C. XLI.)

Et quia nulla passio eius turbabat animum, qui continuum divinorum scibilium recipiebat influxum, maiori enim intervallo a contactu temporalium rerum abductus, quam ut ulla passione eius turbaretur affectus. Fuit consequenter praedictus Doctor modo mirabili memoria retentivus tantae capacitatis et retentivae virtutis existens, ut hoc quod legendo semel caperet, perpetuo retineret; ut videretur in eius anima continue fieri scintiae habitus et influxus. Et ideo nulla in eius animo poterat fieri oblivio, in quo fieret continue scibilium certitudo. Cuius mirandae memoriae certum erat indicium non solum scientiae habitus, quem sic habebat collectum in animo, quasi exemplatum haberet in libro; sed et illud opus mirabile, quod ad praeceptum Papae Urbani felicis memoriae super quatuor Evangelia de Sanctorum dictis composuit : quae perlegens in diversorum monasteriorum libris, pro maiori parte creditur ita memoriae commendasse, quasi Sanctorum dicta haberet prae oculis, quae legisset in libris.

Quod praedictus doctor fuit rerum temporalium et honorum contemptivus. (C. XLII[1].)

Et quia de necessitate sequitur, ut terrena homo despiciat, quem affectio divina delectat, ideo consequens fuit ut praedictus Doctor mundana despiceret, qui non inveniret in sensibilibus quod amaret; unde de ipso dicitur, quod mirabili modo fuit temporalium contemptivus : sive rerum, quibus homo pro necessario victu corporis utitur, sive honorum quorum dignitas praelationis ambitur.

1. Cod. Vat. hic posuit ea, quae infra c. XLIII habentur.

Sic enim divina Sapientia, quae melior est cunctis opibus, quam sibi a juventute sponsam acceperat ipsum inebriaverat caritate, ut nihil mundanum eius mentem alliceret, qui in uno bono bonorum omnium sufficientiam possideret. Qui cum concessa bona contempsit, cum habuit, non concupivit non habita : sed magnitudine animi despexit oblata, et oblitus eorum quae retro sunt, cuncta reliquit et ad anteriora se extendens obtinuit quae dilexit. Cum enim esset de nobili genere, et rerum temporalium copiam et honorum gloriam potuisset ambire; divitias magis sibi computavit et gloriam, pauperem Christum sequi et humilem, quam divitiis affluens, gradum temporalis gloriae obtinere sublimem. De quo dicitur quod semel veniens de S. Dionysio cum suis studentibus quo iverat Sanctorum reliquias et sanctum illud monachorum collegimu visitare, et vidisset de propinquo civitatem Parisiensem, dixerunt ei studentes : Magister, videte quam pulchra civitas est Parisius? Velletis esse Dominus huius civitatis? Credebant[1] enim ab eo aliquod verbum aedificationis audire. Qui respondit : libentius vellem habere Homilias Chrysostomi super Evangelium beati Matthaei. Civitas enim haec si esset mea, propter curam regiminis contemplationem mihi divinorum eriperet, et consolationem animi impediret. Sic est enim, quod quanto quis amplius amore temporalium premitur, tanto periculosius a caelestibus separatur. Sciebat enim quod nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Et ideo implicare se nolebat seculo, qui totaliter se dederat militare Deo, ne si jam missa manuad aratrum sulcandum sacratum littere et scripturarum retro ad ea, quae reliquerat conversus aspiceret, ad anteriora non redderetur idoneus, quae amaret. Et ideo oblatas sibi dignitates et redditus a B. M. Clemente IV, Summo Pontifice, qui dictum doctorem nimis carum habebat, ipse simul renuit redditus et honores, sua paupertate et humilitate contentus. Cum tamen praedictus Doctor omnes sui generis propinquos et nobiles, sub persecutione Frederici imperatoris pro causa Ecclesiae haberet in Campania profugos[2] : quibus ad subveniendum de bonis etiam ecclesiasticis de[3] licentia Summi

1. Cod. Burn. et Flor. : credentes.
2. Cod. Flor. : exules.
3. Cod. Flor., De bonis concessorum reddituum de licentia Summi Pontificis... Quinam fuerint isti redditus ecclesiastici, non potest determinari.

Pontificis movere eum poterat naturalis affectio, et ad tam nobiles pro causa Ecclesiae exules caritatis debita gratitudo : Qui sicut amore Dei necessitates sustinuit proprias, sic sustinere potuit alienas. Simile alias exemplum perfectionis et humilitatis ostendit qui recepta bulla ab eodem Summo Pontifice de promotione sua ad Archiepiscopatum Neapolitanensem, cum additione reddituum monasterii S. Petri ad Aram[1], dignitatem accipere noluit, et quod Summus Pontifex ulterius non promoveret eum ad alia, suppliciter exoravit. O felix Doctor, contemptor saeculi et amator caeli; qui fecit quod docuit; qui sic terrena despiceret quasi pignus haberet possessionis caelestium quae speraret.

Quod praedictus Doctor fuit abstractus a sensibilibus. (C. XLIII.)

Fuit praeterea praedictus Doctor miro modo contemplativus, et caelestibus deditus, maiore enim sui parte a sensibus aberat, qui totus caelestibus inhiabat, ut crederetur verius esse, ubi mente intenderet, quam ubi carne maneret. Erat enim mirabile videre hominem uti sensibus, et conversari cum sensilibus in cibo vel aliorum consortio, quantumcumque nobilium personarum, in quibus consueverant homines distrahi, subito caelestibus elevari : quasi non esset, ubi corporaliter sisteret, sed ubi mentaliter inhaereret. De cuius miranda et inaudita abstractione mentis et contemplatione dicitur, quod cum semel S. Ludovicus Franciae ipsum ad mensam suam invitasset, et ipse se humiliter excusaret propter opus Summae in theologia, quod dictabat tunc temporis. Obtinente mandato Regis et Prioris Parisiensis ut magistrum humilem inclinaret sublimem contemplatione ad[2] expressum mandatum Regis et Prioris, dimisso studio, cum illa imaginatione, quam manens in cella conceperat, accessit ad Regem, iuxta quem existens in mensa, subito veritate fidei inspirata mensam percussit et dixit : Modo conclusum est contra haeresim Manichaeorum. Quem Prior tetigit et dixit : Advertatis Magister, quia nunc estis in mensa Regis Franciae, et traxit eum per cappam fortiter, ut abstractum a sensibus excitaret. Qui quasi ad sensum rediens, inclinans se ad sanctum

1. De hoc monasterio Neapolitano vide Bollandianos. h. l.
2. In Cod. Burn. deest : ad.

Regem, rogavit, ut ei parceret, qui distractus in mensa Regia sic fuisset. De quo rex plurimum admiratus est et aedificatus a Magistro, qui cum esset nobilis, et posset ipsum tanti Regis invitatio delectare, et a contemplatione distrahere, praevaluit in eo mentis abstractio, ut elevatum in spiritu, sensus eum non deponeret in convictu. Fuit autem sanctus rex providus, ut meditatio illa, quae potuit mentem Doctoris distrahere, contingeret non perire. Unde vocato scriptore suo, voluit quod coram eo redigeretur in scripto, quod Doctor conservabat in secreto; quamvis apud Doctoris memoriam nil penitus deperiret quod influebat divinus Spiritus, ut servaret. Simile per omnia retulit Frater Raymundus Stephani[1], qui audivit ab Archiepiscopo Capuano, qui fuit discipulus praedicti Doctoris. Quod cum quidam Cardinalis, qui tunc erat legatus in regno, audisset de eo praedicta et alia admiranda, dixit praedicto Episcopo : Ordinetis quod cum praedicto Magistro habeamus familiare colloquium. Qui cum vocatus de suo studio descendisset, et tamen in sua abstractione maneret, cum exspectassent ipsum diutius sic abstractum, subito Doctor ostendit faciem hilarem indicantem mentis laetitiam, et dixit : Modo habeo quod quaerebam. Qui cum nullum signum reverentiae ad eos ostenderet, Cardinalis coepit ipsum despicere, quem aspiceret sic manere. Cui dixit dominus Archiepiscopus : Domine, non miremini, quia frequenter sic abstrahitur, ut cum quibuscumque personis fuerit, non loquatur. Et tunc traxit ipsum fortiter per cappam, qui quasi de somno contemplationis evigilans, et advertens se esse inter tantos praelatos medium, inclinans se reverenter ad Dominum Cardinalem petivit veniam, quod abstractus diutius eis debitam reverentiam non fecisset. Interrogatus autem cur in illa abstractione tam laetam faciem ostendisset, dixit : De quadam quaestione, super quam diu cogitaveram, nunc pulchram rationem inveni, de qua gaudium animi manifestavit exterior laetitia, quam ostendi.

1. Cod. Flor. et Vat. hic addunt : « Eiusdem ordinis de provincia Tholosana qui XXV annis ieiunavit in pane et aqua et fidem Christi perlustrans Persidem et Indiam predicavit. Qui nuper ad Armenos ex parte summi pontificis missus est ut eos ritum sancte Romane ecclesie doceat et ad mores predicando perducat, qui adhuc vivens pluribus dicitur claruisse miraculis. »

Bollandiani notant : « Necdum reperimus inter beatos aut viros sanctitate illustres hunc virum apostolicum. »

De visione quam praedictus Doctor habuit de anima sororis suae. (C. XLIV.)

Et quia sic praedictus Doctor de rebus sensibilibus erat abstractus, a quibus per contemptum[1] erat totaliter alienus; consequens fuit, ut dum plus quam terrenis caelestibus inhiaret, plures caelestium civium consolationes haberet. Unde fertur quod ipso existente Parisius apparuit ei imaginaria visione soror sua[2] : quae cum diceret se esse in purgatorio, certum Missarum petivit numerum, per quarum speravit liberari propitium interventum. Qui vocans studentes rogavit, ut pro sororis suae anima Missas dicerent et orarent. Quae postmodum, cum praedictus Doctor esset Romae, iterum in visione ei apparuit, et se fuisse liberatam de purgatorio et frui gloria, dictis Missis quas petiverat, revelavit. Qui Doctor cum de se quaereret quid esset, illa respondit : Tu, frater, es in bono statu et cito venies ad nos : sed major tibi gloria parata est quam nobis. Tene tantum quod[3] habes. Cui quaerenti de fratre suo Landulfo, respondit, quod erat in purgatorio : de Domino vero Rainaldo alio fratre suo dixit, quod erat in Paradiso : de quo[4] habuit hanc visionem, quod ostenso sibi libro per Angelum, qui scriptus erat litteris aureis et luzureis[5], nomen fratris Doctor reperit inter lineas aureas, quae erant Martyrum, quia pro fidelitate Eclesiae morienti sub tyrannide persecutionis Frederici Imperatoris sibi mors computata fuit ad martyrium, quod apud Deum fuit meritorium et acceptum.

De visione fratris Romani. (C. XLV.)

Alia fuit mirabilior dicto Doctori visio revelata, non imaginaria, sed corporalis et aperta : cui existenti in conventu Neapolitano in Ecclesia ad orandum, apparuit Frater Romanus, Magister in theo-

1. Cod. Burn :-conceptum
2. Eadem historia narratur in « Vitis fratrum » ed. Reichert, p. 215. Hinc licet deducere, illam accidisse ante annum 1260, quia tunc prima redactio hujus operis completa fuit. (Cf. Reichert, l. c., XVI.)
3. Cod. Burn. : quid.
4. Cod. Flor. bene addit : iterum.
5. Cod. Flor. : auzuriis; Cod. Vat : azureis.

logia, quem Parisius legentem dimiserat : cui cum attonitus frater Thomas diceret : Bene veneritis! Quando venistis? Ille respondit : Ego ex hac vita transivi, et concessum est mihi tibi pro tuo merito apparere. Tunc praedictus Doctor colligens spiritum, qui fuerat ex subita illa apparitione commotus, respondit : Ex quo Deo placet, ex parte ipsius te adjuro, ut ad quaesita respondeas. Quaero, de me quid[1]? Et si Deo placent opera mea? Et respondit : Tu es in bono statu, et placent opera tua Deo. Tum Doctor intulit : Quid est de te? Respondit : ego sum in vita aeterna, et fui in purgatorio quindecim[2] diebus propter negligentiam, quam commisi in quodam testamento, quod expediendum cito Episcopus Parisiensis commisit; et ego expedire ex mea culpa tardavi. Tunc addidit : Quaero, quid est, de illa quaestione, quam frequenter disputavimus? utrum habitus scientiarum in hac vita acquisiti maneant in patria? At ille respondit : Frater Thoma, ego video Deum, et nihil aliud de hac quaestione petatis. Et iterum petivit ab eo : Ex quo vides Deum, dic mihi, si videas Deum sine media specie, vel mediante aliqua similitudine? Tunc respondit : Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum[3]; et statim disparuit. Qui Doctor remansit ex tam mirabili et insolita apparitione attonitus, et de tam placida responsione jucundus. Felix Doctor, cui tam familiaria sunt secreta caelestia quem tam familiariter cives caeli praeveniunt, et ad caelestia regna perducunt.

De revelatione facta predicto Doctori de fratre temptato (C. XLVI.)

Habuit etiam praedictus Doctor aliam visionem imaginariam et propheticam. Nam cum Neapoli esset in choro, dum diceretur Missa conventus, portarius quendam Fratrem de choro vocavit ad portam : cui cum exhibitus fuisset pastillus[4] et ipse in cella sua diligenter deponeret, rediit ad chorum : ubi cum cogitaret quomodo pastillum suum solus posset comedere, et non teneretur alios

1. Est : om. Cod. Burn.
2. Bollandiani habent : sedecim.
3. Cod. Flor., hic addit : ad quam imbrem ingressurus eris, o magister.
4. Pastillus est diminutivum a pasta i. e. farina subacta, cocta et dulcorata. Similis historia narratur in Vitis fratrum ed. Reichert, p. 206.]

invitare, quietus esse in choro non poterat, quia ipsum tentatio perurgebat. Cuius inquietudinis causam praedictus Doctor videns in spiritu, tentatum Fratrem vocavit ad se et dixit ei : Frater, attende, quid cogitas : et illud de quo tentaris, non impleas. Qui cum diceret : Magister, nihil aliud cogito, nisi audire Missam, quae modo dicitur. Magister dixit : Dic mihi, ad quid fuisti de choro vocatus. Tunc ille seriatim narravit facti seriem, et tentationem, quae mentem eius anxie perurgebat. Et tunc Magister ei : ego vidi Daemonem, inquit, coram te saltantem, et ostendentem tibi pastillum tuum; cave ne solus comedas; sed aliis Fratribus ex caritate dispensa. De quo Frater admiratus, Deo reddidit gratias et Magistro. per quem fuerat a tentationis periculo liberatus.

De revelatione praedicto Doctori facta et diutina mentis abstractione.
(C. XLVII.)

De hoc etiam Doctore dicitur, quod existens in S. Severino, castro[1] sororis suae cum praedicto socio suo, et aliis fratribus sui ordinis, per magnum spatium temporis fuit passus extasim, ita ut a sensibus totaliter videretur abstractus. De quo cum soror sua praecipue turbaretur, quaesivit ab eius socio, quid hoc esset, quod suo Fratri subito accidisset. Qui dixit ei : Frequenter Magister in spiritu rapitur, cum aliqua contemplatur : sed nunquam tanto tempore, sicut nunc, vidi ipsum sic a sensibus alienum. Unde post aliquam horam ivit socius ad Magistrum, et trahens ipsum per cappam fortiter, quasi a somno contemplationis ipsum ultimo excitavit. Qui suspirans dixit : Raynalde fili, tibi in secreto revelo prohibens, ne in vita mea alicui audeas revelare. Venit finis scripturae meae, quia talia sunt mihi revelata, quod ea quae scripsi et docui, modica mihi videntur, et ex hoc spero in Deo, quod sicut doctrinae meae sic cito finis erit et vitae. Sicut enim Deus ille mirabilis his qui praecipui fuerunt in lege : Moysi, qui legem iustitiae Judaeis attulit, et Paulo qui Gentibus legem gratiae praedicavit, supra hominum intellectum plurima revelavit : sic et huic beato Thomae, qui de manu sedentis in throno utriusque legis libellum involutum accepit, et apertum toti Ecclesia exponendo

2. Est castrun prope Salernum.

porrexit, aliquid supernaturale lumen ingenii revelare placuit, ut maiora superesse crederet, quae naturali intelligentia non videret. Felix Doctor, cui praesentia non sunt abscondita, et revelata futura : cui datum est ex his, quae meruit scribere, potiora videre; ut ex concessione praesentium, certior ei fieret exspectatio futurorum. Tanta autem erat huius Doctoris mentis abstractio, ut interdum non perciperet se laedi a corporali laesivo. Unde semel cum esset de consilio medicorum consultum, quod in tibia portaret cauterium, dixit socio suo : Cum venerit, qui ignem debet apponere, facias me ante praescire. Quod cum fieret in loco quo cauterizandus erat, se praeparans extenta tibia, tanta fuit abstractione levatus, quod appositione ignis cauterium non percepit : cuius signum fuit, quia de loco[1], ubi tibiam extenderat, non mutavit. — Aliud simile mirandae ejus abstractionis miraculum visum est. Cum semel praedictus Doctor esset in camera sua, et dictaret summam tractuum de Trinitate, accepta una candela in manu, dixit scriptori suo : Quidquid videas in me, cave ut non me voces; et tunc in contemplatione abstracto, candela post horam consumpta est usque ad digitos, quibus ignem candelae diutius adhaerere[2] Doctor non sensit; sed ipsum ignem sine aliquo motu digitorum sustinuit, donec defecit. Simile Parisius de eo visum fuit cum[3] oportuisset fieri sibi minutionem, ut antequam minutor ad percutiendum venam accederet, de abstractione sibi ad contemplationem mentis a sensibus provideret; et tunc secure minutor venam percutiens sancti Doctoris imaginationem non poterat laedere, quem contingebat abstractum a sensibus invenire. Erat enim miro modo passibilis, et ideo subito laesivo corporis turbabatur. Unde divinitus fuit ei miraculose concessum, ut in corpore passibili viveret, et aliquando laesivum corporis non sentiret.

De devota ejus praedicatione et prosecutione sermonis. (C. XLVIII.)

Et quia sic erat Doctor mirabilis elevatus ad Deum, sic caritate diffusus ad proximum, praedicationes quibus placeret Deo, et pro-

1. Cod. Flor. : de lecto.
2. Cod. Flor. : adhaerentem.
3. Cod. Flor. : quociens.

desset proximo, sic formabat, ut non essent in curiosis humanae sapientiae verbis, sed in spiritu et virtute sermonis, qui evitatis consonantiis curiosis in divisione thematis et prosecutione sermonis, quae curiositati potius quam utilitati deserviunt, in illo suo vulgari natalis soli, quod propter continuum mentis raptum mutare non potuit, proponebat et prosequebatur utilia populo, subtilitates quaestionum scholasticae disputationi et disciplinae relinquens; qui tam reverenter audiebatur a populo, quasi sua praedicatio prodiret a Deo. Quod autem dicebat ore, implebat opere : non autem audebat aliquid dicere, nisi quod Deus dedisset eum implere. Admirabatur plurimum, ut ex eius ore frequentius est auditum, quomodo aliquis et praecipue religiosi possent de alio nisi de Deo loqui, aut de his, quae aedificationi deserviunt animarum. Unde mos ei erat adhuc in illa sua tenera iuventute, quod in communi etiam locutione, si hi, cum quibus esset, ad alia quam de Deo et ordinabilibus in Deum sua ora laxassent, statim de locutorio[1] vel a quorumcumque consortio recedebat, quasi ad eum non pertineret locutio quae aedificationem non saperet proximi, vel si loquentes de Deo non dicerent quae sunt Dei : sic enim in illo auditorio verbi Dei se disposuerat ut aut cum Deo loqueretur dum orationi insisteret, ut Deus per ipsum dum addisceret aliquid scriberet vel doceret, ut ipse in se ipso quodam modo gyrum perficeret : ut a se in Deum suae mentis motum orando inciperet, et a Deo ad proximum docendo[2] finiret. A quo in Deum contemplando et orando consurgeret, unde iterum sui motus circulum inchoaret.

De visione habita de virtutibus dicti sancti et historia vite sue.
(C. XLIX.)

De hujus sancti multiplici et mirabili varietate virtutum ejus historia fuit[3] cuidam fratri veraciter in somnis ostensa. Qui cum coepisset mente sollicitus, affectione devotus, cogitare, quomodo posset convenienter texere dicti Sancti historiam, tot mirandis indiciis claram et laudum praeconiis in veritate diffusam, quae ejus conti-

1. In Manuscripto a Bollandianis adhibito heic aliqua desunt.
2. Cod. Burn. docendum.
3. Cod. Flor. addit : quod infra scribitur.

neret originale principium, vitae processum, disciplinae scholasticae studium et obitum in fine beatum, et super his Deum oraret, ut infunderet, et B. Thomam, ut scribendi ei sufficientiam impetraret; circa auroram post praedictum oraculum soporatus, vidit in somnis coram se unum rete argenteum, contextum catenulis aureis cum diversorum colorum lapidibus pretiosis in ipsius retis nodis mira varietate contextis. In qua visione cum intelligeret in illo reti ex[1] lapidibus pretiosis vitam et virtutes praedicti Doctoris spiritualiter designari, cogitabat in somnis, quos lapides quibus posset adaptare virtutibus, ut diversis lapidibus diversae etiam virtutes congrue responderent. In qua visione diu delectatur, evigilans rediit ad historiam, quam inceperat, prosequendam. Quare nulli est dubium totam vitam dicti Doctoris fuisse ex appropriatione quasi auream et conversatione candidam, actione mundissimam et doctrina sonoram. Quae ideo quasi retis similitudinem habuit, quia vita doctrinae in omnibus concordavit: in quo reti tot visi sunt pretiosi inserti lapides, quot in ejus anima fuerunt divinitus inspiratae virtutes. Cujus Doctoris vita designari non incongrue potest in Rationali judicii, in quo intexti erant duodecim lapides pretiosi, quod portare debebat Summus Pontifex ante pectus in quo doctrina et veritas scriptae erant : quia dicti Doctoris vita et doctrina praefulsit, et Dominus noster Summus Pontifex, dum ipsam in aspectu et affectu quasi in Rationali sui judicii habuit, per sanctam potestatem apostolicam cannonizationis titulo approbavit[2].

De miraculis factis in vita dicti Doctoris, et primo de ejus socio mirabiliter liberato. (C. L.)

Dicuntur etiam de praedicto Doctore ejus meritis a Deo facta plura miracula, quae subduntur. Nam cum praedicti Doctoris socius pateretur febrim continuam, venit ad eum Thomas ut sua visita-

1. Cod. Flor. : et.

2. Cod. Flor. : quia ejus in veritate doctrina praefulsit et Dominus noster Summus Pontifex dum ipsam in aspectu et affectu quasi in Rationali sui judicii habuit, ipsam potestate apostolica confirmavit. — Quilibet facile percipit differentiam inter codicem Florentinum et Burneanum, qui cum Bollandianis expressam facit mentionem cannonizationis S. Thomae. Ex verbis hic adductis — nisi illa sint postea adjecta — evidenter sequitur Guillelmum de Tocco scripsisse hanc S. Thomae vitam post annum 1223.

tione infirmum reficeret atque[1] in Domino confortaret: quem cum ad patientiam induxisset, consuluit, ut ad Beatam Agnetem specialem devotionem conciperet, a qua beneficium valetudinis pro certo speraret. Cuius merita apud Deum, cum praedictus Doctor devotissime implorasset, reliquias dictae sanctae quas ad pectus suspensas ex devotione portabat, orans supra pectus infirmi posuit, et infirmus sanus et hilaris in lecto resedit. Quod miraculum aliqui attribuerunt magistro oranti, alii vero praedictae virgini, sed melius dicitur utriusque meritis esse factum, ut utriusque ad Deum preces ascenderent, et infirmo sanitatis gratiam Virgo sancta, mota Doctoris precibus, obtineret.

De miraculo dentis superflui dicti Doctoris, qui subito de ejus ore cecidit. (C. LI.)

Dicitur etiam de praedicto Doctore, quod Parisius cum in scholis deberet determinare in crastino coram Universitate, quamdam quam pridie disputaverat quaestionem, surgens de nocte, ut consueverat, ad orandum, percepit in ore suo supercrevisse unum dentem superfluum, qui impedimentum praestabat non modicum ad loquendum. Quod cum praedicto socio indicasset perplexus, quia hora non erat congrua ad remedium adhibendum, consuluit dictus socius ut Universitati diceretur in crastino quod Magistro impedimentum acciderat, quod a determinatione eum totaliter excusabat, et tunc ordinaretur remedium, quod fieret dentis avulsio ferreo instrumento. Super quo Doctor considerans Universitatis scandalum, et quod imminere sibi poterat ex dentis avulsione periculum, dixit socio : Nullum aliud remedium video nisi quod divinae providentiae me committam. Et accedens ad consuetum orationis locum, diu orando cum lacrymis beneficium petiit, et divinae providentiae se commisit. Quo orante instantius dens ille superfluus sine aliquo dolore et violentia, tactu suae manus levi motu evellitur, et Doctor ab impedimento locutionis totaliter liberatur. Quem dentem ad recolendum divinae beneficium pietatis, magno tempore secum detulit: quod oblivio, magistra ingratitudinis non delevit ut fieret ei semper

1. Cod. Burn. et Flor. : quem.

major in sua oratione fiducia, quae sic fuerat velociter exaudita. Felix Doctor, cujus oris impedimentum Deus diutius ferre non potuit, quod exuberantia doctrinae replevit, ne lingua Doctoris ab expressione verbi deficeret, quam Deus ad instructionem fidelium doceret[1]; et sine dolore dens caderet, quem Doctor innocens non sentiret.

De alio mirando prodigio in oratione praedicti Doctoris ostenso.
(C. LII.)

Aliud admirandum divinae virtutis prodigium praedicto Doctori dicitur divinitus esse monstratum. Nam cum magistri Parisienses diversas rationes adinvenissent super quaestione de dimensionibus Corporis Domini Jesu Christi, et de accidentibus existentibus sine subjecto in Sacramento ipsius Corporis et Sanguinis, quorum accidentium evidentiam probat sensus, et sine subjecto existentiam suadet intellectus fidei, et dicti Magistri super modo docendi hoc mysterium discordarent, in hanc omnes sententiam convenerunt, ut quidquid super hoc praedictus Doctor Frater Thomas diceret et sententialiter definiret, hoc ab omnibus teneretur ut verum et consonum fidei et persuasibile ratione; de quo experti fuerant in aliis quod subtilius in omni quaestione veritatem attingeret et clarius edoceret : super[2] qua quaestione cum delata fuissent ad eum omnia in scriptis, quae unusquisque sentire videbatur, recollecto intra se spiritu et in contemplatione elevato altius intellectu, praemissa more solito oratione devota quod invenire potuit et quod Deus ei designanter infudit, quo brevius et clarius potuit, scriptura digessit. Quae cum non praesumeret, ut in scholis coram magistris proponeret, nisi prius ipsum consuleret, de quo erat quaestio, quem oraverat, ut doceret; accedens ad altare, quaternum, quem scripserat de quaestione praedicta, ante se quasi coram suo Magistro posuit et elevatis ad Crucifixum manibus sic oravit : Domine Jesu Christe, qui in hoc Sacramento mirabili veraciter contineris, et res mirabiliter operaris ut artifex, in quo te quaero intelligere, et te veraciter edocere, rogo suppliciter, ut si ex te et de te sunt vera,

1. Cod. Flor. : docuerat ut doceret.
2. Cod. Burn.: supra quaestionem.

quae scripsi, concedas mihi illa dicere et aperte disserere. Sin autem aliquid scripsi, quod non sit fidei consonum, et ab hujus sit Sacramenti mysteriis alienum, impedias ne possim proponere quae videntur a fide catholica deviare. Quem Doctorem orantem cum praedictus ejus socius cum aliquibus aliis fratribus observaret, subito viderunt Christum ante dictum Doctorem super quaternum, quem scripserat, stare, et fratri Thomae dicere : Bene de hoc mei Corporis Sacramento scripsisti, et de quaestione tibi proposita bene et veraciter determinasti : sicut ab homine potest in via intelligi et humanitus definiri. Quo diutius in oratione perdurante, quem intellectualis vel sensualis visio delectabat visus est Doctor praedictus quasi per unum cubitum elevari in aerem, quem tanta virtus contemplationis erexerat et divina scientia attrahebat. Ad quod prodigium intuendum Priorem conventus et plures alios Fratres quibus revelatum erat hoc mirabile pro testimonio provocaverunt. Qui venientes viderunt, et pluribus aliis retulerunt, inter quos fuit Frater Martinus scholaris[1] de provincia Hispaniae, vir magnae devotionis et famae, qui audierat a Fratre, qui praedictam viderat mirabilem visionem qui eam in conventu S. Maximini praedicto fratri et ejus socio, qui pro cannonizatione praedicti Doctoris ad curiam accedebant coram pluribus retulit, et certa attestatione firmavit, reputans quod ad Dei et Sancti gloriam cederet, si quod[2] de tanto Doctore audiverat, revelaret. Qui Doctor cum mirifice certus esset effectus de definitiva propositae quaestionis veritate, tam laetanter et lucide quaestionem propositam coram Universitate proposuit, quia evidenter Christus, de quo erat quaestio, Doctorem suum de veritate plenius illustravit.

De muliere a sanguinis fluxu curata ad tactum fimbriae cappae suae.
(C. LIII.)

Aliud narratur de praedicto Doctore miraculum. Cum praedictus Doctor in septimana Sancta de Passione Domini praedicasset Romae in ecclesia Sti. Petri, et populum ad lacrymas provocasset, in die Dominicae Resurrectionis in praedicatione induxit eos ad

1. Bollandiani habent : Martinus Scola.
2. Cod. Burn. : quid.

congaudendum gloriosae Virgini de Resurrectione Filii, sicut pridie fuerant de Passione compassi : qui cum descendisset post praedicationem de pulpito, mulier quaedam, quae magno tempore sanguinis fluxum fuerat passa, remedio nullo eam juvante medicinae, cappae sancti Doctoris fimbriam tetigit et liberatam a sua infirmitate immediate se sensit, et sequens eum usque ad conventum S. Sabinae quod receperat beneficium Doctoris socio indicavit, qui postmodum pluries et pluribus recitavit. — Felix Doctor, qui simili clarescit miraculo, ut Salvator : cuius dum fimbria vestimenti tangitur, infirma curatur, ut sciretur quantum meritum esset in eius anima, ex quo tanta virtus inveniretur in cappa.

De prodigio stellae fulgentis ad indicium scientiae ipsius per fenestram super caput ejus ingressae (C. LIV.)

Et quia congruebat Sapientiae Divinae consilio, aliquod insigne prodigium luminis singularem doctrinae radium futuri praesignare Doctoris, non defuerunt miranda, quae praedictum Doctorem praeirent, indicia eius futurae sufficientiae in scientia et vita. Nam semel cum praedictus Doctor in conventu Neapolitano esset in sua camera debilis decumbens in lecto; Fratre Bono filio de Neapoli, qui ei serviebat, absente, germanus dicti servitoris[1] tunc puerulus ad custodiam camerae remanens, vidit per fenestram camerae stellam fulgentem ad mensuram magnitudinis fenestrae ingredi, et super caput dicti Doctoris aliquantulum residere; quae, praedicto vidente puero, post paullulum, unde venerat, discessit. Qui puer usque ad haec tempora senex et in bona valetudine supervixit, hoc prodigium referens, quod coram infrascriptis inquisitoribus sub iuramento deposuit, et pro veritate firmavit[2]. Nec debuit praedictus

1. Testante Bernardo Guidonis (Cod. Vat., n. 3847) hoc miraculum accidit « anno, quo sanctus Doctor ex hac luce migravit », i. e. 1274. Narratio apud Guidonem aliqualiter differt ab iis quae Tocco refert. En verba Guidonis : « Cum quadam die decumberet (s. Doctor) in camera sua discrasiatus in corpore apud Neapolim, *Joannes Coppa* de Neapoli cum germano suo-sc. fratre bono filio ordinis predicatorum gracia visitationis ivit ad ipsum. Et ambo simul viderunt intrantem per fenestram camere stellam clarissimam. »

2. Istud testimonium omissum est a Bollandianis, invenitur autem in manuscripto cod. 3112 Bibl. nat. Paris. Postea *totum* processum cannonizationis prelo mandabimus. Interim jam sit notatum ex Codice manuscripto Parisiensi, Johannem Coppam qui factus est notarius in urbe Neapoli suum testimonium coram inquisitoribus exhibuisse

Doctor nisi lumen stellae habere praesagium, qui effusurus erat toti Ecclesiae fulgens Christianae Fidei documentum.

Aliud prodigium ostensum in visione draconis, in forma Aethiopis ad indicium suae sanctitatis. (C. LV.)

Aliud de praedicto Doctore in praefato conventu divinitus fuit ostensum suae sanctitatis indicium, quod sicut praecedens scientiae, ita sequens testimonium fuit vitae. Nam quamvis praedicto Doctori ex priori pugna, quam cum adversario in carcere habuit, remansisset triumphus victoriae, quem petivit, ut iam hostis erubesceret iterum confligere cum Doctore [1], procax tamen et audax toties devictus a puero, inire bellum saepius non erubuit cum Magistro : ut non expavescat cum hoste iterum miles confligere, quia bis devictus in praelio Dominum non timuit tertio in deserto tentare : qui devictus repellitur, ut sciant Christi pugiles, quod hostis, cui resistitur superatur. Qui fuit visus in forma Aethiopis, cum ad praedicti magistri cameram accessit et Magister cum signo crucis opposito, ipsum etiam clamando fugavit. Hoc vidit Judex Joannes [2] de Blasio de Napoli, cum esset juvenis, devotus Fratrum et praedicti Magistri. Erat enim praedictus Doctor a tribus vitiis, quibus ad humanum genus hosti patet introitus, divina virtute munitus : a carnis concupiscentia accinctus erat iam divinitus manu Angelica cingulo castitatis; a concupiscentia occulorum ipsum delectatio divinae contemplationis avulserat, quem a vitae superbia concepta humilitas extolli nullatenus permittebat. Erat enim conveniens providentiae summi Patris, ut suae Sapientiae scrutatorem, speculatorem caelestium, et clavicularium omnium dubiorum in omni tentatione defenderet, et si a pugna non permitteret, liberum tamen concederet obtinere victoriae de omni impugnatione triumphum : ut victor semper gloriosus consurgeret,

d. 8. Aug. 1319. Praeter hoc miraculum stellae apparentis testatur etiam, S. Thomam toto tempore Quadragesimae praedicasse super Orationem Dominicalem et totum populum civitatis Neapolitanae quotidie ad ejus praedicationes confluxisse.

1. Cod. Flor. : victore.

2. Hic Joannes de Blasio fuit familiaris Mariae reginae Siciliae et apparuit tanquam testis in processu cannonizationis S. Thomae die 6 Aug. 1319. De aliis ejus testimoniis tunc datis sermo redibit. — Cod. Flor. habet hic lectionem valde corruptam.

quem nulla adversarii tentatio superaret[1]; et certus jam fieret victor de praemio, qui surrexisset devicto adversario cum triumpho, et vita sua pro se tota finiretur ad meritum, et aliis claresceret ad exemplum.

De miraculo allecium divina pietate suo appetitui concessarum[2].
(C. LVI.)

Post haec cum praedictus Doctor iret ad generale Concilium Lugduni celebrandum de mandato Sanctissimi Patris Papae Gregorii X, et portaret libellum, quem de mandato domini Papae Urbani fecerat contra Graecos ad convincendum eos de ipsorum erroribus, et de scelere schismaticae pravitatis; contigit autem ipsum transire per Campaniam ;et ad castrum Magentiae[3] quod erat Dominae Franciscae neptis suae, debilem declinare, ubi sic amisit totaliter appetitum, quod nullum cibum poterat degustare. Qui a Magistro Joanne de Guidone de Piperno medico requisitus, si aliquem cibum appeteret et de nullo cibo, nisi de allecibus quas comederat in Francia, se diceret posse degustare anxiatus medicus, quod tanto Doctori infirmo posset remedium adhibere, quia talis piscis invenire non poterat. Qui egressus ad plateam castri, invenit unum, qui unam saumam[4] sardarum recentium de Terracina portabat. Quam cum ad terram deponi fecisset, ut si aliqui pisces admixti essent sardis, perquireret, reperit unam cistam de allecibus recentibus : de quo admirans medicus, quia nunquam tales pisces fuerant in partibus illis visi, et quia portitor[5] piscium sardas se emisse saepius afferebat, praedictos pisces Magistro deferri mandavit cum gaudio, credens ipsum consolari de proviso sibi cibo divinitus concupito. Doctor autem providus, et altitudinis divini consilii plus aliis conscius, advertens quod erat grande miraculum suo appetitui divina pietate concessum, renuens de piscibus concessis comedere, dixit medico : Magister, melius est, quod divinae providentiae me

1. Cod. Flor. : in pugna vicisset.
2. Cod. Flor. et Vatic. : De vocatione dicti doctoris ad consilium Lugdunense de ejus infirmitate et miraculo piscium.
3. Cod. Burn. : Mageniae.
4. Cod. Vat. : salmam; Bolland : sarcinam.
5. Bolland. : portator.

committam, quam quod de his piscibus divina concessis potentia, quos nimio desiderio concupivi, manducare praesumam. De quibus piscibus, quia multi comederunt, et quia praedictus medicus multis retulit qui adhuc vita supersunt, miraculum remansit in tota illa regione vulgatum. — O mirandum divinae pietatis indicium; qui sui devoti, etiam sensibilem reficere voluit appetitum, in signum quod numquam concesserat suo appetitui, quod se opponeret rationi. O admiranda in praedicto Doctore divini beneficii gratitudo, qui dum experiri meruit divinae pietatis affectum suum satiare, renuit appetitum : secutus exemplum David, qui desideratam aquam gustare renuit, quam trium fortium probitas Dei miraculis procuravit.

De spiritu prophetico quo se praedixit ex hac vita transiturum[1]. (C. LVII.)

Post hoc cum praedictus Doctor fuisset aliquibus remediis confortatus, ut videretur sibi, quod posset iter inceptum prosequi versus Romam, iuxta monasterium Fossae novae transiens, invitatus ab Abbate et Monachis, volens ibi aliquibus diebus vires resumere eo quod nullus conventus Fratrum Praedicatorum esset ibi propinquus, praedictum monasterium est ingressus cum comitiva decenti concurrentium et concomitantium[2] monachorum. Qui cum primo ingressus fuisset ecclesiam, debita reverentia sacro altari exhibita[3], claustrum intravit, ubi facta est super eum manus Domini et tactus spiritu prophetiae, dixit pluribus audientibus monachis et sui ordinis fratribus, et praecipue socio suo cui consueverat similia revelare : Fili Raynalde, haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. — Felix Doctor, qui dum suum de ergastulo corporis praescire meruit exitum simul et aeternae felicitatis ingressum, intellexit, ut ibi sibi succederet requies patriae, ubi terminaverat cursum vitae; et dum sibi in tali casu obedientiae prosecutione non parceret, datum est ei ut ad tribunal superioris Judicis victurus in aeternitate transiret,

1. Cod. Flor. : De ingressu dicti doctoris in monasterium Fosse nove et prophetia de sua morte.

2. Cod. Flor. : occurentium et comitantium.

3. Cod. Flor. : secundum claustrum.

simul praescius suae quietis, ad vitae principium et laboris terminum et occasum. Post quod propheticum dictum, de suo obitu Fratribus sui ordinis praecipue ad lamentum provocatis[1] positus fuit Doctor in camera Abbatis, et ei sicut necessitas exigebat, ministrabatur a suis sociis illic collocatis. Ubi cum praedictus Doctor pluribus diebus gravatus amplius in infirmitate decumberet, monachi cum tanta reverentia et humilitate ei servire coeperunt, ut ei de silva propriis humeris ligna deferrent; felices se reputantes, si sancto Doctori possent exhibere servitium, qui adhuc vivens properabat ad regnum. Ipse vero Doctor in se providus et aliis compassivus dicebat : Unde hoc mihi, ut servi Dei serviant homini, ei onus tantum de longe deferant, quo laborant? Qui licet admodum debilis esset, quia credebat, ut prophetizaverat, ut ex vita transiret, rogatus ab aliquibus monachis, qui capere poterant, ut aliquod memoriale suae scientiae eis in fine relinqueret, breviter eis exposuit Cantica Canticorum; ut etiam in hoc casu deficiente corpore a vita mortali, anima illa non deficeret ab actu necessario doctrinali, et in Canticum caelestis gloriae transiret studium Ecclesiasticae disciplinae. Et bene congruit praedicto Doctori transituro de ergastulo corporis, ut studium suum sapientiae in dilecti et dilectae Canticum terminaret amoris, ut sicut ad Deum suum exercuit studium, sic ad habendum dilecti perveniret amplexum.

De devota ejus confessione et extrema unctione et retractatione dictorum suorum, si quam habere possint impugnationem[2]. (C. LVIII.)

Deinde cum coepisset praedictus Doctor nimia debilitate deficere, et sui exitum de hac vita praescire, cum magna devotione petiit exhiberi sibi Christianae peregrinationis viaticum, sacrosanctum Christi Corporis Sacramentum. Quod cum fuisset cum reverentia ab Abbate et monachis devote portatum, et ipse prostratus ad terram, debilis corpore, fortis mente suo Domino obviam cum lacrymis

1. Bolland. habent : praecipue conventualibus positus fuit Doctor in camera Abbatis, ceteris sociis, sicut exigebat necessitas, cum magno caritatis affectu collocatis. — Cod. Flor. habet : ad lamentum positus fuit Doctor in camera Abbatis et ei sicut necessitas exigebat pie stratum caritatis suis sociis collocatis.

2. Cod. Flor. : De felici praedicti doctoris obitu et sumptione corporis Christi.

occurrisset, oblato sibi Corporis Domini Sacramento, cum fuisset ab eo petitum, sicut moris est, quod quilibet Christianus in ultimis examinetur de fide huius potissime Sacramenti, si crederet, quod illa Hostia consecrata esset verus Dei filius, qui exivit de utero Virginis, et pependit in patibulo Crucis, qui pro nobis fuit mortuus et die tertia resurrexit, libera voce, attenta devotione, et cum lacrymis sic respondit : Si maior scientia, quam fides de hoc Sacramento in hac vita haberi potest, in illa respondeo, quod vere credo, et pro certo scio, hunc Deum verum esse et hominem, Dei Patris et Virginis Matris filium, et sic credo animo, et confiteor verbo, sicut sacerdos proposuit de hoc sanctissimo Sacramento : et praemissis aliquibus devotis verbis sumendo Sacramentum dixit : Sumo te pretium redemptionis animae meae, sumo te viaticum peregrinationis meae, pro cuius amore studui, vigilavi, et laboravi, te praedicavi et docui, nihil contra te dixi unquam, sed si quid dixi, ignorans dixi nec sum pertinax in sensu meo sed si quid male dixi de hoc Sacramento et aliis, totum relinquo correctioni Sanctae Romanae Ecclesiae, in cuius oboedientia nunc transeo ex hac vita. — Dicitur etiam de praedicto Doctore, quod in elevatione Corporis Domini nostri consueverat dicere : Tu Rex gloriae Christe, Tu Patris sempiternus es Filius, usque ad finem cum magna devotione et lacrimis. Quo Sacramento suscepto, sic devote sibi ad meritum, aliis ad exemplum petivit consequenter die altera sacrae unctionis oleum, exeuntium Sacramentum : ut ille unctionis spiritus, qui eum prae suis participibus unxerat[1], ad caelum duceret, quo tendebat. Qui cum ad singulas sacrae unctionis formulas respondisset post paullulum suum spiritum Domino reddidit : quem sicut sanctum acceperat sic servavit, qui tam laetanter exivit de corpore, quam mirabiliter videbatur vivere extra corpus. — Felix Doctor, qui tam leviter cucurrit in stadio, tam viriliter pugnavit in praelio et victoriam obtinuit cum triumpho valens dicere cum Apostolo : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam vere sibi meruit ex studio inspiratae doctrinae.

1. Cod. Flor. : miserat.

De prodigio stellae visae ad indicium exitus sui et futurae felicitatis ingressum[1]. (C. LIX.)

Et quia tanti luminaris eclipsim, quam passura erat Ecclesia in huius Doctoris transitu ex hac vita, aliqua nova signa debebant praecedere, quae viderentur felicem huius Doctoris transitum indicare; non defuerunt manifesta et multa miranda indicia, quae huius Doctoris demonstrarent exitum, et futurae felicitatis ingressum. In hora enim transitus praedicti Doctoris monachus quidam praedicti monasterii orans in ecclesia obdormivit, et ecce visa est ab eo una stella miri splendoris super monasterium cadere, et duae stellae ad ipsam combinate de caelo descendere, et post paullulum primam stellam, quam prius viderat ad caelestia sublevare : quae duarum stellarum videbatur splendorem attingere et magnitudinem adaequare. Post quam visionem cum expergefactus evigilasset a somno, audiens pulsari tabulam signum obitus dicti Doctoris, qui in hora praedictae visionis obierat, intellexit primam stellam huius designare Doctoris animam, quae tunc de corpore exiit, cum caelum aliis duabus sociata conscendit. Aliud signum in ipso monasterio visum fuit, nam quaedam stella per modum cometae tribus diebus ante praedicti Doctoris obitum super monasterium visa fuit, quae cum ignoraretur quid significaret, dum appareret, ostendit praefati Doctoris obitum, dum cessavit.

De visione apostoli Pauli ad indicium quod verum habuit de suis epistolis intellectum et quod eum habuit ad coelestem. gloriam conductorem[2]. (C. LX.)

Et quia praedictus Doctor ad B. Paulum Apostolum specialem devotionem habuit, qui ei cum B. Petro textum Scripturae dubium. ut praedictum est, revelavit; in morte Apostolica consolatione non caruit : nam ipso migrante in Fossa-Nuova, Fr. Paulus de Aquila, vir magnae probitatis et famae, qui fuit lector et inquisitor haereticae pravitatis existens in conventu Neapolitano, vidit

1. Cod. Flor. : De mirandis indiciis et presagiis sui obitus
2. Cod. Flor. : De visione qua previsa fuit mors eius.

in visione imaginaria praedictum Doctorem in scholis legentem Neapoli coram multitudine copiosa scholarium, et B. Paulum eius scholas intrantem cum societate Sanctorum. Cui cum Doctor de cathedra descendens vellet occurrere, Apostolo ei innuente quod legeret, et quod prosequeretur quam coeperat lectionem, Doctor rogavit Apostolum, ut ei diceret, si habuisset verum de suis epistolis intellectum. Qui respondit : Bene, sicut in hac vita homo vivens in corpore potest scire : sed volo, ut mecum venias, et ducam te ad locum, ubi clariorem habebis de omnibus intellectum; et videbatur ipsum per cappam accipere, et ducere extra scholas. Ad cuius Doctoris exitum praedictus Frater coepit fortiter clamare et dicere : Succurite, fratres, succurrite, quia Frater Thomas a nobis tollitur. Ad cuius clamorem fratres excitati, interrogaverunt, quid clamans in visione vidisset; qui narravit per ordinem visionem. Quod cum post dies venisset nuntius de Campania apud Neapolim ad conventum fratrum nuntians venerabilis Doctoris gloriosum transitum ex hac vita, horam notantes cognoverunt quod tunc concessum fuit Doctori ex hac vita transire quo visus fuerat B. Apostolus ipsum ad gloriam invitare. — Felix Doctoris anima, cui caelestes cives obviant, ut ad caelestia regna perducant; et quem habere meruit dum viveret scientiae instructorem dum ex hac vita transiret, habuit ad caelestem gloriam conductorem.

De illuminatione supprioris Fossae novae[1]. (C. LXI.)

Cum autem praedictus Doctor cum tot signis et testimoniis sanctitatis obiisset, Dominus Joannes de Ferentino, Subprior dicti monasterii patiens in oculis ita graviter, ut videre vix posset, duci se fecit ad corpus dicti Sancti. Ad cuius pedes cum reverentia et devotione prostratus, applicavit se funeri, et ponens faciem suam super faciem eius oravit Deum, ut ipsius dicti Doctoris meritis, cui se orando devoverat, fieret sibi restitutio luminis, quo carebat. Qui statim perfecte illuminatus, clamavit : Benedictus Deus quia meritis huius Sancti mihi visus est perfectissime restitutus. Et bene congruit, ut petenti visum Sancti meritis Deus lumen concederet,

1. Cod.Flor. : De miraculo illuminationis domini Johannis supprioris monasterii.

cum Deus ei statim dum transiit, lumen concessit gloriae, ut ipsum in aeternitate videret.

De exequiis et his, qui eis interfuerunt. (C. LXII.)

Abbas autem et monachi, tot visis sanctitatis indiciis et signis, dolentes de tam subita et dolorosa tanti Ecclesiae luminaris eclipsi et gaudentes quod apud Deum talem meruissent habere patronum, solemnes circa sancti corpus exsequias celebrarunt. Cuius funeri et exsequiis interfuerunt plures Fratres sui ordinis, qui de diversis conventibus ad ipsum visitandum venerant. Interfuit etiam reverendus Pater Dominus Franciscus, Terracinensis Episcopus, Ordinis Fratrum Minorum, cum pluribus de suo ordine, et multi de Campania nobiles : quorum quam plures attraxerat carnalis affectio, cum plures habuisset praedictus Doctor in Campania consanguinitate conjunctos, multos provocaverat fama scientiae, signa miraculorum, et exempla sanctitatis et vitae. Cum his omnibus cum praedicti Sancti funus ad ecclesiam cum cantu et reverentia portaretur, Domina Francisca neptis eius, quae non audebat monasterium ingredi, petivit ab Abbate ex gratia, ut praedicti Doctoris faceret ad ostium monasterii funus afferri. Quo viso, ipsa cum aliis duabus supra tanti viri funus fecere lugubre ex more lamentum, sicut exprimere poterat consanguinitatis affectio, et doloris de suo obitu magnitudo. Quarum cum clamore gemitus cum longius personaret, mulus, cui praedictus Doctor insederat, de stabulo se, fracto fune, dissolvit, et nullo ducente appropinquans ad feretrum, mortuus sine alia infirmitate defecit : ut etiam in animalibus Deus ostenderet, quod magnum lumen Ecclesiae defecisset. Post haec delatum est corpus eius ad ecclesiam, in qua fuit venerabiliter tumulatum, et gleba terrae coeleste sidus absconditum; donec eius sanctitas adhuc miraculis manifeste claresceret, quae Deus mirabiliter demonstraret.

Quod a Deo orando impetravit ne ad aliquam aliam dignitatem assumeretur et quod sibi revelatum est quod docendi finem habere deberet[1]. (C. LXIII.)

Post devotum sepulturae Officium simul ex dolore lugubre et ex devotione solemne, ut testimonium vitae ejus cederet audientibus in exemplum et transitus ad doloris remedium, Fr. Raynaldus de Piperno, qui totius vitae ejus meruit esse testis et socius et cui Doctoris beatus obitus doloris temperabat excessum, nihilominus vim suo inferens sensui, ut serviret oboediens rationi pro sui commendatione Magistri et debito solvendo discipuli, ac pro consolatione circumstantis populi, qui dicti Doctoris vitae exspectabant audire meritum, cujus tam evidens videbant sanctitatis indicium[2] : surgens in medium praedicavit et dixit : Ego istius Doctoris totius vitae exterioris et conscientiae testis sum et frequenter audivi meritum ejus tam evidens, et nunc generalem eius Confessionem audivi, qnem ita semper purum reperi, sicut puerum quinque annorum; qui numquam suae carnis sensit contagium, nec habuit in aliqua pravitate consensum. Post quod requisito loco silentii lacrymarum conscio et doloris amico, prorupit in gemitum, videns se cum humano genere tanti praesentia luminaris orbatum. Nec mirum : Quis enim potuisset in tanti Doctoris obitu cordis temperare dolorem, continere lacrymas tam iuste cadentes, silere querelas, in quo scientiae lumen obnubuit, flos innocentiae cecidit, doctrinae siluit organum, et disparuit sanctitatis exemplum : et mirandae dulcedinis fontem illum mors illi grata et nobis amara siccavit, ut non posset ad plenum cor turbati discipuli etiam transitus ad gloriam laetificare Magistri. Cui non solum servivit, ut Magistro discipulus, ut patri filius, sed ut Sancto devotus; circa quem oportebat semper assumere quasi nutricis officium, propter abstractionem quasi continuam, et frequentem ad caelestia mentis raptum, ut sic abstractum ab exterioribus praevenire etiam ipsum oporteret de necessariis corporis alimentis, et praeparare ante ipsum quod sumeret, ne in his quae nocerent, error contingeret si abstractus continue in sumendis erraret. Quamvis dulcis ille Doctor memor

1. Cod. Flor. : De laudabili testimonio confessionis dicti doctoris.
2. Bollandiani hic habent textum satis diversum.

talis discipuli in ultimis constitutus, ipsum voluerit consolari. Qui cum Magistro revelaret unam causam tristitiae; quia sperabat, ipsum in Lugdunensi Consilio, quo tendebat, assumi ad magnam aliquam dignitatem, quae in honorem cederet Ordinis, et proprii generis gloriam temporalem, Sanctus Doctor, qui semper solo divinae Sapientiae amore contentus, mundo altior (erat) et omni temporali dignitate sublimior, dixit ei : Noli fili de hac causa turbari, quia hoc a Deo inter alia mea desideria petii, et Deo gratias referens impetravi, ut me indignum in hoc gradu humilitatis de hac vita susciperet, a quo nullius auctoritatis dignitas me mutaret. Et quamvis potuissem amplius proficere in scientia et prodesse aliis in doctrina, ex revelatione mihi facta tunc complacuit Deo mihi imponere docendi silentium, cum — sicut nosti — placuit superioris scientiae revelare secretum. Unde mihi indigno Deus plus quam aliis Doctoribus contulit, qui diutius in hac vita manserunt, ut citius aliis praesenti mortali vitae cederem et in aeternam consolatus intrarem. Unde consolare, Fili, quia ego in omnibus sum consolatus.

De visione ostensa fratri per quam declaratur differentia scientiae nunc habitae in patria ad eam quam habuit in vita[1]. (C. LXIV.)

Post obitum dicti Doctoris die tertia Fr. Rainerius Maturus nostri Ordinis, nativitate Pisanus, vir admodum laboriosus et humilis totus, qui a tempore Friderici imperatoris usque ad haec tempora feliciter perseveravit, qui dicto Doctori fuerat plurimum familiaris in vita, in conventu Ananino hujuscemodi vidit divinitus visionem. Cum enim diutius de sero fuisset lacrymatus prae dolore obitus tanti Doctoris cogitans quod tanta cum eo scientia fuisset amissa, dormiens post gemitum, videbatur ei quod Frater Thomas exiret de Sacristia indutus sacerdotalibus vestibus, et quod procedens ad altare cum ministris paratus Missam celebraturus accederet, ipso Fr. Rainerio in choro faciente more solito cantoriam. In qua cum Doctor procederet post Evangelium vertens se ad populum solemniter praedicavit. Qua praedicatione et missa finita, redeunte eo ad Sacristiam, cum chorus totus Fratrum coram eo devotius inclinaret et dictus Fr. Rainerius in eum curiose intenderet, perpendit

1. Cod. Flor. De visione ostensa tertia die post obitum.

dictum Doctorem dextrum oculum multo maiorem habere sinistro et incomparabiliter clariorem mirandique splendoris ; de qua differentia cum plurimum miraretur, dictus Doctor dixit ei : De hoc fili, miraris, quod tantam differentiam in me oculi dextri a sinistro perpendis : tanta est differentia scientiae, quam nunc habeo in patria, ab ea quam habui dum essem in via. Congrua visio, quae dolenti satisfaceret, qui Doctoris scientiam deplorabat amissam, et ejusdem notitiam ostenderet ampliatam.

De anno, die et hora sui obitus. (C. LXV.)

Obiit autem praedictus Doctor anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, praedicti Papae Gregorii X anno quarto, anno vero vitae suae XLIX, Indicatione secunda, septimo die Martii, hora matutinali[1]. Congruum enim fuit divinae Providentiae ut illius mensis tempore Deus suo Doctori ad aeternam vitam assignaret introitum, quo ab aeterno provideret producere universum; ut[2] Deo praedictus Doctor in suis assimilaretur operibus, ut quasi completo sexto die scribendi opere, septimus dies sibi succederet pro quiete; et quadragesimum nonum annum suae vitae perficiens, quinquagesimum inchoaret aeternae gloriae Jubileum; et hora matutinali diluculum aenigmaticae visionis finem acciperet, et plenae lucis Sanctus diem gloriae inchoaret.

De translatione dolosa corporis ejus, ne auferatur, et miraculis in eadem ostensis[3]. (C. LXVI.)

Post haec autem cogitans praedictus Abbas, quod notus erat locus, in quo corpus Doctoris erat humatum, et quod posset

1. Omnes codices, nempe Burn. Flor. Vat. addunt S. Thomam mortuum esse anno quadragesimo nono vitae suae, quod quidem omissum est in codice a Bollandianis adhibito.

2. Cod. Burn. : Adeo enim.

3. Cod. Flor. : De prima eius translatione et de miraculo odoris et integritate eius corporis. In codice Vaticano hic cessat vita et sequitur : Incipit privilegium canonizationis gloriosi doctoris sancti Thome de Acquino ordinis fratrum predicatorum. Deinde sequuntur novem lectiones pro festo S. Thomae et pariter novem lectiones pro translatione reliquiarum.

eis auferri procurantibus sui Ordinis fratribus, per mandatum Summi Pontificis; quia erat loco depositi corporis eius dicto monasterio commendatum; occulte ipsum de ecclesia[1] transferri fecit ad capellam S. Stephani iuxta claustrum. De quo cum praedictus Doctor in somnis apparens praefato Abbati, ipsum graviter arguisset, quia erat suo corpori indebita reverentia derogatum, et quod Fratres sui Ordinis essent decepti, qui locum in quo ei reverentiam redderent, in veritate nescirent, comminatus est ei, nisi corpus suum ad priorem locum cito reduceret, in quo nullus, qui visitaturus eius sepulcrum veniret, erraret. Cogitans et timens divinae ultionis judicium, si praeteriret quod audierat in visione mandatum; et volens nihilominus, claustrales monachos hoc latere, acceptis praedictae cappellae clavibus a Domino Blasio, et assumptis duobus monachis extraneis et aliquibus oblatis, accessit ad capellam, in qua corpus sancti Doctoris erat humatum, et patefacto ferreis instrumentis sepulcro post longum[2] tempus a die suae exhumationis, quo fuerat de ecclesiae sepultura translatum, tantus odor de[3] sepultura subito exhalavit, ut non videretur fuisse[4] defuncti humani corporis sepultura sed multorum aromatum apotheca. Qui odor tantus fuit, et sic per totum monasterium se diffudit, quod ad ipsum, nullo alio indicante divinitus excitati monachi convenerunt. Coram quibus amplius manifesto sepulti Doctoris corpore, viderunt corpus eius integrum in membris et in pannis, cappa et capucio, sui Ordinis habitu, sicut fuerat ante positum in sepulcro in nullo penitus immutatis[5] cum tamen dicti Doctoris corpus fuisset grossum, pingue et magnum, et solum suae sepulturae humidum et profundum. Videntes autem monachi circa Doctoris corpus tam manifesta, tam grandia, multiplicata miracula, corpus Sancti odoriferum, et in substantia et figura nulla corruptione mutatum, posito in lecto defunctorum Sancti corpore et elevato, ut ad ecclesiam cum solemnitate deferrent, non ordinato prius, quod cantare deberent, Cantor, alta voce incepit : Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium

1. Cod. Flor. omittit de ecclesia.
2. I. e septem mensibus post priorem sepulturam ut patet ex testimonio Petri de Castro Montis S. Joannis monachi in monasterio Fossae novae.
3. Cod. Flor. addit : eius.
4. Cod. Flor. : patuisse.
5. Bollandiani : immutatum.

transiit Angelorum. Quod cum cantibus et reverentia sic delatum iuxta altare maius in tribunali ecclesiae, fecit ipsum Abbas ins quadam tumba marmorea collocari, et conventus cantavit Missam de uno Confessore, tantis visis apertis miraculis, ut non posset de eius gloria dubitari. Cantor vero cum non praecogitasset, quem Introitum deberet incipere, subito cantare coepit : Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur judicium. Contigit autem cum monachi ad refectionem ivissent, inter custodes alios sacri corporis quemdam Magistrum Iacobum muratorem[1] pro sepulcri paratura ad custodiam cum aliis remanere : qui aperiens tabulam, qua capsa sacri corporis tegebatur, terram quae circa pectus ceciderat recollectam eduxit : quae magnum odorem reddidit, qui se per totum Chorum cum fragrantia miranda diffudit, ita ut omnes qui aderant, mirarentur, obstupentes, quod odorem non solum sancti corpus redderet, sed omnia quae sancto corpori adhaesissent. Unde quidam nobilis qui pro habendis de dicti sancti corporis reliquiis venerat, de illa terra partem aliquam secum detulit (et) pro suo sanctuario conservavit. Conveniens namque fuit, ut dicti Doctoris corpus exanime magnis signis miraculorum claresceret, quod animatum[2] tot Dei obsequiis deservisset, et non nisi odorem divina virtute redderet, quod tot virtutum actibus organice paruisset[3].

Quod de certa ordinatione divina contigit, quod in monasterio alterius religionis mortuus fuit. (C. LXVII[4].)

Nec vacat admirando divini consilii occulto mysterio, quod in praedicto sancto monasterio Fossae-Novae alterius et magnae religionis et scientiae mors tam fructuosi itineris in oboedientia

1. Bollandiani : lnitorem.
2. Bollandiani : animarum.
3. Bollandiani hic notant : « Hic posset censeri finis prioris partis hujus libri, quem contractius descripsit auctor vitae in codice nostro manuscripto. Dein in sequentibus titulis relatis non additur capitulum, uti hactenus factum. Praeterea in sequentibus passim sanctus Doctor et sanctus Thomas dicitur, cum in praecedentibus solum frater Thomas fere appellatur. » — Multo melius est vitae S. Thomae non hic finem assignare, sed postea, cum in codicibus Burn. et Flor., qui videntur esse meliores et antiquiores codice a Bollandianis adhibito adhuc enumerentur capita (sicut prius) et cum sit idem stilus seu modus dicendi.
4. Cod. Flor. : Quod fuit ex divina dispositione quod predictus doctor in predicto monasterio obiret.

Sanctae Romanae Ecclesiae vitam sancti Doctoris extingueret, ubi tot Sanctorum religiosorum fide dignum testimonium, visis miraculis defuncti sancti corporis memoriam suscitaret, et ipsi compellerentur, signis miraculorum clamantibus, eius sanctitatis testes existere, qui nitebantur forte ne videretur quod claresceret mirabilis[1], occultare. Qui verisimiliter dubitabant, quod Fratres sui Ordinis ad habendum corpus eius maiorem conatum ostenderent, si de miraculis eius ab eis testimonium veritatis haberent. Quis enim de odore sacri corporis Fratribus sui Ordinis credidisset, pluries ex eius sepultura flagrante, quod non fuisset humana sagacitate suppositus, qui sentiebatur tam mirabili suavitate diffusus, nisi inter manus tot testium fuisset aliis manifestus : ut etiam iter quod eius morte praeciditur, et finis quo eius vita finitur, manifeste ostenderent in quanta oboedientia Romanae Ecclesiae vivens servierat, et adhuc moriens serviebat.

De iteratione miraculi, de odore mirabili et integritate sacri corporis per XIV annos[2]. (C. LXVIII.)

Placuit autem Deo et Sancto reiterare miraculum de integritate sancti corporis et odore. Nam quarto decimo anno obitus[3] ejus dominus Petrus de Monte S. Joannis, qui dicti monasterii Abbas erat, rogatus a Domina Theodora sorore dicti Doctoris, ut daret sibi pro reliquiis manum dexteram fratris sui[4], dare ipsam annuens et promittens, accessit ad dicti Sancti sepulcrum : et ferreis instrumentis vix elevato lapide sepulturae, et patefacto sacri corporis pretioso thesauro, sicut prius, magnus[5] inde odor exivit. Ad quem, sicut antea, omnes monachi convenerunt et invenerunt corpus eius integrum in membris et pannis sui habitus, sicut prius, excepta summitate nasi, quae modicum erat ex diuturnitate corrosa. Cuius sacri corporis dexteram, quam credebat ut putridam posse evellere, compulsus est detruncare. Quam manum licet prae stu-

1. Bollandiani : miraculis.
2. Cod. Flor. : De prima translatione et de miraculo odoris et integritate corporis eius iterato.
3. Cod. Flor. : ab obitu.
4. Bollandiani addunt : Volens autem abbas satisfacere votis ejus.
5. Bollandiani : itidem.

pore miraculi pavidus[1], praesumptuosus tamen ex devotione concepta, accepit et cum reverentia detulit ad praedictam Dominam, quae cum desiderio expectabat. Quam receptam devote cum lacrymis fecit ipsam diligentius conservari cum aliis reliquiis quas habebat. Quae usque hodie, sicut accepta fuit integra, sic apparet adhuc sine aliqua sui mutatione servata[2] quae apud conventum alernitanum sui Ordinis, in quo est repositum corpus praedictae sororis suae cum veneratione tenetur. — O admirandum divinae virtutis prodigium, et stupendum pro raritate miraculum, ut terra terrae[3] corpus non audeat corrumpere commendatum, quod acceperat sine corruptione depositum. O manifestum praedicti Doctoris Sanctitatis indicium, ut corpori suo, cui viventi meruerat in oratione levari in aere, mortuo impetraret, ne redigeretur in pulverem, ut videretur in eo differri divina de humani corporis resolutione sententia; donec pateret hoc duplicato miraculo, quantum beatus Doctor alienus penitus esset a culpa, cujus corpus servatum fuerat absque omni penitus corruptela.

De tertia iteratione odoris et curatione miraculosa poenae tremoris ad manus ejus osculum[4]. (C. LXIX.)

Addidit adhuc Deus praedictum tertio iterare miraculum, ad certius veritatis praecedentium argumentum. Cum praedicta manus Doctoris in capella S. Severini castri praedictae dominae cum reverentia servaretur, quidam clericus de Salerno[5] Canonicus, quam plurimum Deo devotus, Procurator Rectoris dictae capellae tempore certo constitutus[6], venit ex devotione videre reliquias alias quae ibi cum reverentia servabantur. Quibus cum reverentia debita adoratis, cum esset ei[7] per capellanum dextra praedicti Doctoris manus ut adoraret similiter praesentata; et ille subridens adorare et respicere contempsisset, subito magnus tremor

1. Bollandiani : providus.
2. Cod. Flor. omittit omnia a verbo quae usque ad finem phrasis.
3. Bollandiani : terrenum.
4. Cod. Flor. : De tertio miraculo odoris.
5. Cod. Burn. : Salarno.
6. Cod. Burn. : concitus.
7. Cod. Flor. mendose habet ibi pro sibi.

eum arripuit[1]. Qui advertens, quod pro contemptu quo Sancti manum adorare contempserat, subito corporis immutatione tremebat, poenitens procidit ad vestigia sacerdotis, et petivit humiliter de verbis contemptis, quae contra Sanctum dixerat, contritus absolvi. A quo cum absolutus esset et recepta poenitentia salutari, et adhuc tremoris poena duraret, rogavit ut sibi dictam manum Sancti ostenderet, ut debitam reverentiam Sancto poenitens redderet, quam despiciens denegasset. Quam cum gemitu[2] et perfusus lacrymis adorassset, petivit a Deo dicti Sancti meritis absolvi a lapsu criminis, et liberari ab inflicta sibi poena tremoris : et accedens propinquius cum reverentia, adhuc de maiori gratia Dei et Sancti pietate confisus, osculatus est eam, de qua tantum odorem sensit quod similem se non recoluit percepisse; et statim tremor cessavit ab eius corpore; et facta est in eo divinitus mirabilis mutatio in melius devotionis in mente. Ex cuius tactu osculi, sacrae manus odor, quem senserat, ei et caputio, quod tenens in collo quo bursam tetigerat in qua sacra manus erat recondita, sic adhaesit : quod ex caputio, cum ipsum acciperet, praedicti miraculi ex odore fiebat sibi frequens[3] memoria, et ab obviantibus sibi frequens interrogatio : quid odoriferum ferret, quod olefactum obviantium immutaret : ita, quod frequenter in die oportebat eum recitare suae liberationis et odoris miraculum, ut ad dicti sancti gloriam faceret de culpa sui contemptus emendans. Contigit autem praedictum miraculum anno ab obitu dicti Doctoris quadragesimo secundo, ut ex diuturnitate temporis, quo dicta manus in sua integritate remanserat, et adhuc mirabiliter perseverat, divina virtus in ipsa appareat, quae etiam cum odore perdurat. Sensit autem praedictus clericus cum praedicto odore in omni periculo tentationis mentis auxilium, et cum quoties sensisset se ab adversario impugnari, etiamsi iam deliberasset in animo consentire, invocato Dei auxilio meritis dicti Sancti continuo se percepit ab omni periculo liberum et Deo propitiante securum.

1. Cod. Flor. : mutavit; Cod. Burn. : qui eum totaliter intimoravit.
2. Bollandiani : genuflexus.
3. Cod. Flor. omittit haec verba usque ad interrogatio.

Quod odor ille mirabilis non sit humano ingenio procuratus et quod miraculose manus sua sit integra conservata. (C. LXX.)

Et quia tanti Doctoris manus, per quam Deus tot veritates digesserat, servanda non erat, nisi in aliquo loco sui Ordinis, ut docuerat anima illuminata Doctoris propter hoc cum praedictum miraculum fuisset Domino Thomasio de S. Severino Comiti Marsisci[1] pluries enarratum, laudans Deum de miraculo, et cogitans quod a fratribus sui Ordinis reverentius servaretur praedicta manus sacra Doctoris, ipsam Conventui et Priori Salernitano concessit, cum reverentia conservandam. Ad quam venerandam devotione debita, cum quidam frater plurimum devotus accessisset, sperans quem ab aliis audierat, sentire suavitatis odorem ; cum non sensisset, ut pie speraverat, iterum ad ipsam reverentius adorandam cum maiori devotione se praeparans, sensit odorem mirabilem, cui similem non recolit se sensisse. Quod miraculum suo Priori rettulit, et postmodum ad Dei et Sancti gloriam pluribus enarravit. Qui odor quia non sentitur ab omnibus qui ipsam manum Doctoris adorant, nec quotiens adoratur ; omni caret suspitione, quod non sit ille odor humano ingenio procuratus, qui apparet aliquando divina virtute concessus : qui et divinitus omni humana fraude purgatur, dum nullius rei naturalis odor ille similis invenitur. Est autem manus Doctoris illa integra excepto pollice, qui fuit ex alicuius devotione subtractus, extensa dessiccata, et a suo colore triticeo[2] non mutata : ut ex hoc ostendatur omnibus non esse sine miraculo conservatam. Praedictum miraculum de odore non solum ad eius manum divinitus est ostensum sed ad alias dicti Sancti reliquias qui ad adorandum accesserunt, referunt, qui etiam alia[3] sanitatis beneficia receperunt. Et bene divinae congruit Providentiae, ut dicti Doctoris manus divinitus odorem digna esset effundere, quae ad odorem divinae notitiae multa fidelibus meruit exarare : quae illum librum in spiritu digito intellectus aperuit, quem de dextra sedentis in throno, ut alios doceret accepit : quae

1. Bollandiani : Marsiti.
2. Bollandiani : pristino.
3. Amanuensis non valens legere verbum sanitatis, in codice Burn. reliquit spatium liberum.

in sua adhuc integritate remansit, quam non sine miraculo ex antiquitate temporis aeris qualitas non corrupit[1].

1. **De miraculo curationis podagrici decem annorum laborantis.** — Processu vero temporis ad predicti Sancti sepulcrum crescente devotione populi et fama predicti miraculi de odore, et integritate sancti eius corporis pluries replicati[2], devota consuetudo communiter inolevit, quod homines in suis operibus occupati in agris, quacumque infirmitate subito gravarentur, ad dicti Sancti Sepulcrum solent recurrere et ibi dicti Sancti meritis gratiam invenire. Inter quos quidam medicus, nomine Raynaldus, habitator S. Laurentii castri siti prope dictum monasterium Fossae novae, cum decem annis fuisset passus podagram tam graviter ut sine adminiculis non posset incedere, portatus ad dicti Sancti sepulcrum, coram toto conventu cum orasset Deum, et promisisset vitam suam infra annum in melius emendare, si sanitatem dicti Sancti meritis obtineret, subito coram omnibus de conventu surrexit perfecte curatus, et gratias agens Deo et laudes dicto Sancto referens, cucurrit ad suum equum velociter, et leviter ipsum ascendens dixit : Decem anni sunt, quod non potui istum equum ascendere, et nunc ascendi et sanus redeo meritis sancti Thomae, de quo miraculo monachi stupefacti, pulsatis campanis, Te Deum laudamus solemniter cantaverunt.

2. **De curatione cujusdam paralytici in latere sinistro**[3]. — Jacobus Romanus habitator Piperni, cum haberet filium parvulum nomine Nicholaum sinistro latere paraliticatum in quo motum amiserat naturalem, concepta devotione ad predictum Sanctum, filium suum super eius sepulcrum orando cum lacrimis collocavit, donec missa a monachis cantaretur. Qua finita de sepulcro filium sustulit perfecte curatum agens Deo gratias et laudes attollens cum gaudio dicti Sancti.

3. **De curatione cujusdam obsessi a daemone qui fecerit eum immobilem ad motum membrorum.** — Petrus Francisci de Piperno, oblatus dicti monasterii cum esset in lecto suo, apparuit ei malignus spiritus, in forma simiae illudens ei : qui sic fecit ipsum immobilem, ut se munire crucis signaculo von valeret, nec haberet motum membrorum corporis naturalem. Qui cum obsessus a daemone ab omnibus putaretur, duo monachi et quidam oblatus monasterii ipsum ad sepulcrum dicti Sancti cum devotione portarunt : ubi cum genuflexione Deum Sancti meritis implorassent, subito obsessus a daemone fuit ab omni infirmitate pristinae restitutus valetudini. Qui statim relinquens saeculum, factus est conversus dicti monasterii, vita et conversatione devotus.

1. Hic videtur esse finis vitae S. Thomae. Miracula quae subjunguntur, forte addita sunt ab aliena manu, cum non eadem inveniantur in omnibus codicibus.
2. Cod. Flor. addit : quacumque infirmitate subito.
3. Istud miraculum deest apud Bollandianos.

4. **De curato miraculose ab arteticae passione.** — Dominus Nicholaus[1] Angeli de Piperno patiens arteticam in brachio dextro, cum nihil cum ipso brachio posset facere, concepta devotione ad predictum Sanctum accessit cum reverentia ad eius, cum plena fide, sepulcrum. Super quod cum orans Deum, Sancti meritis gratiam implorasset, posito supra sepulcrum infirmo brachio, subito fuit sanitati pristinae restitutus.

5. **De curatione cujusdam febricitantis miraculose sanati.** — Thomasius Paganus de Piperno, cum multis septimanis febrim passus fuisset, audiens a peregrinis, qui per predictum monasterium transitum fecerant, quod multa miracula fierent ad sepulcrum dicti S. Thomae, cum actualiter pateretur, vovens se sepulcrum eius visitare, et unam Missam ad eius laudem ibidem facere celebrari; immediate ab omni infirmitate curatus est, et accedens cum reverentia, votum quod promiserat, cum gratiarum actione persolvit.

6. **De febricitante XIII diebus sanato.** — Dominus Raynerius de Babuco monachus dicti monasterii, cum tredecim diebus passus fuisset febrim, qua plurimum gravabatur, concepta devotione, accessit ad sepulcrum predicti S. Thomae, precibus et manibus gradiendo[2] ubi cum orando petiisset a Deo, eius meritis liberari, continuo surrexit ab omni infirmitate curatus, reddens Deo gratias, et laudans merita dicti Sancti.

7. **De infecto per lepram curato.** — Quidam iuvenis de Piperno Thomasius nomine cum esset lepra infectus, nondum a societate hominum separatus, cum devotione ad sepulcrum S. Thomae, eius meritis confisus accessit : iuxta quod cum pia dissimulatione permisissent monachi predictum iuvenem pernoctare, de nocte ei dormienti S. Thomas apparuit, et dixit ei : Quid petis a me? qui cum respondisset : Peto a Deo tuis meritis liberari, Sanctus ei respondit : Surge et esto sanus. Qui cum gaudio evigilasset, perfecte se invenit ab omni infirmitate curatum, et reddidit Deo gratias, merita dicti Sancti cum omni devotione collaudans.

8. **De quodam converso propter apostema a medicis desperato.** — Frater Bartholomaeus de Ferentino conversus dicti monasterii, cum esset apostematicus et a medicis desperatus, quod nullo posset medicinae remedio sanari; inductus ab Abbate suo, quod ad B. Thomam predictum devotionem conciperet et se Deo eius meritis commendaret statim emisso voto, apostema evanuit, et fuit ab omni totaliter, qua ferebatur infirmitate curatus. Qui super hoc addidit, quod quoties in aere aliqua gravis tempestas accideret, quam monachi ex pusillanimitate timerent, nomine invocato divino, per merita dicti Sancti et facta processione ad eius sepulcrum, tempestas immediate cessabat.

1. Bollandiani habent : Matthaeus.
2. Cod. Flor. : gradiens.

9. **De quodam habente crura debilia ita quod ambulare non poterat.** — Quidam pauper temporali substantia, dives tamen devotionis gratia habens a sua nativitate tibias et crura debilia, ita quod ambulare non poterat; sed post se quasi quaedam frusta carnium ipsa trahebat, audiens ad sepulcrum dicti Sancti a Deo eius meritis multa fieri miracula, concepta devotione ad sepulcrum dicti Sancti portari se fecit : ubi diu orans[1] implorans a Deo beneficium, meritis eius subito, consolidatis tibiis et cruribus, surrexit et stetit erectus, et ambulare coepit ut sanus agens gratias Deo qui Sanctorum meritis sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.

10. **De miraculis quae contigerunt in prosecutione canonizationis predicti Sancti praesentatis Domino Johanni papae XXII.** — Ad gloriam autem dicti Sancti scribenda sunt etiam miracula quae in prosecutione canonizationis eius divinitus contigerunt fratribus quibus commissa fuit inquisitio de inquirendis miraculis a Deo meritis eius factis per fr. Robertum de sancto Valentino, tunc vicarium Magistri Ordinis, et Diffinitores Capituli provincialis in conventu Gaietano[2] ubi ut inventa miracula scribi facerent, et ipsam sanctissimo Patri Domino Ioanni Papae XXII, sine aliqua haesitatione proponerent, qui ita infrascriptum miraculum eis factam dicti Sancti meritis retulerunt.

11. **De miraculosa liberatione eorum qui deferebant miracula sua ad dominum Papam in magno periculo maris.** — Cum dicti Fratres[3] in quadam galea Provincialium plurium onerata de Neapoli versus Romanam Curiam navigarent, duobus erectis velis et plenis vento prospero, sed nimis vehementi, ita ut in mari magnam excitaret navigantibus tempestatem, nautae plurimum timere coeperunt, eo quod galea videbatur tempestatibus[4] periculosius agitari, cum praeter hoc esset nox, et pluvia vexarentur. Quibus navigantibus cum ad montem Argentarium ventus galeam impelleret, et marinarii divertere non valerent, coeperunt singuli de galea vestes suas deponere, qui confidebant se natationis remedio non perire. Coepitque unus ad dictos fratres, qui timore tempestatis in sentina latebant, clamare magnis vocibus : Orate Fratres Sanctos vestros, quia galea in proximo frangenda vadit ad montem. Qui cum per mutuam confessionem se ad transitum pararent, quem in proximo credebant omni humano auxilio sublato, futurum : coeperunt fletibus magnis, et vocibus Reginam Virginum, maris stellam, B. Dominicum, B. Petrum Martyrem, et ultimo B. Thomam quasi pro immediato auxilio invocare. Cuius auxi-

1. Bollandiani : cum lacrymis.
2. Cod. Flor. : Gagetano; Bollandiani : Galecanae.
3. Cod. Flor. addit : Guillelmus de Tocho, prior Beneventanus et Robertus de Benevento ejus socius.
4. Cod. Flor. : plurimum.

lium instantius gemitibus implorantes, quasi sanctum ex debito pro auxilio in divino judicio convenissent, qui pro suo honore, tam fideliter laborarent, rogabant confidentius, ut eius meritis liberarentur miraculose, ne dicti Sancti perirent miracula, quae scripta portabant. Mirandum prodigium, quasi dicti Sancti ageretur negotium, si dictis Fratribus et omnibus de galea praeberet auxilium ; cum galea propinqua esset excidio fractionis, novus ventus a latere montis flavit, et galeam, quae impetu ferebatur ad montem, ab excidio percussionis avertit et libero mari a latere montem respiciens tradidit ab omni periculo divinitus liberata processit. Tunc omnes clamaverunt miraculum, miraculum, laudantes Deum : cui mare et venti obediunt[1] cum sancti in periculis pro navigantibus intercedunt.

12. **Commissio inquisitionis miraculorum sancti Thomae cum forma ejusdem facta domino archiepiscopo neapolitano, episcopo viterbensi et notariis Domini Papae**[2]. — Et quia totus processus, qui ad honorem Dei et dicti Sancti subito divino nutu fuerat ferventer assumptus, manifeste patuit quod erat divinitus inspiratus, continuanda est prosecutionis dicti processus historia, usque quo de inquirendis dicti Sancti miraculis per Sanctissimum patrem, dominum Ioannem Summum Pontificem, papam XXII, Inquisitionis prosecutio fuit commissa. Coram quo Sanctissimo cum predicti Fratres exposuissent causam sui adventus ad Sanctitatis suae praesentiam, et super hoc litteras Magnorum assignassent, quibus implorabant inquisitionem de inveniendis miraculis factis meritis dicti Sancti Apostolica Auctoritate committi, predictus Summus Pontifex divino afflatus spiritu, quo repletur, dixit : Nos credimus quod Fr. Thomas est gloriosus sanctus in caelo, quia vita sua fuit sancta, et doctrina eius non potuit esse sine miraculo. Et subjunxit Fratri, qui proposuerat : Assignamus tibi primum consistorium, in quo coram nobis et nostris Fratribus haec ipsa proponas. Quam responsionem Summi Patris Cardinales nostri Ordinis audientes dixerunt esse in tali petitione divinitus aspiratam, et a Deo fieri processus incepti negotii, qui semper fuit mirabilis in operibus Sancti sui. Cum autem die tertio in consistorio per eundem fratrem predicta petitio fuisset proposita et de mandato Summi Pontificis predictus Frater, qui proposuerat, se de consistorio absentasset, Summus Pontifex illo afflatus Spiritu, quo fuerat in prima responsione repletus, quasi sol radium vultum hinc inde ad Cardinales dirigens suae benignitatis adspectum dixit : Fratres, nos reputamus nobis ad magnam gloriam et nostrae Ecclesiae, si istum Sanctum possimus catalogo Sanctorum adscribere, dummodo aliqua miracula possint de eo inveniri : quia ipse plus illuminavit

1. Cod. Flor. : et sanctos, qui.
2. Totus textus apud Bollandianos est satis diversus.

Ecclesiam, quam omnes alii Doctores, in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae. Cui omnibus Cardinalibus, annuentibus tamquam filiis dicto patri, Summus Pontifex tres Praelatos ad inquisitionis miraculorum officium nominavit. Ad quod ultimo amplius deliberato consilio, reverendis Patribus Archiepiscopo Neapolitano, Episcopo Viterbiensi, et Domino Pandulfo de Sabello suo Notario, inquisitionem predictam cum inquisitionis forma commisit, praemissa prius inquisitione de vita, de fama vitae et miraculorum dicti S. Thomae. Et completa in curia lecta, et acceptata in consistorio ne diuturnitate temporis nimis tardaret canonisatio desiderata Doctoris, ad quam festinabat Sanctissimi Patris affectio, providens quod per eam commissa sibi promoveretur Ecclesia, ejus aedificata meritis, et illuminata doctrinis.

13. **Prosecutio commissionis factae super inquirendis miraculis sancti Thomae.** — Post reditum predictorum Fratrum de Curia, cum litteris de Inquisitione super praemissis facienda, apostolica auctoritate commissa, antequam assignarentur in Neapoli predictis tum Praelatis[1] litterae quia tertius interesse non potuit, medio tempore, antequam predictus Dominus Episcopus ad predictam venisset civitatem, in qua erat inquisitio facienda, vocatis testibus de monasterio Fossae-novae, Abbate et monachis, quorum quidam predictum Sanctum et eius miracula viderant; quidam vero eius meritis beneficia divina pietate receperant superna virtute dicti Sancti meritis, facta sunt multa miracula propter devotionem populi, quae occasione dictae inquisitionis eius communis fama in regione personuit; et ex mira Dei providentia, quae mirabiliorem dicti Sancti meritis se ostendit. Quorum miraculorum aliqua non fuerunt apud predictos Inquisitores inventa, quia testes Neapolim propter distantiam et impotentiam non potuerunt accedere : et reverendus Pater Neapolitanus archiepiscopus propter senectutem sine vitae periculo in loco dicti monasterii, in quo et eius circuitu erant testes, non potuit cum dicto Domino eius collega Episcopo convenire. Predictus frater Guillelmus ne derogaretur in aliquo divinae gloriae, qui se mirabilem in Sanctis ostendit, et sancti Doctoris famae, si miracula oblivioni essent tradita, quae ad notitiam divinae gloriae sunt patrata, infra illud tempus quo predictus Dominus Episcopus ad veniendum[2] se paravit, expectans ipsum in dicto monasterio per menses quattuor, omnia miracula quae invenire potuit recollegit : quorum aliqua infra illud tempus eo praesente sunt facta, et quaedam alia de propinquo collecta, quae inferius sunt notata. Per quorum multiplicationem visus est

1. Cod. Flor. : tantum prelatis.
2. Cod. Flor. addit Neapolim.

predictus Sanctus infrascriptorum signorum multiplicationi intendere, sicut in subscripta visione visus est demonstrare.

14. **De revelatione facta per ipsum sanctum Thomam, quod deberet canonizari.** — Dominus Bartholomaeus de Sulmona, monachus predicti monasterii Fossae-novae, vir magnae religionis, devotionis et famae ex testimonio sui Abbatis, vidit illis diebus quibus predicta omnia agebantur, in visione nocturna, fratrem Thomam de Aquino, multis associatis fratribus sui Ordinis intrare chorum dicti monasterii. De cuius admiratus adventu, quaesivit de causa sui novi accessus ad monasterium. Qui dixit : quod Summus Pontifex facit inquiri de factis meis, et ego ad hoc veni. Cui respondit predictus monachus : Est verum quod debes canonizari; tamen fr. Petrus de Morone non fuit canonizatus, nisi postquam fuit mortuus, et tu es adhuc vivus. Respondit S. Thomas : Fili, nullus canonizatur, nisi sit vivus, et Fr. Petrus de Morone vivit, et ideo est canonizatus; et inclinans se coepit ostendere modum orandi dicti Sancti, faciens profundas inclinationes, sicut ille in cella sua faciebat, et addidit : Frater Petrus fuit Sanctus canonizatus, quia multum devotus fuit in oratione. De me cantabitis istud invitatorium, quod ei in somnis seriose dicebat[1]. Qui evigilans et admirans non fuit de invitatorio recordatus et videbatur, quod dictus F. Thomas induebat se ad Missam. In qua dum procederet, excitatus est, gaudens, quia Deus dignatus fuerat de suo Sancto mira revelare praeterita[2], quae prae diuturnitate videbantur oblita.

16. **De cura miraculosa apostematis meritis sancti Thomae.** — Dominus Joannes de Adelesia, monachus predicti monasterii de Piperno, cum iaceret in dormitorio, subito de nocte supervenerunt ei tam intensi dolores quod vix poterat respirare ita quod timebat inter ipsos dolores deficere. Ad quem cum monachi convenissent, portaverunt ipsum ad infirmariam, ubi aptius remedia poterant sibi adhiberi. Cui cum nulla adhibita medicamina afferrent remedium, persuaserunt, ut devotione concepta B. Thomae predicto totis affectibus se voveret. Quod cum fecisset, et cum ipso alii, Sancti auxilium implorarent, subito apostema de eius exivit corpore, nulla dimissa in eo penitus laesione, egitque Deo devotus gratias, qui eum liberaverat meritis dicti Sancti.

17. **De cura miraculosa apostematis et febris.** — Dominus Ioannes de Sclavis, monachus dicti monasterii, cum apostema gravissimum pateretur et febrem, ita quod medicus non speraret de sua infirmitate salutem, vovens se B. Thomae et Deo, se eius meritis recommendans, fuit statim ab utraque infirmitate curatus.

18. **De cura miraculosa febris gravissimae meritis sancti Thomae.**

1. Cod. Flor.: De quo evigilans postmodum non fuit recordatus.
2. Cod. Flor.: mira festa revelare futura.

— Dominus Iacobus de Pastina predicti monasterii monachus, cum de mandato Abbatis sui mitteretur ad curiam subito cum supervenisset ei febris gravissima, et hoc Abbati suo erubesceret revelare, concepta devotione se dicto Doctori devovit. Ad cuius sepulcrum Sancti cum devotus oraret, fuit immediate ab infirmitate curatus.

19. **De cura febris acutissimae meritis sancti Thomae.** — Dominus Iacobus de Fresolon dictus Rubens, dicti monasterii monachus, cum febrem acutissimam pateretur, decumbens in lecto vovens se dicto Sancto fuit continuo liberatus.

20. **De sedatione miraculosa grandinum et tonitruorum.** — Dominus Iacobus de Piperno dicti monasterii cellarius, cum iret ad monasterium S. Mariae de Cannis monialium de Sompnino, ad officium cuiusdam funeris sanctimonialis, et in via grandinum tonitruorumque pateretur gravissimam tempestatem, ita quod de salute timens, quod per grandines propter grossitudinem ex percussione laedebatur, invocato Dei auxilio meritis S. Thomae, omnis immediate tempestas succedente tranquillitate cessavit.

21. **De cura doloris acutissimi diutini dextri brachii**[1]. — Fr. Manuel de Piperno, Conversus dicti monasterii, cum quattuordecim mensibus passus fuisset in brachio dextro dolorem acutissimum, ita quod non posset ipsum capiti applicare, concepta devotione ad predictum Sanctum, et facto voto, quod quolibet anno dum viveret, ieiunaret eius vigiliam (sic !); dum orasset ad eius sepulcrum et recubuisset super illud aliquantulum super infirmum brachium, post modicam horam surrexit perfecte curatus.

22. **De curatione miraculosa paralytici non credentis esse miracula S. Thomae.** — Frater Leonardus de Piperno, Conversus dicti monasterii novicius et faber, cum miracula S. Thomae predicti non crederet, sed plurimum dubitaret, quia ipse nullum adhuc viderat apertum miraculum; recumbens in lecto suo more solito coopertus, de mane surrexit et brachium suum dextrum paralyticum[2] invenit, de quo cum nihil operari posset, nec est ucam de terra accipere, credens, hoc sibi accidisse ex frigore, vadens ad fornacem coepit iuxta ignem fricare brachium, in quo dolore nimio gravabatur; qui cum nullum mitigationis sensisset effectum, memor suae infidelitatis excessus, quem contra predictum Sanctum commiserat, venit ad eius sepulcrum, et ibi aliquantulum orans, posito infirmo brachio super illud, sensit dolorem aliquantulum mitigari, et surgens credidit se totaliter esse liberatum. Sed cum accepisset martellum, tentans si posset aliquid operari, nec valeret, cogitans quod nondum erat ex toto de sua infidelitate correptus, accessit iterum ad dicti Sancti sepulcrum, et ibi suam infidelita-

1. Cod. Burn. istud miraculum narrat post sequens. Tituli tamen recte ponuntur.
2. Cod. Flor. : paraliticatum.

tem confitens, cum ex tota cordis devotione petivisset a Deo beneficium sanitatis, meritis dicti Sancti, ne inutilis esset in monasterio, promittens nunquam de Sancti miraculis dubitare, sensit se continuo perfecte curatum; utens curato brachio ad opera, sicut ante, agens Deo gratias, qui meritis dicti Sancti animum eius ab infidelitatis absolvit scelere et suum brachium a dolore.

23. **De curatione cujusdam privati virtute motiva in toto corpore.** — Petrus Carellus, Oblatus dicti monasterii, habens quandam filiam, gravi infirmitate in toto corpore motiva virtute privatam, quae cotidie doloribus torquebatur, concepta devotione ad predictum S. Thomam, rogabat Deum, ut vel ipsam de hac vita tolleret, aut dolore sanaret meritis dicti Sancti, super qua petitione cum votum devotionis emitteret, fuit statim omni infirmitate curata.

24. **De curatione cuiusdam qui prae dolore infirmitatis dormire non valebat.** — Iacobus Gulgumaris[1] de Piperno dixit se interfuisse, quando Ioannes, dictus Eremita, habens talem infirmitatem, quod dormire non poterat, concepta devotione in choro monachorum, supergradiens accessit usque ad sepulcrum dicti Sancti, et ibi devote orans Deum, quod sibi concederet dicti Sancti meritis sanitatem, immediate liberatus est, agens Deo gratias, quia cito fuerat suae dicti Sancti meritis sanitatis beneficium assecutus.

25. **De curatione cujusdam graviter vulnerati ita quod ex vulnere brachium omnino immobile permansit.** — Nicolaus de Maximo de Piperno vulneratus ab inimicis graviter in brachio dextro, cum de vulnere fuisset sanitatem medicinae remedio assecutus, de fractura remansit brachium omnino immobile sine spe quod cito posset curari per aliquod remedium medicinae. De quo cum graviter torqueretur, audito quod ad sepulcrum dicti Sancti frequentia fiebant miracula, dixit ei uxor sua : Concipias devotionem ad istum Sanctum Thomam de quo tot narrantur miracula, et spero quod statim assequeris eius meritis sanitatem. Qui concepta devotione cum promisisset suis parcere inimicis, et eis in crastino pacis osculo placari[2] et brachium cereum ad dicti Sancti deferre sepulcrum, cum de sero hoc dixisset, dormiens surrexit diluculo perfecte sanatus, agens Deo gratias et solvens cereum brachium et perficiens, quem promiserat pacis de reconciliatione tractatum.

26. **De curatione quaternarii et gravi dolore brachii dextri.** — Iacobus filius Petri de Ribaldo de Piperno dixit, quod passus fuisset febrem quartanam per menses quatuor cum gravi dolore brachii dextri, in die quo actualiter patiebatur dolorem et febrim, concepta devotione ad dictum

1. Cod. Flor. : Gulgimare.
2. Cod. Flor. : placitari; Bollandiani : reconciliari.

Sanctum, et vovens, si a Deo eius meritis curaretur, discalceatis pedibus eius visitare sepulcrum, et ad eius laudem unam Missam facere celebrari in dicto monasterio, continuo dimissus a febri fuit, et a dolore brachii perfecte curatus, agens Deo gratias, et dicto Sancto, vota quae voverat cum devotione persolvit.

27. **De curatione tussis vehementissimae usque ad vomitum sanguinis.** — Marcus Brachialis de Piperno, cum pateretur tussim vehementem, et eius vehementia sanguinem frequenter evomeret, nec posset remedio cuiuscumque medicinae curari; accessit cum devotione ad dicti Sancti sepulcrum : ubi cum devote oraret Deum, et peteret dicti Sancti meritis liberari confestim fuit perfecte a dicta infirmitate curatus.

28. **De quadam gutturosa ad tactum reliquiarum suarum sanata.** — Nicolaus de Monte S. Joannis, habitator Piperni, cum haberet filiam gutturosam, et ipsam propter strumam gutturis maritare non posset, duxit eam ad monasterium Fossae-novae predictum. Quod cum filia ingredi non liceret, petivit a sacrista monasterii, ut ad filiam suam dicti Sancti reliquiae portarentur; quas delatas cum reverentia cum devotione concepta, ipsas gutturi filiae rogavit apponi. Quibus appositis post modicam horam cum rediret ad propria, in via globum quendam carnositatis evomuit, et gutturis tumor immediate cessavit.

29. **De patre ejusdem qui prae dolore lateris se non poterat inclinare ad sepulcrum ejus sanato.** — Predictus Nicolaus cum tantam virtutem vidisset in sua filia meritis dicti Sancti, patiens in latere dextro dolorem, ita quod se non poterat inclinare, concepta devotione ex praecedenti miraculo ad merita dicti Sancti venit ad sepulcrum eius et super ipsum, pia praesumptione et devota fiducia, a parte dolentis lateris se extendit, petens sibi, sicut et filiae a Deo dicti Sancti meritis beneficium impertiri. Super quo cum aliquantulum quievisset, surrexit ab omni penitus infirmitate curatus.

30. **De curatione cujusdam patientis gravem dolorem stomachi cum oppilatione gutturis.** — Mathaeus Joannis de Leone de Piperno, Oblatus dicti monasterii, cum die Lunae in domo abbatis[1] de sero sanus et hilaris comedisset, circa mediam noctem gravem dolorem stomachi patiens, cum oppilatione tanta gutturis, ut vix respirare posset, timens sibi imminere statim mortis periculum, concepta devotione in corde, quam exprimere non valebat voce, dixit : Adiuva me, B. Thoma, ne inconfessus moriar, quia sum huius monasterii Oblatus, in quo vestrae sanctae reliquiae requiescunt, et voveo visitare sepulcrum tuum, cum reverentia et candelis accensis. Quibus verbis conceptu mentis in corde prolatis immediate ab omni infirmitate curatus est, agens Deo gratias et solvens quod promiserat Sancto votum.

31. **De curatione cujusdam gravissime febricitantis.** — Petrucius de Piperno hospes, habens quandam filiam parvulam, febrem gravissimam

1. Bollandiani : dominica in Albis.

patientem, cum ipse et uxor sua vovissent[1] predicti Sancti sepulcrum cum orationibus et oblationibus visitare, continuo fuit a febri et ab omni quam patiebatur infirmitate curata. Qui agentes Deo gratias vota solverunt.

32. **De curatione cujusdam lunatici in gutture singultum patientis.** — Matthaeus capuanus[2] de Piperno, habens filium parvulum, qui ex comestione cuiusdam piscis incidit in tam gravem et frequentem singultum, quod ex eius frequentia factus est lunaticus, ut signa monstrabant; detulit ipsum ad sepulcrum S. Thomae, petens ipsum eius meritis liberari; super quod cum puerulus paululum quievisset et pater pro eius salute rogasset, puer surrexit ab omni infirmitate curatus.

33. **De miraculosa curatione cujusdam caeci illuminati.** — Petrus Balia de Piperno, cum quatuor annis continue visum amitteret, et tendentem ad caecitatem nulla ipsum remedia medicinae iuvarent, ultimo totaliter caecus effectus est. Qui cum auditis miraculis quae ad dicti Sancti sepulcrum fiebant, devotione concepta, ad ipsum se fecit a quodam eum praecedente conduci; ubi cum diu orans preces ad Deum effunderet pro salute, intercedentibus meritis sancti Thomae continuo fuit lumini restitutus.

34. **De curatione cujusdam pueri qui numquam dormire poterat et semper ejulabat.** — Gregorius Citer de Piperno, cum haberet filium parvulum, qui insomnitatem incurrerat, numquam dormiens, et semper vigilans, et nullum ei medicinae adhibitum valeret remedium, concepta devotione, ad predictum Sanctum attulit filium ad monasterium predictum, et posuit eum super prefati Sancti sepulcrum. Qui puer statim siluit ab eiulatu, et qui diu non dormierat, obdormivit, et deinceps perfecte curatus ab utroque defectu surrexit. Cuius pater videns in filio tam manifestum miraculum, cui tam festinanter Sanctus[3] succurrerat, cum ipse pateretur in dextro genu dolorem, nec posset sine baculo ambulare, nec pedem planum in terra ponere, devotione concepta iterum Sanctum oravit, et statim extensa tibia sicut sana, sine baculo, cum filio sano pater sanus ad propria remeavit referens Deo gratias de miraculo duplicato.

35. **De quodam curato a tumore gutturis ad tactum reliquiarum.** Jacobus Marcellucius de Piperno, patiens in gutture tumorem noctu veniens cum matre ad monasterium, accessit cum devotione ad sepulcrum venerabile dicti Sancti, ubi cum devotus oraret, petivit apponi super tumorem eius reliquias, quibus appositis statim tumor disparuit, et ipse perfecte curatus ab infirmitate remansit.

36. **De quodam miraculose liberato de gravi periculo submersionis.** — Joannes de Theodino iuvenis, cum impleret vas aquae in fluvio dicti monasterii, impetus dicti fluminis eum cum vase rapuit, et per canalem molendini tanta velocitate proiecit, quod nullo modo potuit se iuvare.

1. Cod. Flor. : venissent ad.
2. Cod. Flor. : captarius.
3. Cod. Burn. et Flor. omittunt : Sanctus.

Qui cum [1] subito impegisset in instrumentum, quo rota vertitur molendini, cum magna devotione clamavit : S. Thoma de Aquino adiuva me ; et statim percepit se capi ab uno homine per caput, qui ipsum de periculo liberavit, et posuit eum extra aquam ; ad quod miraculum supervenit Frater Manuel Conversus monasterii supradicti.

37. **De curatione cujusdam qui oculum sinistrum perdiderat et prae dolore in dextro non poterat videre.** — Floredensa de Piperno, cum perdidisset oculum sinistrum, prae cuius dolore etiam de dextro videre non poterat et sic tribus diebus sine oculorum lumine remaneret; cum adhibitis remediis nullum sanitatis consequeretur effectum, de nocte recommendans se Deo et meritis S. Thomae, post orationes et lacrymas a multis fatigata suspiriis aliquantulum requiescens, post paullulum quietis evigilans, invenit se de utroque perfecte sanatam. Quae vocans virum suum cum gaudio suae illuminationis beneficium nuntiavit sibi impensum meritis S. Thomae, quem apud Deum invenerat adjutorem.

38. **De quadam a dolore dextri brachii incurabili liberata per tactum computi orationis devote.** — Alexandra de Piperno, antiqua et devota, cum pateretur in brachio dextro dolorem, nec posset medicinae remedio liberari ; habens computum [2] suum, cum quo quotiens diceret orationem dominicam numeraret, et cum quo ex devotione tetigerat reliquias dicti Sancti, posuit sub brachio, in quo dolor erat intensus : et in loco se prosternens dixit : B. Thoma, ego reliquias tuas non possum contingere; impetra mihi beneficium sanitatis per istum computum, quo tuas reliquias me recolo tetigisse. Quo verbo cum devotione prolato continuo se sensit ab omni penitus dolore curatam.

39. **De curatione cujusdam patientis dolorem vehementem in collo.** — Quaedam mulier de Piperno, patiens in collo dolorem vehementem, invocato auxilio dicti Sancti, fuit protinus ab omni dolore curata.

40. **De quodam patiente dolorem vehementissimum in sinistra maxilla.** — Joannes Capocius de Sompnino cum in maxilla sinistra dolorem fortissimum pateretur, concepta devotione, locum tangens dolentem, dixit : S. Thoma, si vera sunt, quae de te dicuntur miracula oro, ut me sanes ; quia voveo tuum sepulcrum cum reverentia visitare. Quibus verbis cum devotione prolatis ab omni dolore fuit continuo liberatus Deo et Sancto gratias de tam festino beneficio sanitatis.

41. **De quadam patiente immensum dolorem in aure curata.** — Theodora Manuta [3] de Sompnino, cum pateretur in aure intensum cum tumore dolorem, concepta devotione ad dictum Sanctum, nuntium misit, et fecit mensurari de suo facciolo dicti Sancti sepulcrum : de quo cum maxillam suam involvisset eius invocato auxilio continuo a tumore et dolore protinus liberabatur.

1. Hic plura desunt in Cod. Flor.
2. Hic complura desunt in Cod. Flor.
3. Cod. Flor. habet : mañca, moninca, Moinuca.

42. **De quodam patiente gravem tumorem in tibia tribus annis, qui facto voto ad sepulcrum ejus curatus est.** — Nicolaus Johannes Stephani de Sompnino, cum passus fuisset tribus annis gravem tumorem in sinistra tibia cum multis ulceribus, nec posset multis adhibitis remediis liberari, ad dictum Sanctum devotione concepta et facto voto quod ad ejus sepulcrum tibiam ceream, si eius meritis obtineret a Deo de sua infirmitate medelam, protinus fuit ab omni infirmitate curatus, agens Deo et Sancto gratias, et solvens sicut promiserat votum suum.

43. **De quodam patiente fistulam per annum in pollice miraculose sanato.** — Matthaeus dictus Caputericcius[1] de Sompnino cum passus fuisset in pollice pedis per annum fistulam, et discurrens per multos medicos, nullum salutis remedium inveniret, ad verbum uxoris, quae audierat ad sepulcrum dicti Sancti multa fieri miracula, concepta devotione de sero dicto Sancto se recommendans a suo digito[2] omnia medicamina consueta, de Sancti meritis solummodo confisus, amovit; qui de mane surgens invenit digitum pedis sine indicio[3] vulneris ab omni infirmitate curatum, agens Deo et Sancto gratias, qui tam festinus fuit miserator in cura.

44. **De quadam hydropica ad reliquias ejus curata.** — Stephana de Rocca-sicca habitatrix castri Sompnini, hydropica et toto corpore tumida, cum concepta devotione ad dictum Sanctum venisset ad portam monasterii Fossae-novae, petivit cum magna devotione sibi portari eius reliquias. Quae cum portatae fuissent, et eius pectori cum signo crucis et orationibus applicatae, rediens ad propria, fuit in via crescente eius devotione curata.

45. **De quodam dolore gravissimo coxae et inguinis gravato, qui facto voto ad sepulcrum ejus curatus est.** — Nicolaus de Leone de rogata de Sompnino, cum esset in agro, et eum dolor gravissimus in coxa et inguine gravasset, timens ad propria non posse redire, concepta devotione ad B. Thomam, et facto voto, quod in crastino eius sepulcrum nudis pedibus visitaret, fuit continuo liberatus, et ad domum rediens, de mane votum, quod promiserat devotus implevit.

46. **De quadam patiente paralysim per decem annos facto voto ad ecclesiam ejus curata.** — Maria de castro Campanetae[4] cum paralysim per annos plures ex frequentibus a viro suo sibi illatis verberibus[5] incurrisset, cum spicas colligeret post messores, ut paupercula poterat, audiens a conversis monasterii nominati, quod meritis dicti Sancti multa fierent miracula, vovit se ei promittens monasterium visitare, si suis meritis sanaretur; et statim perfectissime curata ecclesiam monasterii, ut voverat, visitavit, narrens miraculum, quod a Sancto impetraverat, mira celeritate festinum.

1. Cod. Flor. : Bartholomaeus Capurizii.
2. Bollandiani : pollice.
3. Cod. Burn. : incisione.
4. Cod. Flor. : Carpanete.
5. Bollandiani : turpibus verbis... audiens a diversis.

47. **De curatione cujusdam podagrici meritis S. Thomae.** — Boetius Passogerius de Terracena, habitator Fundorum, cum existens in platea dolore podagre subito in pedibus gravaretur, rediit adiutus ab aliis in domum suam : ubi cum gravatus dolore vovisset sepulcrum dicti Sancti, quam citius posset visitare, subito fuit pia Sancti intercessione, divina virtute curatus.

48. **De curatione cujusdam patientis dolorem stomachi a pueritia.** — Boetius Toctius de Terracena, habitator Fundorum, cum esset in monasterio Fossae-novae et audisset a Sacrista, quod ad sepulcrum dicti Sancti multa miracula meritis ejus fierent, et gravem dolorem pateretur in stomacho, in quo a sua pueritia fuerat passus; accedens cum devotione ad sepulcrum dicti Sancti et petens ejus meritis liberari, ponens se super sepulcrum, protinus fuit ab omni infirmitate curatus, quam deinceps numquam sensit.

49. **De curatione cujusdam quaternarii meritis S. Thomae.** — Dominus Raynaldus Bacula[1] de Terracena miles, cum multis annis passus fuisset quartanam, concepta devotione venit ad sepulcrum S. Thomae[2], ubi cum orasset ejus meritis a Deo liberari, ex tunc se sensit a quartana liberatum.

50. **De curatione cujusdam militis patientis dolorem brachii.** — Dominus Grassus de Neapoli miles, cum per unum annum et amplius dexterum brachium sic haberet dolore gravatum, quod capiti suo applicare non posset, transiens per monasterium Fossae-novae, devotione concepta ad merita dicti Sancti, venit ad eius sepulcrum, super quod infirmum ponens brachium petivit dictum Sanctum sibi fieri propitium, et continuo se sensit ab infirmitate curatum.

51. **De curatione cujusdam militis patientis dolorem magnum oculorum suorum.** — Dominus Jacobus Capuanus[3] de Neapoli miles, videns hanc celerem in dicto milite impetratam divina virtute medelam, meritis dicti Sancti, cum ipse pateretur in oculis gravem cum dolore puncturam, ponens faciem suam super sepulcrum eius, simili celeritate fuit divina virtute curatus, simul agentes Deo gratias, qui simul fuerant dicti Sancti meritis liberati.

52. **De curatione cujusdam civis a febre duplici tertiana.** — Caesarius de Bono civis Neapolitanus infirmus graviter duplici tertiana, cum instaret quintus dies accessionis et de vita plurimum dubitaret, eo quod nullam crisim[4] et sanitatis indicium habuisset, cum fieret inquisitio de miraculis S. Thomae, concepta devotione predicto Sancto totaliter[5] se devovit. Qui cum superveniente accessionis termino nihil sensisset moles-

1. Cod. Flor. : Buzula.
2. Cod. Flor. : predicti et ibi orans.
3. Bollandiani : Capitanus.
4. Bollandiani : nullum paroxismum.
5. Bollandiani : corporaliter.

tiae, nec evacuationem[1] aliquam virtute naturae, tertia die surrexit; et Domino Episcopo Inquisitori in officio inquisitionis pro reverentia dicti Sancti usque ad finem devote servivit.

53. **De curatione tumoris tibiae cujusdam.** — Venerandus pater Dominus Umbertus, Archiepiscopus Neapolitensis ad inquirenda miracula S. Thomae de mandato Summi Pontificis constitutus, cum instaret tempus, quo venerabilis Pater Dominus Angelus suus[2] in dicta inquisitione collega, deberet simul cum eo Neapoli ad inquirenda miracula dicti Sancti procedere, et ipse pateretur gravem tumorem in tibia simul cum ulcere, quod longo tempore passus fuerat, et in lecto decumberet et ambulare non posset, rogavit humiliter et devote Deum, ut meritis dicti Sancti ei sanitatem dignaretur concedere, et commissam sibi inquisitionem pro Dei et Sancti gloria perfecte implere. Quo verbo cum devotione prolato, statim de lecto sanus surrexit et per totam cameram ambulavit et veniente Domino Episcopo predicto inquisitionem sanus et devotus implevit.

54. **De curatione febris cujusdam alii episcopi meritis S. Thomae.** — Predictus Dominus Episcopus, cum inquisitionem commissam de dicti Sancti miraculis devote et sollicite faceret, contigit una die de sero, quod febris acutissima ipsum arriperet, et in toto corpore immutaret. Qui de vita desperans, B. Thomam devote coepit orare, petens ut superstitem suae inquisitioni ipsum dignaretur dimittere, quam devote concesserat inchoare. Quibus verbis dictis cum magna spe et fiducia sanitatis in illo languore febris caput reclinavit fatigatus in lecto, et dormiens reliqua parte noctis usque ad diem, de mane surrexit sanus, sed debilis, perfecte tamen curatus, sine aliqua alleviatione, quae facta fuisset artis remedio vel naturae, egitque Deo gratias, qui ei concesserat in se merita dicti Sancti cognoscere, quae desiderabat per alios invenire. Quae duo miracula predicti prelati[3] scripserunt Domino nostro Summo Pontifici sub uno contextu et serie litterarum, quae sub eorum sigillis fuerunt pro vera assertione munitae.

55. **De curatione duplicis tertianae cujusdam canonici meritis sancti Thomae.** — Dominus Matthaeus Canonicus Majoris ecclesiae Neapolitanensis, nuntius ad sanctissimum Patrem Joannem cum inquisitione facta de miraculis predicti Sancti a prefato Domino Archiepiscopo destinatus; cum pluribus diebus idem antequam iter ad Curiam arriperet[4] passus fuisset duplicem tertianam, et de superventura accessione timeret, cum esset nimium debilis, non valens verbum exprimere, sed suus medicus nullatenus de eius salute speraret, quidam eius socius concanonicus[5] emisit pro eo votum, dicti Sancti cum eo visitare sepulcrum, quia ipse infir-

1. Bollandiani : certificationem.
2. Bollandiani : episcopus. — Cod. Flor. omittit totam partem phrasis a « deberet » ad « procedere ».
3. Bollandiani : sancti.
4. Cod. Flor. omittit partem phrasis ab « idem » ad « arriperet ».
5. Bollandiani : et canonicus.

mus prae debilitate verbum exprimere non valebat. Quo annuente quod votum erat sibi acceptum, statim fuit ab infirmitate perfecte curatus. Quem cum medicus hora accessionis sollicitus visitasset, ut ei remedium exhiberet, inveniens eum liberum et a febri ventura succedente divinitus sanitate curatum, non contentus[1] divinae beneficio medicinae, consuluit ut ad confirmationem concessae divinitus sanitatis aliquam levem medicinam acciperet, quae ipsum ab omni superfluo humore purgaret. Quo annuente, cum satis levem ei potionem medicus propinasset, et ille hora purgationis debita in lecto gravibus doloribus torqueretur, nec medicus sciret remedium aliquod adhibere, confirmato eodem voto quod fecerat, et poenitens quod contentus remedio caelestis medici non fuisset, subito fuit ab omni torsione curatus, et virtute divina medicina suum effectum habuit naturalem.

56. **De praeservatione cujusdam equitis de rupe cadentis.** — Alia duo magna miracula Sancti dicti meritis Deus ostendit nuntiis, qui ex parte predictorum Inquisitorum Inquisitionem factam de eius miraculis Summo Pontifici detulerunt; videlicet[2] predicto Domino Mattheo et Domino Petro nuntio predicti Domini Episcopi Viterbiensique Canonico, qui cum venerunt per Alpes, et erant super lacum Losanensem[3] saumarius qui portabat saumandium Cincii[4] de Arbonis Romani per rupem altissimam cecidit[5] se volutando per rupis latera et ultimo de limpida rupe cecidit super saxa acuta juxta oram dicti lacus. In cuius casu cum predictus dominus Matthaeus invocasset auxilium sancti Thomae, et crederetur ex casu animal fuisse confractum, subito saumarius inter illos lapides surrexit sanus, et non mutato in aliquo suo onere, quod portabat, accessit ad potum[6] et in nullo fuit a suo itinere impeditus. Quod miraculum omnes traxit[7] qui aderant in stuporem, cum animal virtute naturae non potuisset evadere, etiamsi sine onere cecidisset.

57. **De praeservatione cujusdam alterius equi.** — Simile miraculum dixit predictus Dominus Matthaeus sibi in suo equo, dicti Sancti meritis divinitus fuisse concessum ; qui cum de duobus posterioribus pedibus lapsu praecipti toto corpore esset in rupe, et de anterioribus pedibus se regeret iuxta viam, et ipse ex toto equo[8] dimisisset habenas, habens ipsum pro perdito, qui non poterat humano juvari auxilio ; invocato Dei auxilio, meritis dicti Sancti cuius inquisitionem miraculorum in boneta[9] portabat,

1. Bollandiani : securum, contentus.
2. Cod. Flor. : predictus dominus Mattheus et dominus Petrus nuntius prefati episcopi cum venirent.
3. Cod. Flor. : Lasonensem ; item Bollandiani. Iste lacus videtur esse lacus Lemannus.
4. Bollandiani : Eracii de Arlotis.
5. Bollandiani : super saxa acuta coram dicto lacu. In cujus causa cum Matthaeus praedictus.
6. Bollandiani : ad portum.
7. Cod. Flor. : transit.
8. Cod. Flor. : equi.
9. Bollandiani : porrectam. — Boneta non solum significat id quod gallice vocatur bonnet, sed generatim pannum. Cf. Du Cange, *Glossar.* sub verbo bonneta.

equus magno conamine super pedes anteriores innitens saltavit ad viam paratus ad iter; supplevitque in equo virtus divinae potentiae, quod deerat virtuti naturae.

Explicit legenda S. Thomae de aquino[1]

ADDENDA

Praeter Manuscripta supra pag. 62 sqq. recensita, in quibus invenitur vita S. Thomae a Guillelmo de Tocco conscripta, inveni pulcherrimum codicem asservatum in bibliotheca Darmstadtensi (Darmstaedter Hofbibliothek, Handschrift 205 fol. 58-98). Iste codex pertinebat ad monasterium Charthusianorum Wesaliense super Rhenum et transcriptus est a Francisco de Malender. In fine habetur : « Explicit legenda beati Thomae de aquino per me fratrem franciscum de malender regularem de insula in opposito ville valender. Anno Domini MCCCCLXXXVII in vigilia Sti Calixti martiris. » Pulchritudine scripturae iste codex eminet inter omnes, quos vidi conscriptos de vita S. Thomae, sed quia est satis recens, non tantam auctoritatem historicam sibi vindicare potest, quantam habent Codices Burneianus et Florentinus supra pag. 62 descripti. Insuper mihi indicati sunt tres alii codices continentes opus Guillelmi de Tocco, scil. Nurimbergae, Cent. III. 69, Boloniae, Bibliotheca Universitatis n. 1535, Sienae, Bibl. communalis K. VII. 2. Sed ego non potui propriis oculis inspicere istos codices ideoque de iis judicare non audeo.

His ultimis annis, praesertim autem anno 1923, quando celebratum est sextum centenarium cannonizationis S. Thomae Aquinatis, complura opera eruditionis plena edita sunt circa biographiam Angelici Doctoris. Imprimis mentione digna sunt complura scripta edita a P. Mandonnet O. P. qui adjuvante P. Destrez O. P. edidit « Bibliographie Thomiste » et periodicum « Bulletin Thomiste ».

Pariter bene meritus est de biographia S. Thomae Franciscus Pelster S. J., qui valde diligentes investigationes peregit de vita Angelici Doctoris, e. g. : « La famiglia di S. Tommaso d'Aquino. La giovinezza di S. Tommaso d'Aquino. » Civita Cattolica 1923. — Angelus Walz O. P. optime disseruit de bulla cannonizationis S. Thomae Aquinatis, cujus exemplar originale nuper inventum est Tolosae. — Franscesco Scandone, La vita, la famiglia e la patria di S. Tommaso. — P. Innocenzo Taurisano O. P., Discepoli e biografi di S. Tommaso. Haec duo ultima scripta prodierunt Romae 1924.

1. In margine codicis Burn. litteris valde minusculis ponitur : « Non inveni plus in exemplari quam hucusque ». Codex Flor. in fine addit : Explicit.

VITA S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

BERNARDO GUIDONIS

PROLOGUS

Pauca verba praefari liceat 1° de vita et gestis Bernardi Guidonis; 2° de manuscriptis continentibus vitam S. Thomae Aquinatis a Bernardo Guidonis conscriptam.

I° DE VITA ET GESTIS BERNARDI GUIDONIS

Supra p. 57 debui dicere perpauca ad nos pervenisse de vita gestisque Guillelmi de Tocco. Neque novae investigationes magna cum industria factae a Rev. P. Innocentio Taurisano, a Prof. Franc. Scandone aliisque valuerunt novas de Guillelmo de Tocco notitias alicujus momenti adducere (1). De Bernardi Guidonis autem vita atque gestis sat multa nobis cognita sunt. Pro nostro scopo sufficit breves quasdam adnotationes facere de operibus nostri auctoris. Qui ampliora quaerit, legat longam dissertationem ab Antonio Thomas conscriptam in « Histoire littéraire de la France » tom. XXXV, pag. 139-232 (2).

Bernardus Guidonis (Gui vel etiam Guion) natus est anno 1261 vel 1262 « in vico vocato Roeria prope Rupem Apis » (Royère, du diocèse de Limoges) (3), dioecesis Lemovicensis in Gallia. Ordinem intravit Praedicatorum juvenis anno 1279 in conventu Lemovicensi, ibique die 16 sept. 1280 professionem religiosam emisit in manus celeberrimi fratris Stephani

(1) Cfr. S. Tommaso d'Aquino, Miscellanea storico-artistica. Roma 1923.
(2) Ea tamen quae auctor de manuscriptis Bernardi Guidonis enarrat, sunt manca.
(3) Cf. Quétif et Echard, Scriptores Ord. Praed. I, 576.

11

de Salagnac. Studiis philosophicis et theologicis peractis, Bernardus Guidonis in diversis conventibus officium vel Lectoris vel Prioris magna cum laude exercuit e. g. in conventu Lemovicensi, Albensi, Castrensi, Carcassonnensi, etc. Anno 1307 factus est Inquisitor haereticae pravitatis pro regno Galliae; hocque officio perarduo laudabiliter perfunctus est usque ad annum 1323. Interim etiam aliis officiis magni momenti incubuit. Sic a. 1317 a Magistro Ordinis Berengario de Landorra nominatus est Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum in Curia Summi Pontificis (1). Summus autem Pontifex Ioannes XXII, bene cognoscens merita atque dexteritatem nostri Bernardi, eum delegavit, ut in Italia superiore pacem restitueret inter Guelfos et Gibelinos; postea per Bullam datam d. 17 sept. 1318 ipsum instituit Nuntium apostolicum ad conciliandum comitem Flandriae Robertum de Béthune cum rege Galliae Philippo V. Anno 1323 die 26 Aug. ipsum elegit episcopum Tudensem in Hispania (Tuy en Galice), sed non diu post, i. e. die 20 jul. 1324, illum transtulit ad sedem episcopalem Lodevensem in Gallia. Diu noctuque noster Bernardus desudavit et in optimo regimine suae dioecesis et in studiis praesertim historicis peragendis. « Tamquam nardus odorifera vita pariter et doctrina odorem suavissimum Deo et hominibus emanavit (2). » Immo, ut narrat idem antiquus auctor, duo miracula operatus est mense Augusti a. 1318 noster Bernardus commorans Avenioni. Decessit die 30 Dec. 1331 in Castello episcopali Lauroux, 70 vel 71 annos natus. Quamvis semper duxerit vitam innocentissimam ac virtuosissimam, tamen hilaris affabilisque conversatus est. Quare idem auctor jam citatus de eo nuntiat : « Hic Bernardus mente devotus et sermone jocundus solitus erat dicere suis familiaribus, quos

(1) Cf. Innoc. Taurisano, Hierarchia Ordinis Praedicatorum (Romae 1916), pag. 87. Per quattuor circiter annos hoc officio functus est.

(2) Ita antiquus auctor brevis chronicae de vita et moribus ac scriptis et operibus Domini episcopi lodovensis praemissae Speculo Sanctorali. Impressa invenitur haec chronica apud Quetif et Echard l. c. pag. 576.

post pressuram studii ac negociorum circa horam noctis interdum ad se advocabat, ut proponeret aliquis eorum aliquod verbum honesti et jocundi solatii : asserens non esse probum virum, qui vadit ad dormiendum, nisi semel in die fuerit jocundatus. Sed hic sobrie illo solatio utebatur, ut tandem verbis aedificatoriis, quibus mirabiliter affluebat, in devotione hujusmodi solatium terminaret. »

2° DE MANUSCRIPTIS CONTINENTIBUS VITAM S. THOMAE AQ. A BERNARDO GUIDONIS CONSCRIPTAM

Noster Bernardus complura opera gravia tam theologica quam historica composuit. Quétif et Echard narrant (l. c., p. 577) hos Bernardi libros implere novem volumina in-folio conservata in Conventu Tolosano Fratrum Praedicatorum atque de singulis disserunt. Antonius Thomas quoque (l. c.) erudite conatur discutere singula opera Bernardi. Quare, lectorem remittimus ad istos historiographos, qui tamen ambo insufficienter enumerant manuscripta, quae continent vitam S. Thomae a Bernardo Guidonis conscriptam. Quae quidem manuscripta sunt multo numerosiora, quam ea, quae continent eandem S. Thomae vitam a Tocco compositam. Nos igitur, relictis ceteris operibus Bernardi Guidonis, de sola ejusdem Legenda S. Thomae tractamus. Cum in omnibus, quae vidimus, manuscriptis hujus Legendae enarretur canonizatio S. Thomae, quae habita est die 18 Iul. 1323, manifestum est, hoc opus non esse antea conscriptum. Sed nec etiam multo post Bernardus hanc Legendam composuit, quoniam in Codice Vaticano n. 3847 habetur haec dedicatio manu propria ab ipso Bernardo addita : « Venerabili viro domino petro roggerii, magistro in theologia, parisius pater Bernardus, episcopus lodovensis presentem legendam S. thome de acquino transmittit. » Uti jam supra p. 10 probatum est, Petrus Roggerii factus est magister in theologia versus mensem Augusti 1323, die autem 23 Iunii 1326 creatus est

abbas monasterii Fixamensis i. e. Fécamp (Registr. Vat. Comm. Joh. anno 10 ep. 2089). Ergo haec Legenda conscripta est intra mensem Augusti 1323 et mensem Iunii 1326). Si enim postea edita esset, Bernardus eam non dedicasset Petro Roggerii, magistro in theologia, sed abbati aut episcopo Petro Roggerii. Omnes norunt hunc Petrum Roggerii postea electum esse Summum Pontificem sub nomine Clementis VI.

Principaliores Codices manuscripti continentes hanc Legendam sunt :

1. *Codex Vaticanus n. 3847*, qui cum sit signatus ab ipso Bernardo Guidonis, videtur esse melior quam ceteri omnes, ideo eum prelo mandamus adnotantes Variantes lectiones ex aliis Codicibus. Est Codex membranaceus 135 × 200 mm. In illo inveniuntur primo : « Liber sive tractatus de predicatione crucis contra saracenos infideles et paganos » (fol. 1-26). Deinde incipit : « Legenda sancti thome de aquino de ordine fratrum predicatorum, de ortu, vita et obitu ac gestis ejus. Cujus festivitas celebratur Nonis Martii qua die transiit ex hoc mundo » (fol. 27-71). Praemittitur autem tabula capitum singulorum huius Legendae. Deinde sequitur Bulla canonizationis S. Thomae et quidem textu omnino conformi cum Originali nuper Tolosae detecto. Quae quidem conformitas, cum minime habeatur in aliis Codicibus neque etiam apud Bollandianos, satis ostendit hunc Codicem esse magna cum diligentia conscriptum. Postea sequitur « Chronica brevis de progressu temporis sancti Thome », i. e. Bernardus Guidonis conatur texere chronologiam vitae S. Thomae. Dico autem : conatur texere, etenim ipse anceps haeret haud semel circa singulos annos indicandos. In fine Codicis habetur (a manu tamen alia et quidem posteriore transcripta) littera episcopi Stephani Parisiensis data d. 14 Febr. 1325 ad defendendam doctrinam S. Thomae.

Praeter istum Codicem habentur quoque in Bibliotheca Vaticana duo alii continentes vitam S. Thomae a Bernardo Guidonis conscriptam, sc.

2. *Codex Vat. 218*. Est Codex membranaceus pulchre quidem sed etiam interdum mendose conscriptus saec. XV. 180 × 270 mm. Continet vitam S. Dominici (fol. 1-141), vitam S. Thomae (fol. 142-214), translationem corporis ejusdem doctoris.

3. *Codex Vat. 6218* papyraceus continet inter alia : « legenda S. Thome de Acquino compilata per episcopum Lodovensem »; conscriptus est saec. XVI vel XVII et non est magni momenti.

4. *Codex Archivi General. O. Pr. Romae X. 3001* membranaceus saec. XIV. In illo continentur 1. « quattuor libri dialog. S. Gregorii », « Vitae Fratrum cum epistula addita Humberti Magistri Glis. », « Bulla canonizationis S. Thomae », « Legenda S. Thomae per episcopum Lodovensem ». Additur : « Indulgentia prolata seu concessa ad honorem beati thome a summo pontifice Clemente sexto sequens panditur ». In fine Legendae adduntur quinquaginta quinque miracula « que facta sunt pap meritis s. thome ». Deinde in hoc Codice habentur « aliqua breviter collecta de vita et miraculis fr. raymundi de Pennaforte », et demum : « vita fr. dalmatii monerii Cathalani predicatorum ordinis et dyoecesis gerundinensis ». Codex videtur oriundus ex Hispania; adnotatur, in ipso contentas vitas esse collectas a Nicolao Eimerico a. 1351; codicem autem ipsum denuo esse religatum mandante Priore Jacobo Ortulano a 1364. Haec Legenda S. Thomae valde similis est Codici Vaticano 3847 ideoque inter meliores reputanda est.

5. *Codex Florentinus* (Bibl. Naz. 1189. F. 6) membranaceus (saec. XIV) continet solam vitam S. Thomae; constat 88 foliis 25 × 17,50 mm. In prima pagina legitur : « Hic liber est monij angelorum florentie quem emit D. Paulus Orlandinus ».

6. *Codex Universitatis Lipsiensis n. 818* membranaceus continet : Vitas Fratrum a Gerhardo de Frachetto conscriptas, Legendam S. Thomae a Bernardo Guidonis compositam; item Chronicam brevem, et epistulam Stephani episcopi Parisiensis

contra calumniatores S. Thomae. In fine additur : « Explicit legenda beati thome de aquino, sacre theologie doctoris, ordinis fratrum predicatorum completa per manus Johannis de Westphalia anno domini MCCCXLIIII in die beatorum gervasii et prothasii martyrum. Amen. Deo gracias. » Deinde sequitur : « Noverint universi quod ego frater petrus fratrum ordinis predicatorum magister, licet indignus vidi et diligenter inspexi anno Domini MCCCXLIIII quodam die mensis maji quasdam litteras apostolicas vera bulla plumbea et filo serico domini nostri pape bullatas » continentes indulgentiam concessam a Clemente VI. Hoc manuscriptum est unicum, cujus transcriptio accurate cognoscitur sc. d. 19 Jun. 1344; est inter meliora omnino collocandum.

7. *Codex Charleville* (n. 88) membranaceus saec. XIV, est accurate transcriptus ita ut semper fere concordet cum Codice Vaticano 3847 supra descripto. Variantes lectiones notabimus. In initio habetur : « Iste liber est domus Montis Dei, ord. Carthus. » In fine habentur novem Lectiones ad Matutinum « in festo beati thome de aquino ordinis fratrum predicatorum » recitandae.

8. *Codex Châlons-sur-Marne* membranaceus, saec. XIV. Est pulchre scriptus cum Initialibus coloratis 277 × 189 mm. In initio habetur : « Pro communi bibliotheca fratrum predicatorum Catalaunensium. Tab. 8, n. 15. (Cf. Catalogue Général des Bibliothèques Publiques de France. Départements vol. 3, p. 25.)

9. *Codex Monacensis* (Cod. lat. 27480) papyraceus saec. XV, continet vitam S. Thomae a Bernardo Guidonis conscriptam ; deinde Chronicam brevem de progressu etc. quae solet adjici huic Legendae; demum litteras Stephani, Parisiensis episcopi concedentis indulgentiam in honorem S. Thomae. Iste Codex, cum sit satis recens, non est tanti momenti quanti sunt Codices antiquiores.

10. *Codex Arras* N° 396 membranaceus saec. XV continet vitam S. Thomae « compilatam per episcopum Londonensem ».

A manu recentiore correctio facta est : « Lodovensem ». Iste Codex non videtur esse magni momenti. (Cf. Catalogue Général des Manuscrits des Bibliothèques Publiques de France (editio in 4°) vol. 4, p. 157.)

Non videtur dubium quin complures adhuc alii Codices manuscripti in diversis Europae bibliothecis inveniantur continentes vitam S. Thomae a Bernardo Guidonis conscriptam. Sic e. g. in bibliotheca Darmstadtensi n. 546 habetur codex papyraceus saec. XV, continens hanc vitam ; ex bibliotheca Alcobaza monasterii S. Bernardi (cfr. Haenel, Catalogi libr. manusc. p. 1023) translata sunt Lisbonam tria volumina in fol. in membrana saec. XIV scripta, quae dicuntur continere *omnia opera* Bernardi Guidonis. Tria ista volumina revera esse Lisbonae mihi scripsit director hujus bibliothecae. — Sed cum ipse Bernardus Guidonis certe propriis oculis viderit Codicem Vaticanum N° 3847, ut patet ex supra dictis, sufficit istum Codicem utpote referentem veram auctoris sententiam prelo mandare. Variantes lectiones, quae inveniuntur in aliis Codicibus manuscriptis non videntur esse tanti momenti historici.

PRÜMMER.

Incipit legenda sancti thome de aquino de ordine fratrum praedicatorum, de ortu, vita et obitu ac gestis ejus. Cujus festivitas celebratur Nonis Martii qua die transiit ex hoc mundo. Compilata per episcopum lodovensem. (Iste liber est domus Montis Dei ord. Carth.)

I. De illustri prosapia sancti thomae et ortu ac nomine ejus matri prenuntiatis.

Sanctus thomas de aquino ordinis praedicatorum doctor egregius, nobilibus ortus natalibus de domo ac illustri prosapia comitum aquinorum in confinibus campanie et regni sicilie duxit originem. Cujus pater landulphus nomine fuit, mater vero ejus tam morum quam progenitorum claritate conspicua de neapoli ducens originem theodora nuncupata est. Hujus pueri ortus et vite progressus antequam ex utero nasceretur fuit divinitus premonstratus. Erat enim vir quidam sanctus in campanie partibus re bonus et nomine, qui cum pluribus aliis heremitis anachoreticam vitam ducens in monte qui dicitur rocha sicca opinione celebris habebatur. Hic spiritu dei afflatus veniens ad matrem ejus in castro de rocha sicca dum adhuc eum gestaret in utero, ait illi : Gaude domina theodora quia tu paries filium et thomas vocabitur nomen ejus. Hic erit magnus in toto orbe, in scientia et in vita, eritque frater in religione ordinis predicatorum. Ad quem mater ait : Adimpleat dominus suum beneplacitum voluntatis. Que omnia sicut predicta fuerant per ordinem sunt completa. Natus est itaque puer nobilis, thomasque vocatus et sub nutricis diligentia enutritus.

II. De cartula salutationem angelicam continente quam sanctus thomas manu adhuc lactens infantulus apprehendit et tenuit.

Dum adhuc thomas esset lactens infantulus et more infantis pannis involveretur in cunis, contigit quadam vice dum causa balneandi ipsum nutrix solvisset, ipse infans extendens manum suam quamdam cartulam divino nutu repertam de

terra nullo sibi innuente suscepit, eamdemque in manu conclusit et strinxit. Cum autem nutrix ipsum vellet balneare et de manu ejus cartulam extrahere manumque aperire, cepit infans fortiter ejulare. Quando vero permittebatur cartulam tenere ipse tacebat, unde nutrix ei compatiens puerum clausam manum habentem cum cartula balneavit, abstersit et induit, volensque scire mater pueri quid dicta cartula continebat, tandem manum ejus aperuit quantumcumque ploraret. Et in cartula nihil aliud scriptum esse reperit, nisi salutationem angelicam : ave maria gratia plena et coetera. Conveniens enim fuit divine providentie, ut tali presagio premonstraretur in puero, quod futurum erat postmodum de magistro, ut presciretur quam salutarem doctrinam jam vir factus deberet effundere ; quem cartulam continentem nostre salutis exordium nonnisi divino ductum spiritu contigit invenire.

III. De bona indole pueri sancti Thome.

Completo autem etatis sue quinquennio, parentes ejus ipsum puerum deo offerunt et cum decenti comitatu tamquam alterum Samuelem ad Heli ad monasterium montis cassini ordinis sancti benedicti transmittunt informandum moribus, et litteris imbuendum. Hoc autem divino providente consilio agebatur, ne tam clarum luminare futurum ecclesie nutriretur in tenebris et tam preclarum vite speculum conversatio secularis aliqualiter inficeret cum mundanis. Ubi ad futuri profectus indicium puer in etate tam tenera et scibilium nescia, qua necdum se nosse poterat, miro modo deum adhuc nesciens preventus gratia scire volens querebat. De quo futurum erat ut dum deum maturius pre aliis quereret, clarius pre ceteris scriberet, quod de deo ipso donante studiosius inveniret. Puer itaque, quem spiritus divinus elegerat, aliorum puerorum nobilium qui ibidem nutriebantur puerilia devitans consortia, dissoluta colloquia penitus fugiebat. Sequestrabat se ab eis cum poterat, gerens in manu cartulam continentem pro erudiendis ex more puerili primaria rudimenta. Maturus erat puer in gestu ab omni puerili levitate quietus, in loquendo non garrulus, sed meditari jam incipiens intra

se taciturnus. Eratque moribus compositus et ut ostendere poterat etas illa tenera in oratione devotus.

IV. De profectu ejus mirabili in liberalibus disciplinis.

Quoniam autem, sicut ait scriptura, ex studiis suis cognoscitur puer, si recta et munda sunt opera ejus; cum abbas prefati monasterii quasi spiritu presago adverteret puerum tante indolis magnum aliquid esse futurum, persuasit parentibus ejus ut neapolim mitteretur ad studium liberalibus artibus imbuendus. Quod cum factum fuisset, ita profecit in studio supra coetaneos suos vivacitate ingenii ut omnes transcenderet et tam in repetendo altius audita et acutius intellecta, quam in conferendo ceterisque actibus scholastice discipline, scholaribus et magistris puer admirabilis videretur. Mirabantur enim omnes super prudentia et responsis ejus. In brevi itaque tempore cum in grammaticalibus et logicalibus ac in naturali philosophia plurimum profecisset, cepit agente Deo secum disponere, ut seculo renuntiaret omnimode et in ordine fratrum predicatorum talentum sibi creditum excellentis ingenii et intelligentie perspicacis domino redderet dupplicatum. Nam cuidam fratri ipsius ordinis admiranti de tanta prerogativa ingenii visum fuit, quod de vultu ejus splendentes radii procederent qui longe lateque diffusi intuentium oculis illucerent.

V. De ingressu ejus ad ordinem fratrum predicatorum.

Dum itaque pueri ingeniosi qui sortitus est animam bonam per omnium ora fama celebris volitaret, et in mente ejus sanctum propositum ad ingressum ordinis permaneret, contigit fratrem Johannem de sancto Juliano virum utique fama celebrem, eumdem adolescentem thomam spiritu dei instigante alloqui et ad introitum ordinis quem jam preconceperat, inducere ut sic Dei spiritus per ipsum, quod inceperat, adimpleret. Ordinem igitur predicatorum infra annos pubertatis existens, sicut in littera cannonizationis ejusdem tempus

describitur (1), ingreditur futurus lucerna super candelabrum ecclesie ad cujus lumen existentes in tenebris ambularent. Cui habitum ordinis contulit et induit vir per omnia laudabilis et devotus frater thomas agni de lentino (2) tunc prior neapolitanus, qui fuit postmodum archiepiscopus cusantinus et inde translatus factus fuit sancte civitatis jherusalem patriarcha. Admirantur super ingressu talis ac tanti juvenis cives, letantur fratres, et bonorum memoria digna mater ipsius auditis rumoribus consolatur memor promissionis sibi facte per virum dei, quam videbat in filio jam impleri. Gaudens itaque in domino pia mater cum decenti comitatu neapolim properat visura filium ut ipsum confortaret in incepto proposito permanere, iterato parere cupiens spiritu quem carne prius pepererat mundo. Audito autem adventu ejus cepit in fratrum cordibus suboriri quedam suspicio timorosa, ne mater ad filium carnali duceretur affectu atque femineo more aliquid circa juvenis exitum moliretur. Qua suspicione permoti fratres ipsum Romam usque deducunt ne in neapoli inveniretur a matre. De Roma vero ipsum transmittunt in Tusciam ut inde Parisius duceretur. Quem sollicita mater persequens de Neapoli usque Romam veniens ipsumque non inveniens, tanti laboris fructu ac visione filii privata, dolore cordis intrinsecus percellitur asserens quod filium ad hoc videre volebat, ut ipsum in proposito ordinis confortaret.

VI. Qualiter captus fuit in itinere et fratribus ordinis vi ablatus.

Audiens itaque hec mater turbata eo quod sibi de suo sic

(1) Ex hoc textu, quem habent omnes Codices, manifeste apparet, Bernardum Guidonis hanc legendam scripsisse post annum 1323 quando S. Thomae cannonizatio accidit. Ideoque falsa est contraria opinio ab Endres aliisque prolata, quam supra p. 9 jam refutavimus.

(2) Valde accurate et recte hic asserit Bernardus Guidonis adolescentem Thomam esse quidem inductum ad Ordinem Praedicatorum a Johanne de Sancto Juliano sed habitum Ordinis recepisse a Thoma, Agni de Lentino. Quare vix fundata est hypothesis quam primus enuntiavit cl. P. Mandonnet, adolescentem Thomam recepisse habitum religiosum a Magistro Generali Johanne Teutonico. « Il me paraît moralement certain que Jean le Teutonique a donné personnellement l'habit de l'ordre à Thomas d'Aquin. » (*Revue Thomiste*, année 1924, pag. 375.)

ordinato non credebatur affectu, directo nuntio ad alios filios suos imperialis curie aulicos in castro aque pendentis in tuscia intimat seriem rei geste. Precipitque eis sub obtentu materne benedictionis, ut iter illius preoccupent et videndum filium maternis oculis representent. Exponitur coram cesare Frederico maternum edictum a filiis et conceditur licentia ut perficiant quod jubentur. Mandatur executioni licentia illicita et veluti praedones insanientes insiliunt prostratas ad praedam. Invenitur (1) tandem juvenis cum quatuor fratribus predicatoribus comitibus itineris et conductoribus suis juxta quemdam fontem quieti deditus propter laborem itineris preteritum et instantem. Capitur, trahitur, non sicut a fratribus carnalibus, sed veluti sevis ab hostibus. Cumque jussus ab eis deponere habitum nullatenus acquiesceret, ipsum exuere per violentiam conati sunt, sed non prevaluerunt, ne puer qui totis conatibus resistebat, forsitan resistendo in corpore lederetur. Captum igitur ad matrem cum habitu ordinis sub fida custodia transmiserunt. Ad conspectum denuum filii mater exultat, sed animo femineo quippiam se passam ostendens inducere nititur filium ut deponat habitum ordinis preassumptum. Non cedit autem mens bene conscia verbis femineis, nec maternis blanditiis supra firmam petram solidatus ejus animus emollitur. Traditur ergo quasi agnus innocens custodie in castro montis sancti Johannis usque ad fratrum suorum carnalium proximo futurum adventum. Interim autem dum hec aguntur ad Innocentium pappam quartum tunc existentem in tuscia a fratribus, qui ejus comites in via fuerant et a quibus fuerat vi subtractus, pergitur et querimonia proponitur de predictis. Mandat ille imperatori, de violentis (2) debere fieri inquisitionem sollicitam et pro mensura excessus vindictam debitam exerceri. Quod cum imperator exquireret, provido consilio fratres ordinis destiterunt (3) ne forsitan suboriretur durius scandalum et periculum religiosis conscienciis immineret.

(1) Cod. Charleville, Advenit.
(2) Cod. Charleville, de violentiis.
(3) Cod. Charleville, destituerunt.

VII. De profectu ejus in carcere et de constancia mentis, qua vincens et invictus tyro christi accingi meruit ab angelis cingulo perpetue castitatis.

Cum itaque electus a deo juvenis servatur in custodia carceris lux divina in tenebris sibi illuxit in mente. Nam multa ibidem perlegit et didicit et memorie com̄endavit. Sorores quoque suas ibidem docuit et unam illarum que ipsum a suo sancto proposito subvertere nitebatur ita (1) cooperante deo perduxit ad amorem Dei et contemptum mundi, quod deo votum castitatis emisit, et sanctimonialium habitum devote suscepit et postmodum in monasterio sancte marie de capua ordinis sancti benedicti electa sanctimonialibus prefuit et in sancte religionis proposito vitam finivit (2). Interea devotus juvenis dum ut alter Joseph carcere clauditur per celi spatia contemplando mente discurrit. Et sicut dum legit cum ipso deus loquitur, ut dum orat ipse cum deo dulciter fabulatur. Non defuerunt autem incluso adversa diversorum molimina et si licet credere, nepharia temptamenta. Sed non dejicitur levibus flatibus arbor firmis innixa radicibus, quia quem spiritus dei stabiliverat nullatenus commovetur. Veniunt tandem ad locum carceris fratres ejus carne non spiritu et non jam ut prius blanditiis pulsant, sed injuriis et terroribus provocant et lacessunt. Ipse autem ut blandientes contempserat, ita despicit irritantes. Nam cum habitum ordinis quo induebatur laniassent in ejus corpore, ut sic pre verecundia dilaniatum dimitteret et alium indueret qui placeret, ipse patienter sustinuit injurias et semicinciis (3) que residue fuerant, involvitur in majori injuria per majorem patientiam victoriam assecutus. Et ne ullus obmitteretur contra justum temptationis insultus, inimici ejus facti domestici sui et fratres carne, hostes spiritu ad dyaboli arma fraudesque se convertunt et per femine speciem subvertere querunt animum innocentis. Numquid, inquiunt,

(1) Cod. Charleville : conspirante.

(2) Ista soror nomine Marotae fuit confirmata ut abbatissa hujus monasterii anno 1254 ab Innocentio IV. Cf. Berger, Registr. d'Innoc. IV, Vol. III, Docum. 7252 et 7387.

(3) Semicinciis; cfr. Du Cange, Glossar.

primo parente Adam caucior (1), sampsone fortior, loth justior, david devotior, salomone sapientior erit iste? Ingrediatur igitur puella lasciva et impudico vultu ac gestu et, si prevalet actu (2), turrim hanc dejiciat, que minarum, nostrarum injuriarum machinas et blanditiarum missilia non formidat. Occidamus animam pueri ut de societate ejus corporea gaudeamus. Expellamus ab ipso spiritum Dei quo regitur, ut ejus spiritus confundatur. Tales actus caro et sanguis excogitant, talibus insultibus carnales parentes et amici suos impetunt ut perimant. Ingreditur itaque cameram in qua solus sub tali tenebatur custodia puella pulcherrima, impudica, quasi serpens humana facie, ut juvenem illaqueet, si possit, dejiciat a proposito castitatis. Que nunc vipereo aspectu nunc verbis lascivis et tactibus querit allicere innocentem juvenem non credens se cum angelo, sed cum homine decertare. Ut autem virtus in infirmitate perficiatur, subsequuntur stimuli in juvenili corpore, quos tamen in adolescente mox tam senilis quam virilis animus non distulit superare. Tunc virtutem pudori ac furori bono adolescens immisit. Et quia de ignita libidine tractabatur, ad ignem qui fortuitu erat in camera mox accessit et ticionem pro pugione arripiens suggestricem (3) ignite libidinis puellam extra camere ambitum effugans exturbavit. Quo facto accedens in fervore spiritus ad angulum camere signum sancte crucis in pariete cum summitate ticionis expressit et ibidem sese in oratione prosternens cum lacrimis a deo dari sibi petiit perpetue continentie et virginitatis donum, ut qui jam in hoc actu illud expertus fuerat, deinceps conservaret penitus incorruptum. Qui dum hec orando cum lacrimis obdormisset, ecce dormienti subito affuerunt duo angeli dicentes ipsum fore a deo exauditum, qui eciam ipsum circa renes stringentes ut sibi videbatur usque ad dolorem sensibilem hec dixerunt : Ex parte dei te cingimus ut petisti cingulo castitatis, quod nullatenus de cetero dissolvetur. Visionem autem predictam cum excitatus esset et clamaret sacri tactus angelici sentito dolore revelare noluit quid haberet quibusdam a voce

(1) Cod. Charleville : saucior.
(2) Cod. Charleville : sit praevalens.
(3) Cod. Charleville : suggestus.

ejus commotis interrogantibus, sed usque ad finem vite sue servavit occultam. Quam tunc socio suo fratri raynaldo secretorum ejus conscio humiliter revelavit. Itaque ex tunc mulierum aspectus atque colloquia nisi necessitas vel utilis occasio coegisset, ita vitare solebat ut solet homo sibi a serpentibus precavere.

VIII. Qualiter biennio fuit custoditus et inclusus in carcere in quo probata emicuit virtus ejus.

Fuit autem ferme biennio in tali conclavi velut in carcere custoditus, quamvis sepe a fratre Iohanne de sancto juliano superius memorato, cujus ad eum fervebat affectio, visitaretur sollicite in eodem, qui eciam de vestibus ordinis prout poterat, providebat, secrete tunicas sibi deferens indutas quas ibidem se expolians dimittebat ne juvenis defectum pateretur in corpore, qui tanta virtute roborabatur in mente. O felix clausura carceris, in qua tantus intelligentie splendor illuxit. O salutares compedes qui tot contulerunt contemplanti celestia libertates. O felix ex victoria fortis in pugna temptatio quam cum hostis concludere conabatur ad casum, surrexit divina coassistentia in triumphum. O expressa matura indicia meritorum sanctitatis et vite, ut ex utraque parte vite sensibilis impugnatus pugil invictus hinc blanditiis et deliciis, inde injuriis nec emolliri potuit nec allidi. O virilis pugil et invictus tyro, qui antiquo et familiari hoste devicto, de tam difficili pugna reportavit victoriam et predam. Dum victor ipse in pugna perstitit et germanam de mundo erutam dei servitio dedicavit. O felix viator et hospes seculi qui factus est ex victoria, civis celi, qui suos videre meruit divina dispensatione concives, cui angelica societas cum castitate cingitur non negatur, qui meruit fieri puritate angelicus, dum pugnavit pro sua virginitate terrenus. Tandem provida mater videns quod impleri deberet in filio, quod per sanctum heremitam sibi pronuntiatum fuerat, spiritu revelante divino, ne videretur non tam juvenis constantiam quam dei providentiam impugnare, dissimulata per eam prudenter custodia, subtractisque caute custodibus, per fenestram de castro cum fune deponitur et ab expectantibus

ibidem fratribus predicatoribus ad hoc preparatis gaudenter suscipitur, susceptumque cum letitia neapolim perduxerunt. Quem fratres receperunt sic instructum de carcere, quasi diu mansisset in studio scholastice discipline.

IX. De profectu ejus in scientia sub magistro alberto, et qualiter innotuit, qui diu fuerat taciturnus.

Restitutus itaque ordini solo corpore, quia spiritu non fuerat unquam absens, de neapoli romam mittitur. Quem inde venerabilis pater frater Johannes theutonicus magister ordinis et episcopus duxit parisius. Deinde mittitur in coloniam ubi sub Domino fratre alberto theutonico ordinis predicatorum magno doctore tam in philosophicis quam in divinis florebat studium generale (1). Quo cum pervenisset et audisset magistrum in omni scientia profunda et miranda docentem, gravisus est se invenisse quod quereret, a quo haurire posset avidus quod sitiret. Cepitque non segniter studio intendere. Velut apis argumentosa spiritualia mella colligens et recondens in alveario mentis sue, ut suo tempore mellita effunderet eloquia doctrinarum. Quia vero oportet in silentio cum mansuetudine percipere disciplinam, tantam taciturnitatem servavit in omnibus, ut bos mutus a ceteris constudentibus diceretur. Vere bos in agro divino tunc primitus pascebatur, cujus manifesta fortitudo postea apparet in spiritualium segetum ubertate. Est enim modus hic congruentissimus scientie acquirende ne aliquis antequam audierit et didicerit, audeat disputare. Demum cum tempus sibi loquendi advenit qualis lateret interius, qui modeste tacuerat audientibus innotuit ex loquela. Cum enim memoratus doctor dominus albertus libros sancti dyonisii de divinis nominibus tunc legeret, predictus juvenis attentius cepit lectiones audire. Cui cum studens ignorans quanta in eo lateret intelligentia ad repetendum sibi lectionem magistri se voluntarium obtulisset, ipse sicut vere humillimus erat, gratanter acceptavit. Cum vero studens cepisset repetere et interdum deficeret repetendo, tunc frater thomas post tantum silen-

(1) Studium quidem jam florebat in Conventu Coloniensi anno 1245, sed studium generale proprie dictum non exsistebat nisi ab anno 1248.

tium lectionem sicut a magistro audiverat, luculenter repetiit et nonnulla que magister non dixerat repetendo supplevit. De quo admirans predictus studens, magistro studentium ait : Iste thomas de regno magnus est in scientia, nam hodie tam sufficienter mihi repetiit lectionem, quod ex ore ejus melius intellexi, quam cum eam ex magistri ore suscepi. Quod cum ille audisset volens cercius experiri, in crastinum repetitionis hora et loco in quo frater thomas repetebat secretius supervenit ipsumque attentius audiens repetentem mirabiliter et diserte admiratus est ejus sufficientiam ampliorem quam a studente audivisset, eamque magistro alberto quantocius studuit indicare.

X. Qualiter in prima ejus responsione scolastica cepit mirabilis apparere.

Contigit etiam et illis diebus predictum magistrum albertum disputare et determinare quamdam difficilem questionem. Quam attente frater thomas recolligens et in scriptis redigens in quadam cedula reposuit, cumque de cella studii surgeret festinanter, predicta cedula cecidit ad ostium celle ejus. Quam quidem studens inde transiens recollegit eamque videndam detulit ad magistrum. Quam magister sibi ostensam intelligens et admirans pium furtum discipuli studiosi advertit in eo tam diuturnum ejus silentium cum tanta puritate conversationis et vite alicujus magne et occulte gratie privilegio non carere. Mandavit itaque magistro studentium quod eidem committeret ut in prima disputatione in scolis de quadam questione satis difficili responderet. Quam cum ex humilitate accipere recusaret, oportuit tamen humiliter obedire. Unde ad secretum orationis se conferens et primum actum suum scolasticum deo humiliter recommendans ad respondendum in scolis in crastinum se paravit. Cumque repetitis argumentis premisisset pro solutione questionis quamdam distinctionem, per quam tam ipsam questionem quam argumenta sufficienter dissolvebat, magister albertus ait : Thoma tu non videris tenere locum respondentis, sed potius determinantis. Cumque magister amplius et fortius contra eum arguisset ita ut eidem

se crederet conclusisse, sic sufficienter respondit ad singula, quod magister dixisse fertur : Nos vocamus istum bovem mutum, sed ipse adhuc talem dabit in doctrina mugitum, quod in toto orbe sonabit. Juvenis autem in profundo humilitatis cor suum fundaverat, ex his non elatus solite simplicitatis ac vivendi modum minime immutavit, quamvis magister albertus deinceps difficiliores actus scolasticos sibi injungeret. Quem sufficientiorem pre ceteris inveniret, itaque in responsionibus ceterisque actibus scolasticis tam magistro quam studentibus admirandus apparuit. Quia liquido patuit quod spiritu dei erat plenus. Et quamquam supra ceteros tam scientia quam ingenio polleret, nullum tamen vel leviter contempsit' vel fastuose ulli respondit, vel se supra se elevans se magnum aliquid reputavit.

XI. Qualiter factus bachallarius in theologia mox cepit in doctrina mirabilis apparere auditoribus.

Peracto itaque tempore studii quo in audiendo magistrum attentius insudavit, ad prefati doctoris persuasionem et testimonium, qui discipuli sui sufficientiam et excellentiam probaverat in scientia et in vita, magister ordinis de ipso sancto thoma providit parisiensi studio pro bachallarii officio exequendo scribens ei ut parisius se conferret, et ad legendum sententias se pararet. Qui cum humillimus esset de se ipso semper humilia sentiens libenter ex humilitate voluisset officium subterfugere, nisi ipsum obedientie meritum compulisset. Factus itaque bachallarius cum cepisset legendo diffundere, que tacendo prius collegerat habunde, tantam sibi deus in labiis suis effudit gratiam in doctrina, ut scolares in stuporem adduceret et ad studium animaret. Erat enim in legendo novos articulos adinveniens novumque modum determinandi inveniens et novas producens in determinationibus rationes, ut nemo audiens ipsum dubitaret quin ipsum deus novi luminis radiis illustrasset. Ibi itaque claruit splendor divinus in ejus animo occultatus et mirati sunt universi de hiis, que gloriose et limpide proferebat.

XII. Qualiter factus est magister in theologia et de visione quam habuit, in qua eidem fuit thema quod proponeret revelatum.

Expleto igitur cursu bachallarii in legendo sententias Parisius gratiose, tempus advenit quo erat magisterium in theologia, nomen et rem, magistralemque cathedram accepturus, ut ejus doctrina tanquam lucerna supra candelabrum exaltata omnibus qui sunt in domo domini circumquaque diffusa eminencius refulgeret. Mandat itaque cancellarius parisiensis priori fratrum predicatorum, ut fratrem thomam bachallarium pro suscipiendo magisterio representet. Prior igitur eidem fratri thome precipit, ut ad suscipiendum magisterium se preparet et disponat. Qui ut vere humilis cepit se humiliter excusare pretendens insufficientiam scientie et etatis. Erat enim tunc etatis incipiens quasi annorum triginta. Sed prevaluit virtus obedientie et humilitatis, dum non refragatur mandato, ex utraque meritum acquiritur copiosum. Accepto itaque edicto ad solite orationis concurrit refugium, et ejus qui docet hominem scientiam prius cepit precibus auxilium implorare. Cum itaque in spiritu veritatis incepisset psalmum illum : Salvum me fac deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminute sunt veritates a filiis hominum, totusque perfusus lacrimis orabat ut sibi deus assistere dignaretur inspirando scientiam divinorum, que sic erat ab humanis intellectibus diminuta et eidem anxio quid pro suo principio proponeret, revelaret. Quo sic orante cum protinus obdormisset, apparuit sibi frater quidam in habitu ordinis fratrum predicatorum canitie venerandus dicens ei : Cur frater thoma deum cum lacrimis oras? Cui respondit : Impositum est michi subire onus magisterii, ad quod cum me non sentiam plene sufficere, ignoro quid accipiam pro meo themate in principio ut est moris. Cui senex ait : Exaudivit te deus, nec formides onus magisterii suscipere, quia tecum est deus et hoc ipse propones : Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra. Quo dicto senex ille disparuit. Expergefactus vero gratias deo reddidit, qui eum tam celeriter exaudivit. Et thema sibi revelatum principium suum fecit et medium ejus et finem ultimum adimplevit. De divinis enim et superioribus sibi

factis (1) immissionibus, montes scilicet futurorum doctorum ingenia irrigavit. De fructibus vero operum suorum terre plenitudinem fecundavit. Neque enim ullus inhesit scripture ejus operibus devotus, qui non fuerit scientia et sapientia et sapientie fructibus satiatus. Per ejus siquidem doctrinam doctus quilibet quasi celesti irrigatus imbre doctior redditur et minus doctus quasi celi pabulo saciatur.

XIII. De excellentia scientie et doctrine sancti thome.

Doctrina siquidem sancti thome quem totus pene oriens et occidens amplectitur et miratur, quasi lux splendens procedit et crescit, usque ad perfectum diem. Quos enim studiosos non docuit, quos protervos non corripuit, quos devios non direxit? Sic enim divina docuit ut humana decentissime quantum fuit expediens ad salutem hominum pertractaret. Supervacuum est autem recensendo errores describere quos idem veritatis doctor scripturarum suarum tanquam falce acutissima valuit extirpare. Sic contra gentilium errorem et stultitiam in archu et gladio doctrine sue prevaluit, quod in simili conflictu sibi hactenus modernis temporibus similis nullus fuit, sicut liber ejusdem qui summa (2) contra gentiles pretitulatur, evidentius manifestat. Sic obscura et abscondita scripturarum et misteriorum archana aperuit ut sibi illud conveniat : Profunda fluviorum scrutatus est et abscondita produxit in lucem. Hic enim doctor est quasi campum seu agrum secularium scientiarum ingrediens, flosculos excerpisse de sentibus et plenam manum habere de apostolicis cophinis fragmentorum sacre scripture, que deus mandavit apostolis ne perirent colligere et quasi futuris doctoribus reponenda servare. Hic enim de sanctorum doctorum libris quasi horreis plenis frumento de utriusque testamenti excusso segetibus utiliora collegit in libris suis, quorum numerus et nomina inferius in fine omnium congruentius conscribuntur. Hic igitur quasi alter moyses merito et congrue dici potest, qui de aquis mundane

(1) Cod. Charleville : missionibus.
(2) Cod. Charleville : contra gentiles pretitulatus.

vanitatis et proprie nativitatis eductus quia de aquinorum illustri prosapia genitus miro modo quasi per pharaonis filiam matri ecclesie cui tollitur, redditur et uberibus ecclesiastice discipline lacte divine sapientie enutritur. Hic est moyses cui deus dum mentaliter loquitur ad fratres suos mittitur et non sine signis et mirandis prodigiis ductor populi delegatur. Hic est moyses qui duplici columpna nubis et ignis fideles de egypti tenebris duplicis scientie luce doctus eduxit. In columpna siquidem nubea que de terra oritur, intelligitur scientia secularium scripturarum humanis sensibus ex sensibilibus acquisitam. In columpna vero ignis lex illa ignea designatur quam ex dextera sedentis supra thronum domino sibi inspirante suscepit. Hic est moyses qui de petra difficilis intelligentie scripturarum fluenta divine sapientie dum oravit, humiliter obtinuit habundanter. Hic est moyses qui montem divine speculationis ascendens non sine stilo divini digiti scribentis in ejus animo sub duarum tabularum similitudinem scientiam duorum testamentorum de (1) summa divinorum speculatione portavit. Hic quoque ut alter Salomon disputavit a cedro que est in libano usque ad ysopum qui de pariete oritur, dum a dei filio qui est dei splendor et candor a deo patre genitus usque ad eumdem de gloriosa virgine matre natum cum corpore nostre humanitatis sicut studium inspirate veritatis incepit, sic scribendi et vivendi terminum felici morte finivit. Hic est ut alter ille thomas non didimus (2) nec dubius sed certus in scientia divinorum, qui dictus est abissus propter profunditatem ingenii, qua (3) ad abissum Xristi latus invitatus ingreditur et ad secreta scrutanda divinorum admissus tam certa notitia sibi inspirata scripsit in libris quasi manu ipsam contingeret que intelligentie digito indicaret.

XIV. De efficacia verborum ejus in exortando ad fidem judaeos duos.

Non solum autem in scriptis suis doctor sanctus fuit admi-

(1) Cod. Charleville : firma.
(2) Cod. Charleville : omittit : nec.
(3) Cod. Charleville : ad ipsum.

rabilis, sed etiam vivis sermonibus ejus dum viveret resistere nemo prevaluit. Dederat enim sibi veritas os et sapientiam cui nullus adversarius resistere potuit, nisi quis veritatem contempnens ut rabidus proterviret, aut ut cecus in tenebris ambularet. Cum enim semel in castromolarie domini richardi cardinalis prope urbem, festum nativitatis domini cum eodem cardinali celebraturus adesset et advenissent illic sicut omni anno consueverant in tanto festo duo judei predivites et in lege mosaica multum docti, de voluntate ipsius domini cardinalis sanctus thomas ad commune cum illis convenit colloquium. Diu itaque ac diversis rationibus cum illis disputans ejusdem domini salvatoris ex scripturis sanctis probavit et conclusit adventum. Quo facto terminum respondendi sibi assignavit in crastinum ut diligenter secum (1) discuterent, ut vel sic crederent vel rationibus responderent. Pro ipsorum tamen conversione ipse orare non distulit, ut eos Xristus in sue nativitatis festo converteret qui pro peccatoribus natus esset. Mane igitur in eorum cordibus jam vere lucis exorto sydere illi judei ad locum preordinatum conveniunt et relicto judayco vetustatis errore acceptoque baptismo Xristum dominum induerunt.

XV. De devotione ejus in oratione ac de collectione mentis jugiter ad divina.

Fuit autem supra modum devotus in oratione qua sic liber in deum elevatione mentis ascenderet quasi nullum pondus carnis contrarium sustineret. Erat autem precipue devotus ad sacramentum altaris, de quo quia concessum ei fuerat profondius scribere, donatum est sibi devotius celebrare. Cottidie namque missam unam ipse devote dicebat, nisi eum infirmitas impedisset, et aliam audiebat socii vel alterius, cui ipse humiliter ut frequentius ministrabat. Fertur etiam quod in elevatione corporis Xristi cum magna devotione solitus erat dicere : Tu rex glorie Xriste, Tu patris sempiternus es filius et cetera usque ad finem. Consueverat autem sepius rapi in missa tanto devotionis affectu ut totus profunderet lacrimis

(1) Cod. Charleville : disputarent.

qui tanti sacramenti absorbebatur misteriis et reficiebatur ex donis. Erat eciam nocturno tempore humane deputato quieti post brevem sompnum in oratione prostratus ut orando mereretur addiscere que oportuisset scribere vel dictare. Sic itaque post illud tempus modicum quod sompno vel refectioni pro valetudine corporis indulsisset, reliquum orationi lectioni meditationi vel scribendis aut dictandis voluminibus occupabat, ut nullum vite sue tempus esset vacuum quod non esset sacris actionibus occupatum. Si autem interdum pro fratrum vel aliarum venerabilium personarum consolatione cogeretur intermisso studio in locutorio consedere, a profectu tamen virtutis et studii etiam illa hora modica non vacabat. Nam expeditis hiis, quibus oportuit, propositis respondere aliquid hystoriale aut morale proponendo ad edificationem breviter disserebat. Reliquum autem si superfuisset tempus priusquam ad cameram studii sui completa locutione redisset, surgens a loco cum quibuscunque consedisset quasi non advertens quid ageret, mox divinis intentus in suis consuetis devotis meditationibus expendebat, sic iterum ad orandum paratus quasi non dimisisset internum oraculum, cujus nulla occupatio aut distractio externa immutabat affectum, quia nec in aliis delectabatur affectio, nisi illis meditationibus aut revelationibus quas impetrasset orando. Quotiens autem studere, disputare, legere, scribere, vel dictare voluit, prius ad orationis secretum accedens perfusus lacrimis orabat, petens sibi revelari divinitus quo quereret, et habere in promptu quod dictaret. Cum autem sibi aliquid dubium occurrisset, ad orationem accedens et inde surgens inveniebat apertum quod prius erat occultum, sic in promptu habens quod dictaret aut scriberet quasi in libro aliquo didicisset. Nam ut socio suo fratri raynaldo secrete revelavit et secretum quamdiu vixit servari voluit, scientiam suam non tam humano naturali ingenio et studio, quam orationis suffragio et virtute divinitus impetravit. Quod ipse socius post ejus obitum publice in scolis legendo et alibi pluribus enarravit. Unde quia interdum contingit, quod dum intellectus superius subtilia speculatur, affectus inferius a devotione remittitur, ideo idem doctor sepius cum sibi vacabat, lectionem unam de libro qui collationes patrum inscribitur percur-

rebat. De quo interrogatus cur hoc faceret, respondit : Ego in hac lectione devotionem mentis colligo ex qua facilius in speculationem consurgo, ut sic affectus habeat, unde se in devotione diffundat et intellectus ex hujus merito ad altiora conscendat. In hoc beati patris sui dominici imitatus exemplum, de quo scribitur in gestis ejus, quod in predicto libro legens frequentius magnum perfectionis apicem apprehendit.

XVI. De efficacia orationis ejus ad impetrandum quod petebat a deo.

Erat igitur tanta sibi collata gratia et efficacia in orando, ut quecunque postulasset a deo fiducialiter obtineret. Aliquando quidem obscura sancto doctori oranti elucebant (1), divinitus, aliquando prius ignota patefieri sibi mox ut orasset dominum senciebat. Cum enim parisius super epistolas pauli scriberet et quidpiam sibi obscurius occurrisset, emissis scriptoribus, in oratione prosternitur et cum lacrimis devotus oravit et obtinuit et sibi lucide patuit, quod obscurum antea fuit. Idem quoque sanctus doctor cum super ysaiam scriberet, prophetie ejus misteria exponendo, pervenit ad quendam libri textum sibi difficilem. Quem cum non posset intelligere, nec profonditatem sensus scripture prophetice penetrare, multis diebus in orationibus et jejuniis se afflixit, tandemque orando obtinuit quod petebat. Quadam enim nocte cum orationi insisteret socius ejus audivit eum cum aliquibus conferentem, licet non perciperet de qua materia vel cum quibus colloquium tam secretum haberet. Cumque loqui destitisset, socium proprio vocans nomine ait : fili raynalde surge et accende lumen et accipe quaternum, in quo scripsisti super ysaiam et iterum scribe. Qui surgens scribere cepit, quod doctor quasi in libro legens scribenda dictaret. Et post horam dixit eidem : Vade ad quiescendum fili, quia adhuc non modicum tempus superest ad quietem. Tunc ille pedibus ejus advolvitur suppliciter et cum lacrimis petens et dicens : Ego de hoc loco non surgam, nisi dixeritis michi, cum quibus fuistis locuti diutius

(1) Cod. Charleville : dicebantur.

ista nocte. Et super hoc cepit eum obnixe per nomen Domini adjurare. Quod cum ille pandere nollet, sed diceret non id opus esse sibi nosse, ille e contrario instantius adjurando perdurans eadem exorabat. Tandem pius doctor ne nomen domini, per quod fuerat adjuratus, contempnere videretur, prorumpens in lacrimas ait : fili vidisti afflictionem meam hiis diebus super littera textus hujus quem modo exposui et tu scripsisti, quam a domino orans intelligere impetravi, qui hac nocte misit ad me beatos apostolos petrum et paulum, quos ad hoc impetrandum intercessores rogaveram apud deum. Cum quibus modo locutus sum, qui me plenissime de hoc quod oraveram instruxerunt. Ex parte autem dei precipio, ne alicui dum vixero reveles, quod tibi dixi et pro quo me fortiter adjurasti. O stupendum divine dispensationis misterium ut deus scripture sacre secretum ad tempus abscondit, quod alio tempore revelat, ut sciatur quantum intellectus humanus a divinis deficit, qui per se ad divina misteria non pertingit et ab illo petatur intelligentia secretorum, qui ea mentibus prophetarum et apostolorum voluit revelare. O felix anima cujus devotionis oraculum divine pietatis inclinavit auditum, ut sciat homo pacienter ferre dubitando dum divina non capit que appetit et confidat orando impetrare quod petit. O felix doctor cui divine scripture celi clavicularius aperuit ostium et ascensor celi paulus doctor ille mirabilis docuit in veritate secretum. O felix doctor hospes mundi et civis celi, qui cum celestibus civibus loquitur, dum adhuc peregrinatur in corpore. O certe vera et digna fide doctoris hujus comprobata doctrina, que divina revelatione suscipitur et a celestibus doctoribus edocetur.

XVII. Qualiter orando obtinuit dentem superfluum qui in ore ejus supercreverat absque periculo amoveri.

Cum autem semel deberet parisius determinare questionem unam, quam prius disputaverat, dum in nocte precedenti orationibus incumberet, sensit in ore suo supercrevisse dentem unum superfluum, qui supereminens ejus loquele officium non modicum impediret. Super quo admiratus fratri Raynaldo

socio suo retulit et loquele impedimentum exponit. Suadet socius ut mane mandetur per scolas, quod magistro supervenerat impedimentum legitimum, quod a determinatione questionis eum totaliter excusabat. Putabat enim ejus socius ad evulsionem dentis fore necessarium ferreum instrumentum. Super quo doctor attente considerans universitatis scandalum, et quod imminere poterat ex dentis evulsione periculum ait : Nullum aliud remedium video nisi quod divine providentie me comitto. Ad adorationis itaque locum pergit et dum orat diucius devote cum lacrimis dens ille subortus levissimo manus contractu absque omni dolore decidit et loquele libere fuit officium subsecutum. Hunc dentem ad memoriam prestiti beneficii multo tempore secum tulit.

XVIII. Qualiter ejus oratio fratri Raynaldo socio suo infirmanti extitit in salutem.

Nec solum sue orationis expertus est ipse fructum sed pro aliis impetraturus orans extitit exauditus. Socium enim suum fratrem raynaldum laborantem febre continua visitationis gracia adiit et cum piis verbis consolans ad pacienciam doctor pius induxit. Cui cum diceret consequenter, quod ad beatam Agnetem, ad quam ipse devotus specialiter erat, devotionem conciperet et ipsa cum sua prece sanaret, reliquias dicte virginis et martiris, quas ipse agnus et virgo pro devotione in illo suspensas secum portabat, accepit et orando super pectus egrotantis imposuit. Moxque meritis sancte virginis et sancti hujus doctoris infirmus sanus effectus de lecto surrexit.

XIX. Qualiter sibi oranti frater romanus post mortem apparuit et de hiis que sibi revelavit.

Hic vir sanctus veridicus doctor et devotus orator, dum semel in ecclesia fratrum de neapoli in oratione persisteret, visibiliter sibi apparuit frater romanus doctor in theologia de ordine predicatorum, quem parisius legentem reliquerat successorem. Qui de proximo obierat, sed ejus obitus nondum sancto thome fueral nuntiatus. Quem cum subito prope se

nocte in ecclesia cerneret, ait : Bene veneritis. Quando venistis ; et ille subjunxit : Ego ex hac vita transivi, sed michi concessum est tibi pro tuo merito apparere. At ipse qui fuerat ex tali visione attonitus se recolligens ait : Ex quo deo permittente michi appares, te ex parte ejus adjuro, ut michi respondeas ad quesita : Quero quid est de me et si deo placent opera mea. Respondit ille : Permane in eo statu in quo es, qui bonus est, et deo placent opera tua. Et frater Thomas subjunxit : Quid est de te ? Et ille respondit : Ego sum in vita eterna. Fui autem in purgatorio per dies quindecim propter negligentiam, quam comisi circa expeditionem cujusdam testamenti, quam michi comiserat episcopus parisiensis quamtotius exequendam, quam expedire tardavi. Et iterum frater Thomas adjecit : Quid est de veritate questionis illius, quam sepe sumus soliti disputare : Utrum habitus scientie in hac vita acquisiti remaneant in anima post hanc vitam ? Et ille respondit : Ego deum video nec de hoc amplius requiratis. Et sanctus thomas adjunxit : Videsne deum sine medio ; an aliqua specie mediante ? Et ille respondit : Sicut audivimus, sic vidimus in civitate domini virtutum ; moxque disparuit. Remansit autem doctor ex tam nova visione secum mirans mente attonitus, sed de tam placida responsione plurimum confortatus et consolatus.

XX. Qualiter sibi oranti soror ejus defuncta bis apparuit et hiis que sibi revelavit.

Quodam quoque tempore ipsi sancto doctore parisius existenti et oranti soror sua defuncta apparuit et se in purgatorio esse commemorans missarum et orationum suffragia postulavit. Quas idem doctor per fratres celebrari et orari pro anima ejus instanter et sollicite procuravit. Post aliquot autem temporis spatium interjectum eidem doctori rome existenti et oranti eadem soror sua apparuit et quod jam esset in gloria liberata propter suscepta suffragia revelavit. De duobus quoque fratribus carnalibus suis defunctis querenti ipsa respondit, quod dominus landulphus erat in purgatorio, dominus vero raynaldus jam vero erat in gloria coram deo, de seipso autem querenti illa respondit : Tu frater in bono quidem statu es,

cito venies ad nos, sed major tibi gloria quam nobis parata est, quem constat tam strenue pro dei ecclesia laborare.

XXI. De visione alia quam habuit de predicto fratre suo raynaldo.

Alia quoque vice eidem sancto doctori oranti et statum fratris sui predicti domini raynaldi scire desideranti apparuit quidem habens librum in manu apertum, qui scriptus erat litteris aureis et asurinis per modum letanie, in quo nomen fratris sui invenit inter litteras aureas, que erant martirum, quod mors ei illata sub tirannide frederici imperatoris fuit eidem ad martirium reputata propter causam ecclesie, quam defendit et pacienciam quam habuit in tormento (1).

XXII. Qualiter de tribus, que a Deo specialiter peciit in oracione, extitit exauditus.

In oratione sua sola illa que deo placita esse credidit, ipse quesivit, ideoque semper a domino obtinuit quod petivit. Unde in fine suo fratri Raynaldo, socio suo de morte sua imminente irremediabiliter lacrimanti, inter cetera sic ait : Consolare fili raynalde quia ego morior in omnibus consolatus. Totum enim quod a deo petivi, obtinui. Triplex autem donum a domino postulavi : Primum quod nullius rei temporalis aut carnalis affectio puritatem mentis mee inficeret, vel fortitudinem emolliret. Secundo quod deus non permitteret, ut a statu humilitatis mee et ordinis alicujus prelationis dignitas me extolleret aut trasferret. Tertio ut scirem statum anime fratris mei domini raynaldi qui pro defensione ecclesie de hac vita tam dura et crudeli morte transivit. De quibus omnibus sicut per revelacionem divinitus michi factam innotuit deus me misericorditer exaudivit. Felix igitur anima que sic meruit exaudiri ut eam nullius rei temporalis onus deprimeret nec affectio carnis dissolveret, aut honoris cujusquam ambicio supra se elevaret et status anime fratris sui fieret ipse conscius quod eterna beatitudine potiretur.

(1) Probabiliter iste Raynaldus occisus est a Frederico II, anno 1248 post detectam conjurationem de Capaccio.

XXIII. Qualiter sanctus thomas in orando visus est a terra sepius elevatus.

Erat autem sanctus thomas ita in orando attentus ut non solum spiritu sed et corpore a terra aliquando et a pluribus visus fuerit elevatus similis illi qui dixit : Elevavit me spiritus inter celum et terram. Nam cum semel in conventu fratrum de salerno existens post matutinas ante majus altare oraret, fratres duo scilicet predictus socius raynaldus et alius nomine jacob, qui ipsum devotionis causa et exempli gratia sedulo sepius observabant, viderunt eum quasi duobus cubitis a terra in aere elevatum. Quo enim tendebat mentis ejus intentio, illuc eciam corpus ut poterat spiritus sublevabat. Dignum namque erat ut animan illam, quam nulla violaverat carnis affectio, corpus miraculose sequeretur obediens et hoc deus visibiliter revelaret miraculo, quod misericorditer concessiset ex dono.

Item de eodem.

Simile in conventu neapolitano vidit frater dominicus de caserta conversus vir senex vite sancte ac conscientie timorate. Cum enim esset sacrista predicti conventus advertens quod predictus doctor ante matutinas de camera sua secrete sepius descenderet in ecclesiam ut oraret semel observans eumdem curiosius vidit in capella sancti nicholai ipsum in oratione positum quasi duobus a terra cubitis in aere elevatum. Super quo frater ille diu admirans subito audivit ab ymagine crucifixi ad quam conversus sanctus doctor orabat, prolatam clarius istam vocem : Bene scripsisti de me thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem. Scribebat enim tunc temporis terciam et ultimam partem summe theologie, ubi de incarnatione, nativitate ac passione et resurrectione Xristi tractabat. Et respondit thomas : Domine non aliam mercedem recipiam, nisi teipsum. Quia enim a domino de mercede facta fuit questio, dabatur intelligi de propinquo labori suo fore terminum imponendum. Nam revera post ea pauca scripsit. Congruam itaque petivit pro remuneratione mercedem, ut haberet quo pleno gustu reficeretur in patria, de quo vivendo tanta dulcedine dulcorabatur in via.

XXIV. Qualiter eidem oranti ut sibi revelaretur a deo veritas dubie questionis, Xristus visibiliter apparuit et ipse doctor orans visus est a terra in aere elevatus.

Quanti meriti fuit sancti hujus doctoris oratio in qua et archana discere et intelligere meruit, et que peteret, impetravit! Cum enim parisius inter doctores circa sacramentum dominici corporis ventilaretur questio admodum scrupulosa de dimensionibus et accidentibus, qualiter existerent sine subjecto in ipso mirabili sacramento et circa hoc diversa et sibi discordantia magistri dicerent et sentirent, in hoc fertur omnium concordasse sententia, ut quidquid frater thomas doctor decérneret et definitive proferret, hoc communis scola inconcusse teneret. Experti namque fuerant in aliis de eodem quod ipse subtilius in omni questione veritatem attingeret, ut eam clarius edoceret. Defertur itaque questio in scriptis ad ipsum cum rationibus et argumentationibus singulorum. Devotus vero doctor arduam questionis hujus intelligentiam judicans more solito ut alter moyses putavit eam esse querendam a domino et oratione premissa scripsit quod sibi divinus spiritus revelavit. Quo facto iterum cum quaterno ad altare oraturus accessit et super altare coram Xristo tamquam summo magistro quaterno deposito sic devote orans elevatis ad crucifixum manibus obtulit thymiama dicens : Domine Jesu Xriste qui in hoc sacramento mirabili veraciter contineris ut res et veritas et mirabiliter operaris ut omnium artifex et dei sapientia. In quo te quero, intelligere et veraciter edocere, queso te suppliciter, ut si ea que de te scripsi, vera sunt, concedas michi illa docere et apperte disserere. Sin autem aliquid scripsi tue fidei non consonum et ab hujus sacramenti veritate alienum, impedias ne proponam, que sunt fidei inconvenientia huic mirabili sacramento. Mira res! mox ibidem Xristus visibiliter apparens a socio doctoris et aliquibus aliis fratribus observantibus super quaternum stans in altari conspicitur taliter alloquens sanctum suum : Bene de hoc corporis mei sacramento thoma scripsisti et bene determinasti tibi propositam questionem, sicut ab homine in hac vita degente potest intelligi et humanitus definiri. Quo diucius in oratione per-

sistente visus est predictus doctor quasi per unum cubitum a terra in aere elevatus. Ad quod prodigium intuendum prior, conventus et plures alii fratres convocati venientes corporalibus oculis aspexerunt et aliis absentibus retulerunt ad dei gloriam et sancti doctoris testimonium veritatis. Igitur sanctus doctor certus effectus de veritate proposite questionis tam luculenter eam coram universitate disseruit (1) quam evidenter per eum qui est veritas edoctus fuit.

XXV. Qualiter ipse orans vel meditans sepius visus est quasi in extasi positus mente raptus.

In extasi sepius orans vel meditans raptus apparuit et multa, que aliquando referre noluit etiam rogatus (2) a multis, aspexit. Nonnumquam vero quedam retulit, de quibus audiencium animos sepe refecit. Erat autem mirabile videre hominem utentem sensibus et cum sensibilibus conversari subito rapi et mente abstrahi et quasi ab hominibus separari et ad celestia elevari quasi non esset ubi corporaliter resideret, sed ubi mentaliter inhereret. Unde fertur quod semel fuit invitatus ab illustri rege francie ludovico sancto ad convivium mense sue. Qui cum se humiliter excusaret propter opus studii et scripture, cui intentus erat, prior tamen parisiensis ipsum ex parte regis venire coegit. Recedensque de studio suo cum ymaginacione quam studendo conceperat contra heresim manichei, quam tunc temporis impugnabat, sedensque in mensa regis juxta eum, subito veritate sibi divinitus inspirata super mensam manu percutiens dixit : Modo conclusum est contra heresim manichei, vocansque socium suum ex nomine ait : Surge, scribe, quasi esset in sua camera seu in studio celle sue. Prior autem tetigit eum manu dicens : Advertatis magister quod nunc estis in mensa regis francie, non in cella. Qui ad se rediens et advertens ubi erat, erubuit et inclinando se humiliter ad regem ait : Parcatis mihi domine mi rex, quia credebam esse in studio, ubi contra predictam heresim inceperam cogitare. De quo sanctus rex fuit plurimum admiratus

(1) Cod. Charleville : quod.
(2) Cod. Charleville : interrogatus.

et edificatus, quod in homine fieret tantus per spiritum raptus mentis, quem non impediret in aliquo sensus carnis. Tunc autem sanctus rex providus vocato scriptore mandavit ei, quod statim scriberet que dicto doctori fuerant divinitus revelata.

Item aliud simile de eodem.

Alia quoque vice apud neapolim fertur eidem simile contigisse. Cum enim quidam cardinalis legatus in regno sicilie neapolim pervenisset et audivisset prius a domino petro tunc archiepiscopo capuano miranda de fratre thoma sibi referri, rogavit legatus archiepiscopum, qui discipulus ejus fuerat, ut cum eodem doctore posset habere familiare colloquium, cujus noticiam affectabat. Cumque predictus doctor vocatus de suo studio descendisset ad videndum predictum legatum et archiepiscopum, sedit cum eis existens in medio eorum sic mente elevatus et abstractus, ut nichil eis penitus loqueretur. Cumque expectassent diucius sic abstractum cepit sanctus doctor leta facie dicere : Modo habeo quod querebam. De quo admirans legatus quod nullum eis signum reverencie ostenderet, cepit ipsum in corde suo despicere. Cui archiepiscopus ait : Domine non miremini, quia frequenter sic abstrahitur, ut cum quibuscumque personis fuerit, non loquatur. Et tunc archiepiscopus traxit eum fortiter per capam dicens : Advertatis magister quod cardinalis legatus est hic, qui venit volens vos videre. Tunc ille quasi de sompno contemplacionis evigilans et advertens se esse medium inter tantos inclinans se reverenter ad cardinalem petivit veniam dicens : Parcatis mihi domine, quia credebam esse in studio et occurrit mihi una pulcra racio ad propositum super illo opere quod nunc scribo, que mihi valde placuit et de qua mirabiliter sum gavisus. Scribebat autem tunc temporis summam contra gentiles. De quo cardinalis admirans remansit plurimum consolatus. Hoc autem predictus archiepiscopus pluribus sepius enarravit.

XXVI. Qualiter in die dominice passionis in sacro misterio apparuit quasi raptus.

Semel eciam in conventu neapolitano cum in die dominice passionis sacrum misterium misse illius diei devotus perageret,

in prosecutione sacri misterii multis astantibus subito visus est sic absorptus ab altitudine sacramenti, quasi divinis admissus interesset misteriis et hominis Xristi affici putaretur ex penis. Quod indicare videbatur diutina mentis ejus abstractio et inundans profusio lacrimarum. Quo sic diutius permanente admirati fratres accesserunt et ipsum tangentes ut prosequeretur misteria a profunditate sacri secreti qua raptus esse videbatur excitaverunt. Quem post sacrum misterium aliqui fratres et milites familiares rogaverunt, ut sibi quid accidisset in illo raptu eis dignaretur ad edificationem revelare. Qui facere renuit et ne revelata proderet, occultavit. Visus eciam fuit frequenter, cum in tempore quadragesimali cantaretur ille versus : Ne projicias nos in tempore senectutis, quasi raptus et in devotione absorptus multis profundi lacrimis quas de occultis videbatur (1) effundere mentis.

XXVII. Qualiter circa finem vite sue in raptu mentis fuerint eidem secreta grandia revelata.

Semel eciam existens in sancto severino, castro sororis sue cum fratre raynaldo, socio suo et pluribus aliis fratribus ordinis eo anno quo de hac vita transivit, per triduum fere permansit abstractus a sensibus propriis. Super quo cum domina theodora germana sua precipue turbaretur, quesivit ab ejus socio quid hoc esset quod fratri suo subito accidisset. Qui dixit ei : Frequenter magister in spiritu rapitur, cum secreta aliqua contemplatur. Nunquam tamen tanto tempore, sicut nunc vidi ipsum a sensibus corporis sic abstractum. Tandem predictus socius ejus trahens eum per capam fortiter, quasi a sompno contemplacionis excitavit. Qui ad se rediens et suspirans ait : Fili raynalde tibi in secreto revelo prohibens ne in vita mea alicui audeas revelare. Venit finis scripture mee, quia talia sunt mihi revelata, quod ea que scripsi et docui modica michi respective videntur. Et ex hoc spero in deo meo, quod sicut doctrine mee, sic cito finis erit et vite. Sicut enim deus mirabilis moysi, qui legem justicie judeis vidit et attulit et paulo, qui

(1) Cod. Charleville : educere.

gentibus legem gracie predicavit supra humanum intellectum plurima revelavit, sic et huic beato thome doctori, qui de manu sedentis in throno utriusque legis librum involutum accepit et apertum toti ecclesie exponendo porrexit, aliqua supra naturale lumen ingenii revelare placuit, ut majora superesse sciret que naturali intelligencia non videret. Felix doctor, cui presencia non sunt abscondita et revelata futura cui datum est ex hiis que meruit scribere pociora videre.

XXVIII. De abstractione mentis ejus a sensibilibus.

Tanta autem erat hujus doctoris mentis abstractio ut interdum non perciperet se ledi a corporali lesione. Unde semel cum de consilio medicorum esset cauterium in tibia recepturus, ait socio suo : Cum venerit qui ignem mihi in tibia debet apponere, facias me hoc ante prescrire. Quod cum fieret in loco in quo cautherizandus erat, se preparans extensa tibia tanta fuit mentis abstractione levatus, quod calorem ignis et cauterium non percepit. Cujus signum fuit, quod de loco ubi tibiam extenderat non mutavit. Semel eciam cum predictus doctor esset in camera sua et dictaret super tractatum boetii de trinitate, candelam accensam in manu tenens sic in contemplatione abstractus est, quod candela ardens consumpta est usque ad digitos manus ejus. Quibus ignem candele diucius inherentem doctor non sensit, sed ipsam sine aliquo motu digitorum sustinuit, donec defecit. Inhibuerat enim scriptori suo ut ipsum nullatenus vocaret, quidquid in ipso videret. Simili de ipso parisius sepius visum fuit. Quotiens enim oportuisset fieri sibi minutionem antequam minutor ad percuciendam venam accederet, ipse per contemplacionem de abstractione mentis a sensibus providebat. Et tunc secure minutor venam percuciens sancti doctoris ymaginationem ledere non poterat, quem abstractum a sensibus inveniebat. Fertur enim quod fuit miro modo passibilis ex corporali complexione et ideo subito a lesivo corporis turbabatur. Unde divinitus fuit concessum ut in corpore non sentiret et interdum lesivum corporis non sentiret.

XXIX. De gratia predicacionis diffusa in labiis ejus ac de muliere sanata a fluxu sanguinis ad tactum cape ipsius.

Nec pretereundum est de gracia predicationis diffusa in labiis ejus in proponendo populo verbum dei. Sermo enim ejus ad populum non erat in curiosis et persuabilibus tantum humane sapiencie verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Qui devitans verba que curiositati pocius quam utilitati serviunt auditorum, in illo suo vulgari natalis soli quod non mutavit proponebat saluti utilia et moralia juxta capacitatem audiencium, subtilitates questionum reservans scolastice discipline. Noverat enim quod pro qualitate audiencium formandus est sermo doctorum. Ita autem reverenter audiebatur a populo quasi sua predicacio prodiret de celo. Neque enim aliis facere docebat nisi que deus per eum faceret juxta illud apostoli documentum : Nichil audeo loqui eorum, que per me non efficit Xristus. Unde verba sermonis ejus ardebant ut facula et consequenter corda audientium ad amorem dei et compunctionem animi inflamabant, domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Cum enim semel in ebdomada sancta rome in ecclesia sancti petri de passione domini devotissime predicasset et populum ad compassionem et ad lacrimas provocasset, in sequenti die resurrectionis dominice ibidem predicans de gaudio resurrectionis Xristi sicut ad compaciendum ita ad congaudendum audientem populum mirabiliter excitavit. Factaque est provocatio devocionis magna in populo et ceperunt omnes in domino exultare. Cumque post predicacionem de pulpito descendisset, mulier quedam, que fluxum sanguinis patiebatur multo tempore nec curari potuerat alicujus remedio medicine, accedens tetigit fimbriam cape ejus credens se meritis ejus posse sanari. Que mox ut tetigerat se sensit a predicta infirmitate liberatam. Et sequens eum usque ad conventum fratrum sancte sabine beneficium salutis quod receperat fratri raynaldo ejus socio indicavit. Qui postmodum pluries et pluribus factum miraculum ad dei laudem et sancti doctoris preconium recitavit. Felix doctor, qui simili miraculo claruit ut salvator. Cujus fimbria dum tangitur, mulier a profluvio sanguinis liberatur, ut sciretur quanta virtus erat in

sancti doctoris anima, ex quo tante virtutis effectus inveniebatur in ejus capa.

XXX. De vera ejus humilitate ac mititate cordis.

Fuit autem predictus doctor exemplo et doctrina magistri sui et omnium domini Jesu Xristi vere mitis et humilis corde. Unde de sua humilitate fertur ipse in puritate consciencie sua dixisse : Regratior deo, quia numquam de mea scientia seu magistrali cathedra nec de aliquo actu scolastico habui motum inanis glorie, qui meum a sede sua extolleret animum. Et si parvum motum prevenientem racionem habui, eundem racionis superveniente judicio depressi. Non enim potuisset in tam sublime erexisse animum ad divina nisi in fundamento humilitatis sua deposuisset humana. Erat enim sibi conscius a deo habere scientiam qui dederat, ideoque in anima sua motum inanis glorie non habuit noxium qui cotidie sciebat sibi fieri divine veritatis influxum. Sciebat enim quod, ubi humilitas ibi sapientia, unde quando potuisset ipse a sua sublimi speculatione divinorum ad yma deduci. Sic erat in conversatione tractabilis, in locutione suavis, ut vere ostenderetur ab illius forma exemplatus descendere, cujus vitam meruerit contemplando intelligere et scribendo docere. Cujus humilitatis indicium ex ejus humili conversacione ostenditur, ea qua qualis fuerit interior, ejus animus edocetur.

XXXI. Exemplum unum de humili conversacione ejus.

Fertur enim de ejus humili conversacione quod cum in conventu bononie esset ipse et more solito per claustrum contemplativus incederet, frater quidam alterius conventus, qui doctorem non noverat, venit ad eum petita et obtenta licencia a priore quod cum fratre quem primum inveniret, in civitatem ad sua negotia ire liceret. Et dixit ei : Bone frater prior mandat quod veniatis mecum. Qui statim inclinans caput secutus est eum. Post quem cum non posset sic festinanter incedere, frequenter argutus a socio se humiliter excusabat. Cives vero qui eum noverant admirati quod tantus doctor post

fratrem modice condicionis incederet, cogitantes hoc ex errore aliquo contigisse, indicaverunt illi fratri, quis esset ille quem post se duceret. Qui conversus ad fratrem thomam petivit veniam, ut ejus ignorancie indulgeret. Et conversis predictis civibus ad magistrum cum reverencia et interrogantibus de tanto humilitatis exemplo, benigne respondit quod in obediencia perficitur omnis religio, qua homo homini propter deum se subjicit, sicut se deus homini propter hominem inclinavit. O felix humilis anima, quam dignitas magistralis non extulit, nec tanti doctoris status condicio a radice humilitatis avulsit, cui non est visum aliquam excusacionem opponere ubi ex verbo prioris innotuit obedire. Qui quamvis non esset discursibus assuetus qui divinis meditationibus erat intentus, in promptu tamen habuit obedienciam, quam esse noverat virtutum omnium ex humilitate magistram.

Item aliud exemplum de ejus humilitate. Aliud sue humilitatis indicium apparuit, dum semel quidam (1) vir religiosus parisius examinandus et licenciandus per cancellarium in vesperis, sicut moris est, de propositis questionibus opinionem veritati contrariam sustinuit quam in scolis parisius determinaverat sanctus doctor. Cui vir ille mitissimus non obstitit, sed pertransiit non reputans sibi praejudicari in quo ei fuerat a magistro adhuc novicio ita contradictum. Sicque tamquam vere humilis qui sui contemptum magnanimus contempnebat, quietus mente et verbo tranquillus redit ad conventum. Fratres vero qui secum fuerant, magistri sui injuriam egre ferentes, dixerunt ad eum : Magister nos graviter offensi sumus, quia ille magister contra opinionem et doctrinam vestram sic tenuit. Vos autem non debuistis hanc veritatis injuriam coram omnibus magistris parisiensibus sustinere. Quibus quietus magister et humilis mansuete respondit : Fratres visum fuit michi novo magistro in suo principio esse parcendum, ne confunderetur in conspectu omnium magistrorum. De mea vero doctrina non dubito, quam operante deo fundavi et firmavi in sanctorum auctoritatibus et racionibus veritatis. Si tamen fratribus aliud expediens videatur, crastina die supplere

(1) Iste vir religiosus videtur esse Johannes Peckham, ut jam supra p. 99 indicavimus.

potero, quod omisi ex causa. In crastinum igitur cum ad idem in aula episcopi, ut moris est, magistri et bachalarii convenissent et eedem questiones fuissent per magistrum licenciandum sine correctione aliqua repetite, sanctus thomas doctor cum omni moderamine dixit : Magister ista vestra opinio salva veritate teneri non potest, quia est contra tale concilium manifeste, inde oportet vos aliter dicere, si non vultis a concilio discordare. Tunc ille aliter dicere cepit, sed opinionem in sententia non mutavit. Contra quem iterum forcius arguens et concilium ipsum adducens, compulit eum suum confiteri pudorem revocando errorem et petere humiliter a sancto doctore scire plenius veritatem. De quo magistri et alii qui aderant mirati sunt universi, de tranquillitate mentis et verbi, qui sic arguebat adversarium, quasi doceret discipulum et qui tante sciencie subito proposuisset mirabiliter documentum, ut et suum locum haberet debitum occulta virtus animi et veritas manifesta magistri.

XXXII. De subtilitate intellectus et capacitate memorie ejusdem doctoris.

Subtilitate vero intellectus et ingenii sanctus doctor prepollebat, quam ei spiritus sapiencie dei subtilis dederat, cum quo per graciam habitabat. Unde fertur dixisse aliquando familiari colloquio studentibus non ad ambitum inanis glorie sed ad preconium divine laudis et gracie, quod nunquam librum legerat quem divino adjutus spiritu non intelligeret et ad profundum libri misterium non veniret. Dignum namque erat ex quo scrutationi divinorum totus intenderet ut desideriorum viro spiritus divinus nichil absconderet, sed ei quod sacre doctrine erat necessarium revelaret. Cujus ingenii subtilitatem et acumen intelligencie et rectitudinem judicii evidenter ostendunt multitudo librorum quos edidit et sentenciarum novitas quas invenit, sensusque scripturarum absconditi quos produxit in lucem. Fuit quoque idem doctor magne memorie tanteque capacitatis et retentive virtutis, ut hoc quod semel legendo caperet perpetuo retineret et videretur in ejus anima continue fieri sciencie habitus, quem sic collectum habebat in animo

quasi exemplatum haberet in libro. Quod evidenter patuit in illo mirabili opere, quod ad preceptum domini Urbani pape super quatuor evangelia de dictis sanctorum composuit et contexuit, que ipse perlegens in diversorum monasteriorum libris fertur pro majori parte ita memorie commendasse, quasi sanctorum dicta haberet pre oculis que prius legisset in libris. In signum autem et indicium evidens, quod ipse doctor in thesauro memorie quasi collectam scienciam possideret, veridica sui socii fratris raynaldi, suorumque studencium et scriptorum relacione veraciter est compertum, quod ipse de diversis materiis tribus scriptoribus et interdum quatuor in camera sua eodem tempore ipse dictabat, ut videretur deus simul ejus intellectui diversas infundere veritates, quas simul posset non absque specialis dono gratie pluribus dictare, ut non videretur ignota discurrendo perquirere, sed quasi collata in memoria de thesauro suo effundendo aperire. Videbatur namque hujus doctoris sciencie habitus esse quasi quidam innundans doctrine fluvius scripturarum qui desuper oriens in eodem de divine sapiencie fonte descenderet, quem in diversos libros quasi diversos rivulos dirivaret. Retulit quoque scriptor suus quidam brito evenus nomine trechorensis diocesis quod postquam dictaverat sibi et duobus aliis scriptoribus quos habebat; tamquam fessus pro labore dictandi ponebat se idem doctor pro pausacionis gracia ad quietem, in qua eciam dormiendo dictabat. De cujus ore dormientis que audiebat predictus scriptor redigebat in scriptis continuando materiam de qua antea scripserat cum vigilando dictaret.

XXXIII. Qualiter fuit pius, benignus et misericors erga omnes.

Fuit sanctus thomas doctor caritate et pietate diffusus ut alios ex seipso preveniret in graciis, quibus datus erat divinitus ut splendesceret in doctrinis. Erat enim miro modo benignus in animo, qui totus erat suavis in verbo et liberalis in facto, ut ostenderet quis ejus spiritum habitaret in mente, cujus tanta suavitas procedebat ex ore, ut unusquisque qui totius conversacionis ejus vidisset effigiem, mentis ejus potuisset intelligere sanctitatem. Qui licet supra modum contra pec-

cantes insurgeret, ipse qui peccata nesciret, sic pro amore justicie et salute anime proximi judici et prelato consulebat contra culpam insurgere ut prelatus ex suo consilio fieret simul criminis persecutor et hominis liberator, ut sic in subdito crimen deficeret et homo cum crimine non periret. Et quamvis ipse sanctus de difficili crederet, ut homo peccaret, similemque sibi unumquemque existimans in innocencia ut in natura; cum constitisset aliquem ex infirmitate peccasse, sic alienas deflebat culpas ut proprias, illius imitatus exemplum qui per compassionem propriis urebatur incendiis in defectibus alienis. Ex qua benignitate caritatis quidam mirandus effectus ex corporali ejus aspectu sic videbatur oriri, ut nemo ipsum aliquamdiu alloquendo et secum conversando potuisset aspicere, quem non contingeret graciam consolacionis spiritualis haurire, sicut illi qui secum conversati sunt, experti fuerunt et cum devotione sepius retulerunt. Hoc autem sine spiritus sancti presencia esse non poterat, de quo tanta gracia procedebat. Unde ex diffuse caritatis ejus radice, quidam fructus pietatis erumpebat in ramis. Erat namque miro modo compaciens pauperibus et indigentibus, quibus de pannis suis et rebus aliis quociens poterat, libenter tribuebat nichil sibi reservans de rebus superfluis pro supplendis defectibus alienis.

XXXIV. Qualiter contempsit divicias et honores et gloriam hujus mundi.

Sic autem sanctum doctorem divina sapiencia que melior est cunctis opibus, quam ipse sibi a juventute sua sponsam acceperat, inebriaverat caritate ut nichil mundanum alliceret mentem ejus. Cum enim esset ipse de nobili genere et rerum temporalium copiam concupiscere et honorum gloriam potuisset ambire, divicias tamen magis sibi computavit et gloriam : sequi Xristum pauperem et humilem quam diviciis hujus seculi affluentem gradum temporalis glorie optinere sublimem. Unde fertur quod semel rediens cum suis studentibus de sancto dyonisio quo iverat sanctorum reliquias visitare, cum vidisset de propinquo civitatem parisiensem, dixerunt ei studentes :

Videte magister, quam pulcra civitas est parisius. Velletisne esse dominus hujus civitatis? Expectabant enim ab eo aliquod verbum edificationis audire. Qui respondit, libencius velle habere omelias crysostomi super evangelium sancti mathei. Civitas enim hec, si esset mea propter curam regiminis contemplacionem divinorum michi eriperet et consolacionem animi impediret, quam scriptura donaret. Quanto enim quis amore temporalium premitur, tanto periculosius a celestibus elongatur. Quantum autem despexerit honores et divicias temporales, liquido patuit non solum cum omnia reliquit que concupiscere potuit, sed eciam cum magnitudine animi oblata despexit. Cum enim dominus clemens papa quartus qui eundem carum habebat, archiepiscopatum neapolitanum cum addicione reddituum monasterii sancti Petri ad aram sibi obtulisset, bullamque misisset, sanctus doctor dignitatem recipere et redditus possidere penitus recusavit et quod non promoveret eum ad similia ulterius humiliter exoravit. O felix doctor contemptor seculi, amator celi, qui fecit quod docuit, qui sic terrena despiceret, quasi pignus haberet possessionis celestium que speraret.

XXXV. De naturali dispositione et habitudine corporis sancti thome.

Naturalis autem disposicio et habitudo corporis sancti thome traditur fuisse talis. Fuit siquidem magnus in corpore procere et recte stature, que rectitudini anime responderet, coloris triticei ad temperate condicionis indicium, magnum habens caput sicut perfectiones virtutum animalium que racioni deserviunt, organa perfecta requirunt, fuitque aliquantulum calvus, tenerrime complexionis in carne ad indicium aptitudinis intelligencie ejus in mente, fuit quoque virilis robore cum se ad aliquos actus virtutis corporee exerceret. Qui eciam ex virtute animi nichil terribile timuit, qui propter hanc in divina sibi assistente virtute confidit, ut videretur deus tam nobile corpus et organum preparasse, quod ad actus virtutum serviret obediens quod nunquam esset racionis judicio contradicens. In terroribus autem aeris, tonitrui et tempestatis quasi

pro scuto se muniens crucis signo dicebat : Deus in carne venit, Deus pro nobis mortuus est et resurrexit.

XXXVI. De stella que visa fuit descendere et stare supra eum.

Anno autem quo sanctus doctor ex hac luce migravit signum luminis apparuit super eum. Cum enim quadam die decumberet in camera sua discrasiatus (1) in corpore apud neapolim, Johannes copa de neapoli cum germano suo scilicet fratre bonofilio ordinis predicatorum gracia visitacionis ivit ad ipsum. Et ambo simul viderunt intrantem per fenestram camere stellam clarissimam magnitudinis et mensure ipsius fenestre. Stetitque super caput et super lectum in quo jacebat infirmus per aliquam moram temporis et ipsis videntibus post paululum, unde venerat, inde discessit.

XXXVII. De tempore et itinere quo cepit infirmari et de miraculis in allecibus sibi divinitus preparatis.

Post hec autem tempus advenit quo eundum sibi fuit ad generale concilium lugduni, quod fuit per gregorium pappam decimum celebratum in calendis maji sub anno dominice incarnationis MCCLXXIIII. Mandaverat siquidem idem gregorius pappa sancto thome propter eminentem ejus scienciam, ut ad dictum concilium veniret, secumque deferret librum quem de mandato urbani pappe quarti fecerat contra errores grecorum, de quibus erant in eodem concilio, ad quod vocati fuerant, racionabiliter arguendi. Recedens autem predictus doctor de neapoli et versus romam dirigens gressus suos transiens per campaniam venit Magenciam castrum quod erat domine francisce, neptis sue. Ubi cum corpore cepisset languescere pene totaliter amiserat appetitum. Medico autem magistro Johanne de Guidone querenti ab eo, si aliquem cibum appeteret, ait : Forsan allecia qualia parisius deferuntur, comederem, si haberem, sed in istis partibus non haben-

(1) Verbum derivatum a δυσκρασια, quod est idem ac intemperies. Cf. Du Cange, Glossarium.

tur. Dum itaque medicus egressus esset ab ipso, occurrit quidam, qui onus piscium in animali de terracina detulerat, qui requisitus cujusmodi pisces deferret, sardas, inquit, defero. Putavit tamen medicus aliquos forte pisces alios in illis sibi occurrere quos illi deferret, si sibi fortasse placerent. Mirum negotium, novumque pro viro sancto apparuit miraculum. Ut enim in una cistella queritur, allecia recencia et non sardas invenit in eadem quamquam non dubium prout affirmabat venditor piscium, sardas ipse non allecias comparasset, que numquam in illis partibus contingit recencia reperire. Deferuntur nova sancto viro allecia divinitus preparata, sed nec de illis gustare voluit altius admirans divine pietatis beneficium, sed divine tantum providencie se commisit secutus exemplum david qui desideratam aquam gustare noluit quam sibi trium fortium probitas divino miraculo procuravit. Multis itaque circumquaque innotuit dictum prodigium qui et de predictis allecibus comederunt. Remansitque miraculum usque in presentem diem in tota illa regione vulgatum.

XXXVIII. Qualiter finem vite sue previdit et predixit in monasterio fosse nove.

Denique diebus aliquibus interjectis sanctus doctor parumper convaluit et versus romam itinere quo ceperat pergere cepit, transiensque juxta monasterium fosse nove cisterciensis ordinis, invitatus ab abbate et monachis cum multo caritatis affectu, ut ibidem recreacionem reciperet usque ad perfectam corporis sanitatem, predictum monasterium est ingressus. Premissaque oratione coram altari in ecclesia cum (1) secundum claustrum intrasset, facta est manus domini super ipsum et tactus spiritu dei finem suum precognoscens jam proximum imminere clara voce multis audientibus ad socium suum conversus in hec verba predixit : Fili raynalde hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam, quasi diceret hic fiet vite et vie mee terminus et post vite laborem in requiem duraturam in seculum seculi per-

(1) Non constat utrum sit legendum : secundum an sanctum.

transibo. Felix doctor qui suum de ergastulo corporis prescire meruit exitum, suum simul et eterne felicitatis ingressum prescius simul sue quietis ad vite principium et laboris terminum et occasum. Paratur igitur eidem locus honestus in camera abbatis ad corporis quietem et ceteris concomitantibus prout melius fieri potuit cum multo caritatis affectu, ubi cum sanctus doctor pluribus diebus gravatus infirmitate decumberet, monachi cum tanta reverencia et humilitate ei servire ceperunt, ut eciam propriis humeris pro eodem ligna de silva deferrent. Erat enim yems; ipse vero doctor pius et humilis famulis dei compaciens dicebat : Unde hoc mihi ut servi dei serviant homini et onus tantum deferant, quo laborant? Cepit autem de die in diem languor corporis increscere. Nec sic sanctus doctor a doctrine fluentis se poterat continere. Rogatus nempe ibidem ab aliquibus monachis qui capere poterant ut aliquid memoriale sciencie et doctrine sue eis in fine relinqueret, breviter ipsis exposuit salomonis cantica canticorum ut in canticum celestis glorie transiret studium ecclesiastice discipline et bene congruit sancto doctori transituro de ergastulo corporis, qui celestis aule epithalamium de proximo cantaturus cum angelis in dilecti sponsi Xristi et ecclesie thalamum introductus advenit.

XXXIX. Qualiter devote ac fideliter in extremis susceptis ecclesie sacramentis suamque doctrinam in manu sancte romane ecclesie derelinquens obdormivit in domino.

Invalescente autem morbo et deficiente corporis virtute cum magna devocione petiit exhiberi sibi sacratissimum corpus Xristi. Quod cum reverenter fuisset ab abbate et monachis deportatum et ipse prostratus ad terram, debilis corpore, fortis mente suo domino obviam occurrisset cum lacrimis et mira devocione orans, requisitus, ut moris est ecclesiastice discipline, si crederet quod in illa hostia consecrata esset verus dei filius, qui exivit de utero virginis et pro nobis pependit in cruce et mortuus est et tercia die resurrexit, libera voce, attenta devocione cum lacrimis respondit : Si major sciencia quam fidei integritas et ineffabilis ejus veritas habet, in pre-

senti exilio de hoc sacramento haberi posset, in illa respondeo quod vere credo et pro certo scio hunc esse verum deum et hominem eterni patris et virginis matris filium dominum jesum Xristum et sic puro corde credo et ore confiteor. Sic itaque devote et cum lacrimis accepit illud vivificum sacramentum. Fertur autem cum illud sumeret hec verba premisisse dicens : Sumo te precium redemptionis anime mee, viaticum peregrinacionis mee, pro cujus amore studui, vigilavi et laboravi. Te predicavi, te docui, nichil unquam scienter contra te dixi. Si quid autem de hoc sacramento et de aliis minus bene dixi aut scripsi, totum relinquo correctioni sancte romane ecclesie, in cujus obediencia nunc transeo ex hac vita. Sic devote sumpto vivifico sacramento, sequenti die extreme unctionis sacramentum dari sibi devote peciit et suscepit. Qui cum in tota unctione ad singulas formas verborum sana mente respondisset prescius sui felicis transitus junctis ad deum manibus spiritum suum creatori suo recommendans feliciter obdormivit in domino hora matutinali nonis martii, inchoante tunc dominice incarnacionis anno MCCLXXIIII vite autem sue anno XLIX terminante et anno quinquagesimo inchoante (1).

XL. De solempnibus exequiis et sepultura sancti thome in monasterio fosse nove.

Interfuerunt autem in ejus felici transitu plures fratres ordinis predicatorum de diversis conventibus, specialiter conventus gagetani et anagnie qui ad vivendum et visitandum predictum doctorem convenerant ac eciam multi fratres ordinis minorum. Cumque predictus doctor multis signis et indiciis sanctitatis clarus obiisset, abbas et monachi predicti monasterii cum ceteris religiosis ac nobilibus viris patrie circa corpus sancti doctoris sollempnes exequias honorifice celebrarunt. Affuerunt namque funeri et exequiis episcopus terracinensis dominus franciscus ordinis minorum cum ceteris religiosis superius memoratis, ac eciam multi nobiles de campania,

(1) Non certo constat qualem vitae aetatem habuerit S. Thomas moriens. Hinc vel ipsi veteres biographi ancipites haerent, alii stantes pro anno 48, alii pro anno 50.

quorum quamplures attraxerat naturalis affectio parentelle, cum multos haberet in illis partibus consanguinitate conjunctos. Nonnullos vero provocaverat fama sciencie et exempla sanctitatis ejus et vite. Celebrantur itaque sollempnes exequie sancti doctoris et occurrit neptis ejus nobilis domina francisca ad ostium ipsius monasterii, quia mulieri introire monasterium non licebat secundum ordinis instituta, deferturque funus illuc ad ejus instanciam ad videndum sibi ex gracia speciali. Ubi quantis lamentacionibus more patrie deploratum fuerit, cum ejulatu et clamore lugubri, vix ab aliquo posset credi cumque planctus et gemitus tam lugubris personaret mirum dictu, mulus cui sanctus doctor insederat, eadem hora fracto fune de stabulo exiliit et nullo ducente veniens et appropinquans ad feretrum, eoque viso ibidem sine alia infirmitate mortuus cecidit et deficit. Ut eciam in brutis animalibus deus ostenderet, quam magnum ecclesie lumen defecisset. Post hec autem delatum est corpus sacrum ad ecclesiam et ibi ante altare venerabiliter tumulatum et glebe terre traditum, quod totius mundicie fuerat alabastrum.

XLI. De fideli testimonio fratris raynaldi de sanctitate ac virginitate sancti thome.

Tunc fratrer raynaldus de piperno ordinis predicatorum surgens in medio predicavit et ad edificacionem astantium qui audire desiderabant, merita et preconia sancti doctoris et ad laudem ejusdem magistri sui de sanctitate vite ejus tale dedit testimonium veritati. Ego inquit istius sancti doctoris totius vite et consciencie testis sum, qui frequenter in vita sua et nunc in ultimo fine suo confessionem ejus generalem audivi, de quo testificor coram deo, quod ipsum semper ita purum inveni, sicut puerum quinque annorum, quod nunquam carnis suae sensit contagium, nec habuit alicujus mortalis criminis in voluntate consensum. Hic est frater raynaldus socius individuus sancti thome, qui in vita sibi sedule in omnibus ministravit et servivit ut magistro discipulus, ut patri filius, ut sancto devotus, circa quem oportebat eum gerere tamquam nutricis officium propter abstractionem ejus quasi continuam

et frequentem ad celestia mentis raptum, ut sic abstractum ab exterioribus prevenire eciam ipsum oporteret de necessariis corporis alimentis et preparare ante ipsum quod sumeret, ne in hiis que nocerent error contingeret, si abstractus continue in sumendis erraret.

XLII. De signis que in hora sui transitus visa sunt et ostensa.

Non defuerunt autem in ejus transitu signa miranda et manifesta, que sancti doctoris indicarent exitum et eterne felicitatis presignarent ingressum. In hora enim transitus sancti thome quidam monachus prefati monasterii orans in ecclesia paululum obdormivit. Et ecce vidit stellam splendidissimam supra monasterium cadere, duasque stellas alias de celo descendentes ejusdem fulgoris cum prima post paululum primam stellam quam prius viderat ad celestia sublevare. Post quam visionem monachus a sopore solutus audiens pulsari tabulam, signum obitus sancti doctoris qui in hora predicte visionis obierat, intellexit quod illa visio demonstraret felicem transitum sancti thome, cujus anima tunc de corpore exiit quando prima stella cum aliis duabus in celum ascendit.

Aliud quoque signum in ipso monasterio apparuit. Nam quedam stella ad modum comete tribus diebus ante sancti doctoris obitum supra monasterium visa fuit que eciam in die aliquando videbatur, que cum ignoraretur quid significaret, dum apparuit, ostendit prefati doctoris transitum, dum cessavit. Nam sancto doctore deficiente ipsa defecit. — Aliud eciam signum in conventu neapolitano apparuit fratri paulo de aquila magne probitatis et fame viro; in illa hora in qua sanctus doctor migravit a seculo in monasterio fosse nove vidit eum in visione ymaginaria predictum doctorem in scolis legentem neapoli coram multitudine scolarium et beatum paulum apostolum scolas intrantem cum multa societate sanctorum. Cui cum thomas doctor de cathedra descendens vellet occurrere, paulus ait quod legeret et prosequeretur, quam inceperat lectionem. Quem sanctus thomas rogavit ut ei dice-

ret an in epistolis suis verum habuisset intellectum. Cui apostolus respondit, quia habuerat intellectum, sicut potest quis vivens in corpore de illis habere. Et subdidit dicens : Volo ut mecum venias et ducam te ad locum ubi clariorem habebis de omnibus intellectum, videbaturque ipsum per capam extra scolas secum educere. Tunc predictus frater paulus cepit fortiter alta voce clamare dicens : Succurrite fratres, succurrite, quia frater thomas tollitur a nobis. Ad cujus clamorem excitati fratres interrogaverunt eum, quid clamans in visione vidisset. Quo referente seriem visionis hora notatur et inventum est postea hanc fuisse, qua doctor fuerat ex hac luce subtractus. Felix doctoris anima cui celestes cives obviant, ut ad celestia regna perducant, et quem habere meruit dum viveret instructorem, dum ex hac vita transiret habuit ad celestem gloriam conductorem.

XLIII. — Qualiter fratri Alberto Theutonico fuit ejus transitus revelatus.

Non est autem pretereundum silentio simile quod eodem die transitus sancti thome frater albertus theutonicus reverendus doctor et episcopus existens apud coloniam vidit. Hic enim in mensa discumbens presente priore conventus cum aliquibus fratribus cepit subito lacrimari. Priori vero causam lacrimarum querenti ille respondit : Frater thomas de aquino, filius meus in Xristo, qui fuit lumen ecclesie, ex hac luce migravit. Tunc notatur dies a priore presente et repertum est postea sanctum doctorem thomam eadem die ex hac luce migrasse.

XLIV. Qualiter in die sepulture ipsius supprior monasterii fosse nove fuit a cecitate oculorum sancti thome meritis liberatus.

Antequam sacrum corpus ejus fuisset traditum sepulture, dominus Johannes de ferentino monachus et supprior monasterii fosse nove paciens in oculis pene omnimodam cecitatem, emisso voto ad sanctum fecit se duci ad corpus ejus. Ad cujus

pedes cum devocione et reverencia prostratus applicuit se funeri. Et ponens faciem suam super faciem illius oravit deum ut meritis sancti thome visus beneficium quo carebat, recipere mereretur. Qui statim perfecte illuminatus clamavit coram toto conventu ibidem presente : Benedictus Deus, quia meritis sancti thome visus est michi perfectissime restitutus et ita clare video sicut ante. Hic postmodum umbracicensis ecclesie episcopus factus fuit (1).

XLV. De pio miraculo suavissimi odoris facto in prima translacione sacri corporis sancti thome. Et de integritate ejus in membris et vestibus divino munere conservatis (2).

Post sepulturam sancti thome cogitantes abbas et monachi et timentes ne forsan in posterum corpus sancti doctoris ipsis invitis auferretur et transferretur a dicto monasterio, procurantibus fratribus sui ordinis per mandatum summi pontificis, presertim quod sub deposito ibidem fuerat commendatum et frater raynaldus socius ejus fecerat inde recipi publicum instrumentum et idem doctor mandaverat corpus suum ad fratres sui ordinis aput neapolim congruo tempore deportari, de nocte secretissime cum paucis arbitris transtulerunt ipsum de ecclesia ad capellam sancti stephani juxta claustrum ut sepulture ejus ignotis ceteris esset locus. De quo postmodum sanctus doctor in sompno apparens domno Jacobo de florentino priori monasterii ipsum graviter arguit et comminatus est ei, nisi ad priorem locum corpus suum reduceret, ubi qui ad sepulcrum ejus ex devocione venirent loco sepulture cognito non errarent (3).

Timens itaque dictus prior divine ulcionis judicium si preteriret quod audierat in visione mandatum, volens quod nichilominus claustrales monachos hoc lateret ac ceptis predicte capelle clavibus a domno blasio monacho de nocte cum paucis monachis et aliquibus oblatis monasterii seu donatis accessit ad capellam predictam in qua corpus sancti doctoris

(1) Nomen ipsius desideratur tum apud Gams tum apud Eubel.
(2) In Cod. Charleville habetur hic : In translacione lectio prima.
(3) In Cod. Charleville hic habetur : Lectio II.

sicut premittitur translatum fuerat et humatum. Et aperto sepulcro tanta inde subito fragrantis odoris suavitas emanavit quod totam capellam, claustrumque ipsius monasterii, quod diffusum est, sic mira eadem suavitate replevit, ut non videretur patuisse defuncti corporis sepultura sed multorum aromatum apotheca. Que de ipsius sancti corpore exiens prout ex sollicita curiosaque monachorum indagine corpus ipsum odorantium compertum est, mirifice fundebatur (1).

Qui odor tantus fuit, quod ad ipsum nullo alio indicante tam predictus domnus blasius quam ceteri monachi convenerunt coram quibus manifestato sancti doctoris corpore viderunt ipsum integrum in omnibus membris, habitusque sui ordinis in capa, scapulari et tunica penitus incorruptum et ex odore odoriferi corporis redolentem cum tamen sancti doctoris corpus fuisset pingue et grossum ac magnum, locusque sepulture esset humidus et profundus ex quo debuisset eciam sine causa alia immutari, nisi divina virtute ex speciali privilegio et miraculo servaretur. Conveniens autem fuit ut corpus illud eciam examine nonnisi odorem suavissimum divina virtute redderet, de quo fetor mortalis criminis non exiisset (2).

Videntes autem monachi tam evidens miraculum concepta nimirum ad ipsum majori devocione, coadunato conventu, priore dicti monasterii cum quibusdam ex monachis paramentis induto, corpus ipsum ad primum ejus tumulum processionaliter et honorifice retulerunt. Cantaveruntque antiphonam : Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit angelorum. In sequenti vero mane missam sicut de uno confessore celebraverunt cantantes : Os justi meditabitur sapientiam. Tot autem testes fuerunt de hujus odoris mirabili fragrantia, quot monachos tunc habuit fossa nova. Fuit autem facta predicta translacio elapsis mensibus septem a transitu sancti thome, sicut in litera cannonizationis et in depositione testium, qui presentes fuerunt de tempore invenitur, quamvis de tempore translacionis predicte aliqui scripserunt quod facta fuerit septennio jam elapso.

(1) In Cod. Charleville hic habetur superscriptio : Lectio III.
(2) In Codice Charleville superscribitur : Lectio IV.

XLVI. Qualiter divino nutu factum fuisse videtur ut sanctus thomas presentem vitam finiret et sepeliretur in monasterio fosse nove (1).

Non vacat autem a divini consilii occulto misterio quod in predicto monasterio fosse nove alterius scilicet et magne religionis sanctus doctor presentem vitam finierit, sepultumque fuerit corpus ejus ubi tot religiosorum fide dignum testimonium visis miraculis defuncti sancti corporis memoriam suscitaret et ipsi compellerentur signis miraculorum clamantibus sanctitatis ejus testes existere, qui cogitaverunt forsan, ne videretur quod claresceret miraculis, occultare quod verisimiliter dubitabant, quod fratres sui ordinis ad habendum corpus ejus majorem conatum ostenderent, si de miraculis ab eis testimonium veritatis haberent (2).

Quis enim de odore sacri corporis ejus fragrante totiens in apertura sepulchri fratribus sui ordinis facile credidisset, quod non fuisset humana sagacitate suppositus, qui fragrabat tam mirabili suavitate diffusus; nisi inter manus eciam occultare volencium odor ipsis mirantibus fuisset aliis manifestatus, qui divina fuerat virtute concessus. Iter quoque, quod ejus morte terminatur et finis quo ejus vita finitur manifeste ostendit in quanta obediencie romane ecclesie vivens servierat et adhuc moriens serviebat.

(3) XLVII. De secundo miraculo odoris facto in secunda apertura sepulchri ejus.

Elapso vero septennio post primam de qua facta est mencio, translacionem corporis sancti thome domnus petrus de castro montis sancti Johannis, tunc abbas monasterii (4), iterato fecit ipsum corpus exhumari et transferri in alium locum honorabiliorem, videlicet in sinistra parte altaris cum itur ad illud,

(1) In Codice Charleville superscribitur : Lectio V.

(2) In Codice Charleville superscribitur : Lectio VI.

(3) In Codice Charleville hic superscribitur : Lectio septima.

(4) De isto abbate Petro graves accusationes narrantur in aliquo documento. (Archiv. Vat., Instrumenta miscellanea, n. 194.)

in sepulchro lapideo marmoreo super terram. In cujus apertura sepulchri odor similis sicut in prima ejus translacione ex ipso corpore emanavit et tam corpus ipsum quam eciam vestimenta sua, capa videlicet, scapulare et tunica sicut prius reperta sunt odorifera, integra et illesa nisi quod modicum deerat de summitate pollicis dextre manus. Cantaveruntque missam sicut de uno confessore sicut fecerant in alia prima vice. Memoratusque itaque abbas qui primae translacioni monachus interfuit et secundam abbas fieri ipse fecit, tandem ipse vir grandevus coram judicibus inquirentibus de mandato summi pontificis de miraculis sancti thome testis juratus de predictis testimonium perhibuit veritati, sicut in ipsa inquisitione plenius continetur.

XLVIII. De tertio miraculo odoris facto in tercia apertura tumuli sancti thome (1).

Placuit deo ad ampliorem et certiorem demonstrandam terrigenis gloriam sancti sui tertio iterare miraculum de conservatione sacri corporis et odore. Quarto decimo itaque anno ab ejus felici transitu abbas predicti monasterii rogatus extitit a domina theodora comitissa sancti severini, sorore sancti thome, ut daret sibi pro reliquiis manum dextram fratris sui. Volens autem abbas satisfacere votis ejus annuit et accedens ad sepulchrum sancti doctoris elevato vix lapide ipsum aperiri fecit. Patefacto autem sacri corporis precioso thesauro tantus odor inde emanavit, tamque mirabiliter se diffudit, quod omnes monachi ad videndum convenerunt (2).

Inventum est autem corpus sacrum odoriferum et integrum in membris et pannis sui habitus sicut prius, excepta summitate nasi que videbatur paululum diminuta. Abbas igitur volens accipere manum dexteram sancti doctoris quam estimabat se posse evellere levi tractu, cum non posset, compulsus est ferro eam a brachio detruncare, eandemque manum cum reverencia detulit ad predictam dominam, quam ipsa

(1) In Cod. Charleville superscribitur : lectio octava.
(2) In Cod. Charleville superscribitur : lectio nona.

cum desiderio expectabat. Quam receptam cum devocione et lacrimis reponi fecit et diligencius conservari in capella castri sui sancti severini cum aliis reliquiis quas habebat.

XLIX. De sanitate a tremore corporis et miraculo odoris ad tactum manus sancti doctoris.

Addidit adhuc deus predictum miraculum de odore amplius iterare, ut ex manus sancti doctoris integritate et odoris repetita suavitate precedencia miracula diuturnitas temporis et testis condicio certius confirmarent. Anno siquidem XLII ab obitu sancti thome abbas thomasius de massia canonicus salernitanus vir bone opinionis et fame cum in capella castri sancti severini salernitane diocesis, ubi tunc manus sancti doctoris custodiebatur, ipse reliquias quererit ad ponendum in quadam capella sancte crucis, quam edificari fecerat, ostensis sibi per capellanum predicti castri sancti severini multis sanctorum reliquiis eisque exhibita reverencia quam debebat, capellanus ultimo ait ei : Adhuc habeo alias preciosiores reliquias, manum videlicet fratris thome de aquino integram, que mirandum divine virtutis monstrat prodigium eo quod post tanti temporis decursum integra conservatur. Qui ex indevocione despiciens et deridens ait : Iste frater thomas non est sanctus, sed fuit sicut unus de aliis fratribus bonus homo. Qui cum verba despectus finisset, nec deo gloriam nec sancto ejus debitam reverenciam reddidisset, incontinenti tremor magnus totius corporis et tumor capitis ipsum arripuit. Videbaturque sibi quod haberet caput grossum ad modum unius magne ciste et nimium ponderosum. In se autem reversus advertens hoc sibi ex tali contemptu non immerito accidisse et penitens cum lacrimis confessus coram sacerdote predicto veniam petiit de peccato, dictamque manum ostendi sibi peciit ut debitam reverenciam sancto penitens redderet, quem despiciens contempsisset. Quam cum humiliter et reverenter cum lacrimis adorasset, fuit a tremore corporis et inflacione capitis subito penitus liberatus. Accedensque propius cum devocione osculatus est dictam manum. Quam cum oscularetur, sensit odorem maximum ex ea progredientem,

qualem et quantum, ut asseruit, nunquam se meminit percipisse. Odor autem ille ex tactu sacre manus sibi et ejus capucio quod tenebat in collo multo tempore sic inhesit, quod ipse et capucium adeo redolebant, illis inter quos conversabatur quod pluribus interrogantibus odoriferum quid secum ferret compellebatur sepius seriem miraculi recitare. Et ex tunc ut asseruit tantam devocionem ad sanctum thomam et confidenciam concepit, quod quociens aliqua sibi temptatio adveniret vel periculum immineret, recommendans se meritis sancti thome et invocans nomen ejus se sensit ab impugnatione et periculo continuo liberatum.

L. De integritate manus dextere sancti thome doctoris et de miraculis odoris.

Cum autem predictum miraculum fuisset domino Thomasio de sancto severino comiti narsici, nepoti sancti thome, pluries ennarratum laudans et glorificans deum de miraculo et cogitans quod predicta manus sancti thome a fratribus predicatoribus reverencius servaretur, ipsam concessit priori et conventui fratrum predicatorum de salerno, ubi usque hodie integra custoditur excepto pollice qui fuit devocione alicujus inde subtractus. Est autem manus ipsa extensa cum pelle, carne, ossibus et unguibus licet exsiccata a suo tamen colore quasi triticeo non mutata. Ex quo evidenter ostenditur non esse sine divino miraculo conservata, ubi cum quidam frater ordinis predicatorum devotus accessisset ad eam sperans quem ab aliis audierat sentire suavitatis odorem non sensit sicut speraverat illa vice. Iterum autem ad ipsam reverencius adorandam cum majori devocione se preparans, cum eandem osculatus fuisset, sensit odorem mirabilem cui similem non recoluit se sensisse. Quod miraculum priori suo retulit et postmodum ad sancti gloriam pluribus ennarravit. Qui odor quia non sentitur ab omnibus qui ipsam adorant, nec quociens adoratur sed tunc cum deo placet et personarum devocio promeretur, caret omni suspicione, quod non sit odor ille humano ingenio procuratus, qui divina extitit virtute concessus nec ullius rei naturalis odor illi similis invenitur.

LI. De excellentia glorie sancti thome fratri Alberto scire desideranti et oranti divinitus revelata.

Vir religiosus et verax devotus ac plurimum litteratus frater albertus de brixia (1) sepius legendo et alias asserebat fratrem thomam esse sanctum sic dicens : Ego scio fratres quod frater thomas doctor magnus sanctus est in celo. De qua assercione tandem a duobus (2) fratribus sciscitatus et cum adjuracione divini nominis familiarius obsecratus, ne nomen domini per quod fuerat adjuratus spernere videretur, ait illis : Karissimi filii et fratres in Xristo vos scitis quomodo doctrinam sancti thome legendo, docendo et scribendo in omnibus sum secutus. Admiratus autem sepius qualiter in tam parvo quo vixit tempore ad tantam sanctitatem vite et scienciam doctrine ac profunditatem scripturarum potuerit pervenire, deum et beatam mariam et beatum augustinum cum devocionis instancia frequencius exoravi ut ostenderetur michi et ejusdem sancti thome gloriam quam habebat. Quadam igitur vice ad oracionem me posui ante altare beate marie virginis hac de causa. Cumque diu attencius cum lacrimis exorassem, vigilanti michi in oracione apparuerunt due reverende persone cum splendore mirabili et ornatu. Quarum una in pontificali habitu et ornatu existens mitram portabat in capite, altera vero erat in habitu fratris ordinis predicatorum coronam auream habens in capite intextam lapidibus preciosis, habebatque circa collum duas aureolas quasi torques, unam argenteam et alteram auream. In pectore vero gestabat unum magnum lapidem preciosum qui splendore mirabili plures ex seipso emittens radios totam ecclesiam illustrabat. In cappa vero qua indutus erat, inserti erant per totum lapides preciosi. Tunica autem et scapulare candore niveo splendescebat. Ego vero stupens et admirans ex visione tam mirabili, projeci me ad pedes eorum orans suppliciter ut indicarent michi qui essent qui tam mirabiles apparebant. Et tunc ille qui mitram gestabat in capite respondit :

(1) De isto Alberto de Brixia vide Quétif et Echard, *Scriptores Ord. Praed.*, t. I, p. 526.
(2) Codex Charleville : multis.

Quid tu frater alberte sic admiraris? Scito quoniam exaudite sunt preces tue et ecce nunc manifesto tibi, quod ego sum augustinus doctor ecclesie, qui missus sum ad te, ut indicarem tibi doctrinam et gloriam fratris thome de aquino, qui hic mecum est. Ipse est enim filius meus, qui doctrinam apostolicam ac meam in omnibus est secutus et ecclesiam de sua illuminavit doctrina; hoc autem designant lapides preciosi et precipue lapis ille magnus quem gestat in pectore, qui designat intentionem rectam quam ad defensionem et declarationem fidei habuit. Lapides enim preciosi sunt libri multi et opera scripture sue que ipse composuit. Ipse vero thomas in gloria michi est equalis, nisi quod virginitatis aureola me precellit, et ego ipsum in pontificalis ordinis dignitate. Hec deposuit testis fidelis et verax juratus frater qui a predicto fratre alberto brixiensi audivit seriem visionis inquisicione de vita et miraculis coram judicibus ad hoc a sede apostolica deputatis.

LII. De canonizatione sancti thome.

Sanctus Thomas de aquino ordinis predicatorum post sollertam inquisicionem factam auctoritate sedis apostolice ut est moris et juris de vita ejus et miraculis, veritate miraculorum comperta fuit per dominum Johannem papam XXII canonizatus et sanctorum confessorum cathalogo annotatus cum sollempnitate debita in hujusmodi consueta, celebratis missarum sollempniis per eumdem dominum pappam in majori ecclesia, assistentibus ibidem sacris indutis vestibus cardinalibus et prelatis apud avinionem ubi tunc pappa cum sua curia residebat XV° kalendas augusti anno verbi incarnati MCCCXXIII pontificatus sui anno septimo, a felici vero transitu sancti thome de hoc mundo quinquagesimo inchoante.

LIII. De numero et nominibus librorum et tractatuum sancti thome doctoris.

Donum autem sciencie et intelligencie collatum divinitus sancto thome evidencius declaratur in multiplici ejus opere

scripturarum. Qui ut scriba doctissimus de thesauro suo protulit nova et vetera, de novo scilicet et veteri testamento et abscondita diversarum scienciarum produxit in lucem. Numerus autem librorum ac tractatuum ac operum ejus que ad dei laudem et fidei dilatacionem erudicionemque studencium tam in philosophicis quam in divinis ipse conscripsit in sequentibus conscribuntur. Scripsit enim super quatuor libros sentenciarum scripta quatuor, primum videlicet et secundum, tercium et quartum, opus siquidem stilo disertum, intellectu profundum, intelligencie clarum et novis articulis dilatatum. Cumque post tres annos sui magisterii redisset in ytaliam tempore urbani pappe existens rome scripsit iterum scriptum super primum sentenciarum sicut testatur in cronica sua dominus frater. Ptholomaeus episcopus torsellanus (1) qui discipulus et auditor ejus fuit, asserens se vidisse illud in conventu luchano, quod nunc non invenitur, quia clam sublatum fuisse creditur et ideo non fuit multiplicatum. Scripsit eciam summam tocius theologie, quam pluribus articulis ampliavit et aliter quam in scriptis suis prioribus secundum exigenciam materie miro ac convenienti ordine per questiones et articulos distinxit, subtilioribus racionibus ipsos determinans et declarans, quos sanctorum doctorum auctoritatibus roboravit. In quo opere cunctis theologiam scire desiderantibus sic utiliter laboravit quod viam sciendi, intelligendi et comprehendendi facilem modum atque compendiosum prius ignotum invenit et tradidit, non absque infusione doni gracie specialis. Summam autem predictam in tres partes distinxit, videlicet in naturalem, moralem et sacramentalem. In quarum prima agit et definit de naturis rerum et primo de divinis, secundo autem de rebus creatis et intitulatur prima pars summe. Secunda autem parte moralem divisit in duo volumina ; in quorum primo agit et definit de virtutibus et viciis in communi et intitulatur prima secunde. In secundo vero volumine agit et determinat descendendo ad materias virtutum et eciam viciorum in speciali et intitulatur secunda

(1) Est Bartholomaeus de Lucca Ord. Praed. 1318 epis. Torcellan. in Italia superiori. (Eubel, p. 516, *Hierarchia Cath.*)
Cf. Quétif et Echard, *Scriptores Ord. Praed.*, t. I, p. 541 et seq.

secunde respectu ejusdem materie. Est autem ornata philosophorum dictis et racionibus et sanctorum auctoritatibus roborata. Tertia autem pars summe et quartum volumen ejusdem, que ideo sacramentalis vocatur quod in ea agitur de sacramentis Xristi et ecclesie et de toto misterio incarnationis filii Dei. Et intitulatur ultima pars summe, quod finis est aliarum et ultimo facta fuit. In qua scribendi et vite sue finem fecit et morte preventus incompletam reliquit. Scripsit etiam librum qui intitulatur summa contra gentiles, quem quatuor libris distinxit. Est autem opus stilo disertum et racionum novitate et subtilitate profundum. In quo precipue opere cum ipsum scriberet frequenter inventus est a sensibus exterioribus sic abstractus ut videretur totaliter divinis intentus. Non autem absurdum alicui videatur quod prefatus doctor tam in scriptis suis quam etiam in summa sepius ubi convenit ad propositum, utatur scienciis secularibus et humanis philosophorum et ethnicorum, cum ab eodem intellectu divino subjecta omnium scienciarum prodeant a quo divine sapiencie veritates emanant, cui omnes sciencie jure subserviunt ut ancille. Scripsit eciam ad mandatum domini pape Urbani super quatuor evangelia opus insigne miro contextuum ordine ex dictis et auctoritatibus sanctorum, ex quibus sic uniuscujusque evangelistarum quatuor continuavit hystoriam; quasi unius doctoris videatur esse lectura. Fertur quoque scripsisse exposicionem super evangelia dominicalia tocius anni, que vix aut rarissime reperitur. Item mandante sibi domino urbano papa dictavit et ordinavit totum officium ecclesiasticum de corpore Xristi, tam diurnum quam nocturnum quam eciam misse. Scripsit quoque postillam super evangelium johannis, maxime super quinque capitula proprio stilo, residuum vero dicitur reportasse, ipso legente, frater raynaldus socius ejus quod postmodum idem doctor correxit et approbavit. Scripsit eciam postillas super epistulam pauli ad romanos; item super epistulam ad corinthios, item super epistulam pauli ad hebreos usque ad undecimum capitulum. Ab inde vero sunt postille, ejus super sequentes epistulas pauli reportate per predictum socium suum post ipsum legentem quod idem doctor fertur postmodum correxisse. Scripsit eciam super ysaiam postillam

que raro invenitur, in cujus passu quodam textus difficili post oraciones et lacrimas ejus sanctorum apostolorum petri et pauli, qui ipsum instruxerunt, habuit visionem. Scripsit quoque super Job ad litteram, quam nullus doctor litteraliter sic sicut ipse exponere attemptavit. Scripsit eciam super jheremiam et super trenos et super cantica canticorum. frater vero raynaldus socius ejus dicitur reportasse postillam super tres nocturnos psalterii, ipso legente, que incipit : in omni opere suo dedit confessionem sancto. Item idem frater raynaldus reportavit super primum librum de anima, lecturam vero super matheum que defectiva est; frater petrus de andria dicitur reportasse. Scripsit eciam idem doctor non parva volumina questionum de diversis materiis per diversos articulos distinguens et prosequens et elucidans veritatem, que intitulantur questiones de veritate. Item questiones de potentia Dei. Item questiones de anima. Item quèstiones de virtutibus. Item questiones de malo. Item questiones de spiritualibus creaturis. Item scripsit XI quodlibet disputata. Scripsit eciam super philosophiam aristotelis, super librum phisicorum, super metaphisicam, super tres libros de celo et mundo, super librum de generatione et corruptione, super duos libros metheororum, super secundum et tercium de anima. Super librum de sensu et sensato, super librum de memoria et reminiscencia, super librum ethicorum, super quatuor libros politicorum, super librum de causis, et proposiciones. Procculi (2), super librum primum et secundum posteriorum, super librum peri armenias.

LIV. Sequitur de opusculis sancti thome doctoris

Scripsit eciam sanctus Thomas doctor diversos tractatus et libellos ad instanciam diversarum personarum, quibus sicut ei mittebant dubia, dabat ipse de veritate responsa. Qui tractatus collecti in unius voluminis corpore ipsum efficiunt satis magnum. Et intitulantur communiter opuscula sancti thome. Et

(1) De Petro de Andria vide Quetif et Echard, *Scriptores Ord. Praed.*, I, p. 532, et P. Innocenzo Taurisano, *Miscellanea*, p. 132 sqq.

(2) Codex Charleville : Protuli.

possunt coordinari in uno volumine ad beneplacitum ordinantis quia unus ab alio non dependit. Sunt autem numero circiter quadraginta paulo plus minusve, quorum nomina et principia in sequentibus subnectuntur, videlicet tractatus de principiis nature ad fratrem silvestrum qui incipit : quoniam quidam potest esse et licet non sit. Tractatus de natura materie, qui incipit : quoniam de principiis sermo habitus est. Tractatus de quatuor oppositis qui incipit : quoniam quatuor sunt opposiciones. Tractatus de principio individuacionis, qui incipit : quoniam due sunt potencie cognoscitive in homine. Tractatus de natura instantis seu de instantibus, qui incipit : quoniam omnem duracionem concomitatur instans. Tractatus de verbo seu de natura verbi, qui incipit : Ad intellectum hujus nominis quod dicitur verbum. Tractatus de natura verbi intellectus qui incipit : Quoniam circa naturam verbi intellectus sine quo ymago trinitatis non invenitur in homine expressa. Tractatus de motibus corporis seu de actionibus et operationibus occultis nature ad quemdam militem ultramontanum qui incipit : quoniam in quibusdam naturalibus corporibus. Tractatus de motu cordis ad magistrum philippum de castro celi qui incipit : quoniam omne quod movetur. Tractatus de quidditate entium seu de ente et essentia ad fratres et socios qui incipit : quoniam parvus error in principio. Tractatus de demonstracione qui incipit : Ad habendam cognitionem. Tractatus de fallaciis ad quosdam nobiles artistas qui incipit : quia logica est rationalis sciencia. Tractatus de angelis seu de substantiis separatis ad fratrem raynaldum qui incipit : quia sacris angelorum sollempniis. Tractatus contra errorem averroistarum de unitate intellectus qui incipit : sicut omnes homines naturaliter scire desiderant. Tractatus de sortibus, utrum sortibus sit utendum ad dominum Jacobum de burgos qui incipit : Postulavit a me vestra dilectio. Tractatus de indiciis astrorum utrum liceat eis uti ad fratrem raynaldum qui incipit : quod petisti ut tibi scriberem. Tractatus de regimine judeorum ad ducissam brabancie qui incipit : Excellencie vestre recepi litteras. Tractatus responsionum ad quadraginta tres articulos ad magistrum ordinis qui incipit : Reverendo in Xristo patri. Tractatus, in quo continetur respon-

sio ad multos articulos ad fratrem gerardum lectorum bisuntinum qui incipit : karissimo sibi in Xristo. Tractatus in quo continetur responsio ad triginta sex articulos ad lectorem venetum qui incipit : Lectis litteris vestris inveni. Tractatus ad urbanum papam contra errores grecorum qui incipit : Libellum ab excellencia vestra michi exibitum. Tractatus de regimine principum ad regem cipri qui incipit : Cogitanti michi quid offerem regie celsitudini dignum. Tractatus de propositionibus modalibus qui incipit : Quod propositio modalis. Tractatus de eternitate mundi, utrum possit esse ab eterno qui incipit : Supposito secundum fidem catholicam (1). Tractatus continens exposicionem salutationis angelice Ave gracia plena qui incipit : in salutatione ista continentur tria. Tractatus continens exposicionem oracionis dominice pater noster, qui incipit : inter alias oraciones dominica oracio principalior invenitur. Tractatus de articulis fidei et ecclesie sacramentis ad archiepiscopum panormitanum qui incipit : postulavit a me vestra dilectio, ut de articulis fidei et ecclesie sacramentis. Tractatus in quo continetur brevis declaratio quorumdam articulorum fidei, quos impugnant greci et armeni et sarraceni ad cantorem antiochenum qui incipit : beatus petrus apostolus. Tractatus continens exposicionem prime decretalis de summa trinitate firmiter credimus, qui incipit : salvator noster. Tractatus continens exposicionem secunde decretalis dampnamus et reprobamus qui incipit : quoniam quidam perfectionis ignari. Tractatus de forma absolucionis sacramentalis ad magistrum ordinis, qui incipit : perlecto libello. Tractatus de mixtione elementorum qualiter sunt in mixto ad magistrum philippum, qui incipit : dubium apud multos esse solet. Tractatus continens exposicionem super librum boetii de ebdomadibus qui incipit : precurre prior in domum tuam. Tractatus super librum boetii de trinitate, qui incipit : ab initio nativitatis mee investigabo. Tractatus continens exposicionem librorum dyonisii de divinis nominibus. Tractatus de perfectione christiane religionis propositum. Tractatus contra impu-

(1) Tractatus continens expositionem simboli « Credo in Deum » qui incipit : Primum quod est necessarium Christiano.
Istud opusculum omittitur a Codice Charleville.

gnantes religionem videlicet contra guillermum de sancto amore et sequaces ejus qui incipit quoniam ecce inimici tui sonuerunt. Tractatus qui intitulatur compendium theologie ad fratrem rainaldum, qui incipit : eterni patris filius. Tractatus de preceptis quod lex amoris fuit homini necessaria. Tractatus de fato qui incipit : queritur de fato an sit.

LV. Sequitur de miraculis patratis a deo meritis sancti thome

Dominus sanctum suum mirificavit miraculis ac prodigiis magnis que relatione et assertione fide digna plurimorum comprobata sunt. Hec autem sunt miracula collecta per ordinem ex processu.

1. *De milite sanato a dolore et immobilitate brachii ad tumulum sancti thome* (1).

Dominus petrus grassus de neapoli miles regis et consiliarius per decem circiter menses (2) privatus extiterat virtute naturali et solito usu brachii sui dextri adeo quod nec de ipso brachio nec de manu poterat se juvare. Hic Romam vadens peregre, dum esset in via iter faciens prope monasterium fosse nove, occurrit ei memoria sancti thome de aquino. Et tunc mente concepit spem et fiduciam sumpsit quod de passione brachii sui posset ejus meritis liberari. Vovitque se in animo suo ad ejus sepulchrum accedere et accessit. Flexisque genibus in terra ibidem oravit deum ut sancti thome meritis perciperet deperditi brachii sanitatem. Et extenso toto corpore suo super sepulchrum ejus mox sensit redditam sibi virtutem deperditam brachii supradicti. Convertensque se ad socios, qui secum erant, manifestavit illis factum sibi miraculum meritis sancti thome.

2. *De alio milite sanato a gravi dolore et humore oculorum ad tumulum sancti thome* (3).

Dominus Jacobus capuanus de neapoli miles cum haberet

(1) Quaedam differentiae inveniuntur cum miraculo a Bollandistis N. 117 enarrato.

(2) Apud Bollandianos « per annum et amplius ».

(3) Apud Bollandianos, quoad sensum, idem narratur n° 119.

in oculis humorem sanguineum ex quo gravem dolorem paciebatur in ipsis pergens romam peregre cum alio milite superius memorato audita fama sanctitatis sancti Thome de aquino concepta devocione ad eum declinavit ad monasterium fosse nove et cum magna devocione ante sepulcrum ipsius sancti thome flexis genibus inclinans caput suum super sepulcrum ejus et oculis suis tangens ipsum oracionemque faciens ut deus meritis sancti thome liberaret eum ab egritudine oculorum exsurgens inde statim fuit penitus liberatus.

3. *De medico podagrico sanato ad tumulum sancti thome* (1).

Magister raynaldus medicus cirurgicus de castro sancti Laurentii de valle prope monasterium fosse nove per decem annos morbo podagre impotens extiterat, ita quod sine sustentacione baculorum sub ulnis seu brachiis suis aut adminiculo aliorum stare vel ambulare non poterat. Hic audita fama sancti thome cum esset in monasterio fosse nove cum magna devocione portari se fecit ad tumulum ejus et per aliquam moram prostratus jacens ibidem facta oracione sanus et incolumis ex toto inde surrexit et per se ipsum libere ambulavit, videntibus monachis qui aderant et eum noverant. Qui viso miraculo factoque classico (2) campanarum congregati in choro Te deum laudamus sollempniter cantaverunt.

4. *De fratre converso liberato a gravi egritudine et illusione dyabolica ad tumulum sancti thome* (3).

Frater petrus francisci de Piperno monachus conversus monasterii fosse nove, antequan esset factus conversus sed serviret in dicto monasterio ex quadam illusione dyabolica cujusdam fantasmatis monstruosi gravem incurrit egritudinem. Apparuit enim sibi quidam quasi homo pilosus, qui videbatur sibi habere staturam seu figuram canis et faciem quasi hominis pilosam atque terribilem et ex eo exiebat magnus et abhominabilis fetor. Ex quo fantasmate sic territus fuit tantusque timor eum invasit, quod omnem virtutem sui corporis perdi-

(1) Istud miraculum narratur in primo Processu Inquisition... et habetur apud Bollandianos n° 13.

(2) Classicum = pulsatio omnium campanarum campanalis. Cf. du Cange, *Glossarium*.

(3) Narratur quoad sensum apud Bollandianos n° 73.

dit nec loqui potuit usque in sequentem diem; manusque digiti ejus se contracti fuerunt quod extendere aliquatenus non valebat. Pedesque facti sunt ei insensibiles ita quod non poterat se movere. Sicque deportatus de monasterio ad domum matris sue apud pipernum in lecto jacens permansit octo diebus. Mater vero ejus pro salute filii sollicita et consulta ut eum commendaret sancto thome de aquino fecit eum reportari ad tumulum ejusdem sancti in monasterio fosse nove. Ubi positus super dictum tumulum stansque per aliquam horam modicam surrexit inde subito sanus factus et plenarie liberatus ambulans et deum laudans et postea factus est monachus conversus dicti loci.

5. *De liberato a mortis periculo ex gravi tussi voto emisso ad sanctum thomam doctorem* (1).

Magister Matheus johannis leonis de piperno oblatus monasterii fosse nove gravissima tussi sic vexatus fuit dum esset apud roccam siccam quod loquelam amiserat et se moriturum certissime tunc putabat. Hic intra se orans et sancti thome implorans suffragium vovit se visitaturum tumulum sancti thome. Qui statim emisso voto fuit plenarie liberatus et votum quod promiserat adimplevit.

6. *De sanato a gravi febre et apostemate facto voto ad sanctum thomam* (2).

Frater Johannes dictus de solanis ex febre et apostemate sic graviter vexabatur, quod medici de salute et vita ejus penitus desperabant. Qui pro salute sua recuperanda sancto thome se devovit et facto voto fuit a predicta egritudine subito liberatus.

7. *De monacho converso sanato a dolore brachii vehementi ad tumulum sancti thome* (3).

Frater Leonardus de piperno monachus conversus monasterii fosse nove cum dubitaret de miraculis sancti thome requisitus ut ferraret duos mulos duorum fratrum predicatorum, qui illuc venerant pro inquirendis miraculis ejusdem sancti thome, de cujus cannonizatione tunc temporis tractabatur,

(1) Latius hoc miraculum enarratur apud Bollandianos n° 98.
(2) Apud Bollandianos n° 85.
(3) Bollandiani habent : Sclavis.

ferrare noluit. Erat enim faber ferrarius, sed mente concepit et in mente sua dixit : O quantum infestant nos et attediant isti fratres predicatores occasione istius fratris thome. Si fuit ita sanctus ut aiunt, faciat aliquod magnum miraculum ita videlicet quod isti fratres predicatores hinc recedant et hic amplius non moventur. Statimque percussus est in brachio dextro tali ac tanto dolore, quod illud movere non poterat nec ponere ad os suum nec opus aliquod facere cum eodem. Sicque permansit usque in sequentem diem. Recordatus vero quod male conceperat adversus sanctum et penitens de peccato, ivit ad tumulum sancti thome et appodiato brachio ad sepulcrum stans ibi per horam oransque et implorans sancti thome suffragium statim consequutus fuit dicti brachii sanitatem, ferravitque postmodum cum magno gaudio dictos mulos.

8. *De monacho liberato a gravissimo dolore et apostemate intestinorum* (1).

Frater Johannes de adelasia sacerdos et monachus monasterii fosse nove gravatus et vexatus extitit gravissimo quodam dolore apostematis intestinorum, unde mori ipse credebat et judicio sui medici naturaliter inde mori debebat. Hic corde compunctus cum tota mentis devotione et lacrimis invocavit suffragium sancti thome sibi fieri in salutem. Quo facto subito per quemdam vomitum et secessum emisit carnem et sanguinem, fuitque ab ipso dolore et mortis periculo totaliter liberatus meritis sancti thome.

9. *De sanato ab immobilitate dextri brachii facto voto ad sanctum thomam doctorem ecclesie* (2).

Nicholaus de massimo pipernensis ex quadam percussione sibi facta ab inimicis sic graviter in dextro brachio extitit vulneratus quod os ipsius brachii quod jungitur humero erat totaliter ab invicem separatum. Licet autem arte et opere medicorum caro super ipsum os brachii esset solidata, tamen os remanebat divisum et disjunctum ab humero. Propter quod remansit brachium immobile, nec ex eo poterat aliquid ope-

(1) Apud Bollandianos n° 84.
(2) Apud Bollandianos n° 93.

rari. Hic quodam sero devocione concepta ad sanctum thomam votum vovit, quod ejus tumulum visitaret et brachium cereum offerret, si salutem ipsius meritis obtineret. Facto autem mane sensit se totaliter liberatum, ita quod brachium movere potuit et operari sicut prius libere cum eodem; gaudensque ea que promiserat, adimplevit, videntibus monachis et diligenter perscrutantibus rem gestam et palpantibus ipsum brachium curiose.

10. *De monacho liberato a febre emisso voto ad sanctum thomam* (1).

Frater Jacobus de freselone (2) sacerdos et monachus monasterii fosse nove dum ex quadam febre gravissime torqueretur, devocione concepta devovit se sancto thome, promittens se facturum votum seu ymaginem de cera ad ejus tumulum, et emisso voto fuit a predicta febre plenarie liberatus.

11. *De monacho sanato a morbo podagre meritis sancti thome de aquino* (3).

Frater petrus de fundis sacerdos et monachus monasterii fosse nove tempore quo fiebat inquisitio de vita, conversatione et miraculis sancti thome, paciebatur in pede sinistro morbum podagre cum vehementi dolore, dolensque in corde suo quod non posset ire neapolim ad testificandum de miraculis sancti thome, cum ipse non reputaret se dignum posse suis meritis obtinere, rogavit fratrem Guillermum de thoco ut intercederet pro eodem ad sanctum thomam ut a morbo podagre suis meritis sanaretur, ut sanatus posset ire neapolim cum aliis ad testificandum de miraculis ejusdem sancti thome que viderat et audierat. Orante autem pro ipso dicto fratre sanctum thomam, statim fuit ab ipso morbo et dolore ejusdem sancti meritis plenarie liberatus, ita quod libere ambulavit nullumque dolorem sensit et ivit neapolim ad testificandum cum aliis liber et sanus.

(1) Apud Bollandianos n° 87.
(2) Bollandiani habent : Feresalon.
(3) In primo processn Inquisitionis n° 40 apud Boll.

12. *De puero paralitico sanato ad tumulum sancti thome.*

Jacobus romanus de piperno filium habuit puerum nomine nicholaum gravi paralisi in sinistro latere dissolutum. Quem paraliticum portavit ad monasterium fosse nove et cum devocione ipsum posuit super tumulum sancti thome implorans ejus auxilium ac suffragium pro salute filii obtinenda. Cumque puer stetisset ibidem donec missa, que tunc cantabatur in ecclesia, esset completa, in fine misse pater filium suum sanum et incolumem gaudens inde levavit, ubi paulo ante tristis paraliticum collocavit videntibus et congaudentibus pluribus monachis qui adstabant.

13. *De magistro Mateo contempnente sancti thome reliquias punito et de ipso poenitente sanato meritis sancti thome* (1).

Matheus de macia canonicus salernitanus cum edificaret quamdam capellam in honorem sancte crucis et sollicite quereret sanctorum reliquias quas posset ponere in eadam accessit ad capellam castri sancti severini salernitane dyocesis peciitque a dompno Matheo cappellano ejusdem capelle, ut sibi ostenderet sanctorum reliquias quas habebat. Qui ostensis sibi pluribus sanctorum reliquiis eas reverenter vidit. Postmodum vero dictus capellanus subjunxit se pretiosiores hic reliquias (habere) manum videlicet sancti thome de acquino. Ipse vero derisive hoc recipiens ait, frater thomas non est sanctus, sed sicut quidam frater praedicator in ordine bonus homo. Et sic videre respuit dictam manum. In continenti vero arripuit eum quidam tremor corporis et tumor capitis ita quod videbatur ei, quod habeat caput ponderosum et grossum ad modum unius magne ciste. Deinde in se reversus dolens et penitens de hiis que dixerat et de incredulitate sua cum lacrimis veniam peciit et predicto cappellano confessus fuit. Et sic cum devotione ad adorandum et osculandum manum sancti thome accessit. In cujus osculatione fuit a tremore corporis et tumore capitis subito liberatus et sanus effectus sensitque maximum odorem ex dicta manu progredientem et ex contactu ejusdem manus cum capucio quod tenebat in

(1) Hoc miraculum omittitur in Cod. Charleville.

collo, tam ipse quam ejus capucium adeo redolebant quod per longum tempus videbatur illis, inter quos conversabatur, quod ipse muscum aromaticum secum ferret. Et ex hoc oportebat eum predicta omnia et ipsum miraculum sepius tanti odoris causam interrogantibus recitare. Sensit quoque tantam consolacionem, tantamque confidenciam ex tunc habuit ad sanctum thomam, quod si aliquando temptaretur de peccato, recurrens ad eum et implorans ejus auxilium, statim peticionis sue salutarem consequebatur effectum.

14. *De sanato a doloribus iliacis ad tumulum sancti thome.*

Frater Landulphus de neapoli ordinis predicatorum qui fuit postmodum episcopus equensis et tandem archiepiscopus Acheruntinus (1) cum quadam vice vadens versus romanam provinciam, declinasset ad monasterium fosse nove, existens ibidem subito arripuerunt eum magni et gravi dolores iliaci propter quos prorupit in magnos clamores. Ad cujus clamores monachi concurrentes, compacientes eidem consuluerunt ut uteretur remedio, quo ipsi in suis infirmitatibus et doloribus utebantur et sepius curabantur videlicet ut corrigiam qua accintus erat, super sepulcrum sancti thome poneret et seipsum prosterneret super illud. Qui cum magna devocione concepta ad sanctum thomam quem in vita sua noverat et credebat esse magni meriti apud deum, ita fecit et statim surrexit perfecte sanatus nec ex tunc predictos dolores sensit, quos frequenter alias solitus erat pati,

15. *De muliere sanata ab inflacione gutturis meritis sancti thome doctoris.*

Margarita mulier de piperno ab annis puericie sue habebat guttur grossum et valde inflatum ex congregacione humorum. Ob quam deformitatem recusabat eam traducere Nicholaus qui eam subarraverat sponsus ejus. Hec cum matre sua nomine belicia auditis miraculis sancti thome cum magna devocione ad monasterium fosse nove accessit. Ubi ad portam dicti

(1) Juxta Eubel « Hierarchia cath. medii aevi », iste Landulphus c. annum 1301 fuit electus episcopus Aequensis (Vico Equense) suffr. Surren. et anno 1307 translatus ad archiepiscopatum Acheruntinum (Acerenza).

monasterii, allato capite sancti thome per sacristam monachum ejusdem loci et apposito gutturi sic inflato et facta oracione et implorato suffragio sancti thome rediens inde mulier in regressu evomuit humores conglutinatos ad instar frustri carnis, fuitque subito ab predicta infirmitate et deformitate gutturis plenarie liberata meritis sancti thome.

16. *De muliere ydropica sanata ad tactum reliquiarum sancti thome.*

Stephania mulier de rocha sicca, habitatrix castri sompnini ydropica et toto corpore turgida veniens ad portam monasterii fosse nove rogavit ut portarentur ei reliquie sancti thome cujus meritis se credebat posse sanari. Et facta oracione ibidem et applicatis ad pectus infirme reliquiis recessit et in via recedendo fuit ab ipsa infirmitate plenarie liberata meritis sancti thome.

17. *De muliere paralitica sanata emisso voto ad sanctum thomam.*

Paupercula quedam mulier de carpeneto nomine maria de nicholao decennio paralitica fuerat, que tremens et repens venit ut potuit ad colligendum spicas in agris monasterii fosse nove. Quam videntes monachi compacientes eidem dixerunt ut sancto thome se commendaret et ejus meritis sanaretur. Que devocione concepta devovit se sancto thome promittens se deferre candelam accensam ad ejus tumulum. Que facto voto statim fuit ab omni infirmitate corporis totaliter liberata.

18. *De sanato a gravi dolore coxe et inguinis meritis sancti thome.*

Nicholaus de leone de sompnino ex gravi coxe et inguinis dolore pegravatus emisso voto ad sanctum thomam quod ejus tumulum discalciatis pedibus cum lapide suspenso ad collum in crastinum visitaret, fuit confestim a dolore plenarie liberatus et quod voverat adimplevit.

19. *De sanato a dolore et febre emisso voto ad sanctum thomam.*

Jacobus filius petri de tibaudo de piperno cum pateretur

dolorem vehementem in dextro brachio ac quartanam febrem, vovit sancto thome se iturum ad ejus tumulum et discalciatis pedibus et portaturum candelam accensam et quod faceret ibidem decantari missam ut ejus meritis curaretur. Qui facto voto statim fuit a dolore et febre pariter liberatus.

20. *De illuminato a cecitate oculorum ad tumulum sancti thome.*

Petrus balyva de piperno cecitatem incurabilem incurrerat oculorum nichilque videbat. Hic adductus ad sepulcrum sancti thome devote ibidem orans, ut visum recipere mereretur, surrexit inde plene illuminatus et recepto lumine gaudens sine quo tristis advenerat, rediit domum suam.

21. *De visu oculi prius perdito, recuperato facto voto ad sanctum thomam.*

Nicholaus meleus de castro pascencii ex quadam percussione visum amiserat in altero oculorum. Qui transitum faciens prope monasterium fosse nove, recordatus fuit de miraculis que audiebat fieri meritis sancti thome. Et devovit se idem sancto orans cum devocione ut restitueret sibi visum. Et facto voto mox recuperavit visum et vidit ita clare sicut prius antequam fuisset in oculo vulneratus.

22. *De sanato ab inflatura gutturis ad tactum reliquiarum sancti thome.*

Jacobus marcellucii de piperno habens magnam inflaturam in gutture a nativitate sua venit cum devocione ad tumulum sancti thome ut salutis remedium inveniret. Cumque ad ejus devotam instantiam reliquie sancti thome fuissent per sacristam apposite gutturi patientis, ad contactum reliquiarum fuit ab illo incommodo plenarie liberatus.

23. *De nobili devoto ad sanctum thomam cui predixit liberationem a persecutione imminenti.*

Vir quidam nobilis sancto thome devotus, cum esset in quadam gravi persecutione, rogavit sanctum thomam ut sibi assisteret et eum a persequentibus se liberaret. Et circa mane diei sanctus thomas apparuit ei in habitu in quo consueverat eum videre visibiliter dum vivebat, dicens ei : Ne timeas quia liberaberis et non prevalebunt adversum te adversarii tui. Post

modicum itaque tempus fuit sicut sanctus predixerat sopita turbacio et quietata furia persequentis et ipse liberatus est in auxilio oportuno.

24. *De curato a duplici tertiana emisso voto ad sanctum thomam doctorem.*

Cesarius de dompno de neapoli dupplici terciana laborans, cum ex hoc esset debilissimus jam effectus et medicus ejus de ipso non modicum dubitaret ut deficeret, persuasus a religioso viro Guillermo de thoco seipsum sancto thome se devovit, promittens se ejus tumulum visitare si ab infirmitate illa suis meritis sanaretur. Et facto voto statim in ipso paroxismo duodecime diei qui expectabatur gravissimus affuturus, reliquit eum febris.

25. *De fratre sanato a gravi dolore in renibus facto voto ad sanctum thomam doctorem.*

Frater martinus de apicio ordinis predicatorum in conventu sancti dominici apud neapolim per dies duodecim dolore renum sic graviter vexabatur quod nec incedere nec de lecto surgere poterat propter vehemenciam doloris. Hic assumpta fiducia et devocione concepta ad sanctum thomam, de quo audiverat tot miracula recitari, votum fecit quod si ejus meritis a predictis doloribus curaretur, deinceps in vesperis et in matutinis memoriam faceret de eodem. Qui emisso voto statim consecutus est plenariam sanitatem.

26. *De fratre liberato a gravi dolore in collo ad reliquias sancti thome.*

Frater thomas de adversa dolorem vehementem paciebatur in collo usque ad brachia, ita quod caput suum hinc inde vertere non poterat nec reclinare in lecto ad dormiendum, sed oportebat ut sedendo et recumbendo quasi rectus dormiret per octo dies. Qui postquam tactus fuit in collo suo cum reliquiis sancti thome, sensit se alleviatum et sequenti mane plenarie liberatum.

27. *De quodam sanato mirabiliter bina vice voto emisso ad sanctum thomam.*

Magister matheus de viterbo capellanus domini archiepiscopi

neapolitani qui unus fuit ex duobus qui portaverunt ad curiam apud avinionem inquisitionem factam de miraculis sancti thome, infirmabatur dupplici terciana in domo domini Jacobi de viterbo canonici neapolitani adeo graviter quod de morte ipsius sperabatur potius quam de vita. Prefatus vero Jacobus auditis miraculis sancti thome compaciens infirmanti votum emisit se visitaturum una cum predicto matheo tumulum sancti thome, si ejus meritis curaretur. Quo voto emisso adveniente die et hora accessionis future se sensit totaliter liberatum. Cumque predictus magister matheus post convalescenciam dono dei adeptam de consilio medici inconsulte quandam medicinam accepisset que nullam evacuationem operaretur, quin pocius accidencia gravia generaret adeo quod ex hoc videbatur quasi agere in extremis, ipse penitens quod de sanitate dono dei accepta et adepta contentus non fuisset, ut debuerat, supradictum votum sequenti superaddito corroborat et confirmat, sancti thome implorans auxilium ut eum liberaret a predicto mortifero accidenti. Et subito absque alterius medicine assumptione, cepit prima operari ita quod statim alleviationem recepit et continuo totius corporis sanitatem.

28. *De illo qui numquam pisces comederat, quos penitus abhorrebat, cui sapor piscium fuit concessus divinitus meritis sancti thome doctoris.*

Predictus magister matheus de viterbo quinquagenario major ab infantia sua piscibus vesci non potuit, nec unquam usus fuerat, ymo sic natura ejus saporem et odorem piscium abhorrebat quod si aliquando importunis instanciis aliquorum comedere vel modicum attemptasset, rejicere per vomitum oportebat, aut febrem incurrebat. Cum autem venisset ad curiam apud avinionem deferens cum collega suo inquisitionem factam de miraculis sancti thome, adveniente tempore quadragesime, in principio quadragesime inchoantis rogavit ipse sanctum thomam ut piscium abhominationem repelleret ab eodem ut cum sodalibus illo tempore absque sui et ipsorum gravi fastidio posset convivere. Et ecce sibi dormitanti in nocte sequenti videbatur mensa apponi et a quodam fratre in habitu predicatoris allatus et presentatus curialiter fuit sibi

piscis dicendo : Magister mathee comede quod frater thomas mittit tibi hunc piscem et sicut iste sic alii deinceps sapient tibi pisces. Tunc ut sibi videbatur, comedit sapide et avide dictum piscem. Evigilans autem deo gracias egit et sociis cum gaudio retulit, peticionem quam sancto thome fecerat et oracionem quam premiserat et seriem visionis. Hora itaque prandii veniente pisces coram eo deferuntur. Quos ita sapide cum aliis cepit comedere, sicut prius videbatur sibi in visione sapide comedisse. Consequenter etiam deinceps piscibus vescens a tremore quodam manuum liberatus fuit, quem comedendo prius acrumina (1) frigida incurrisset. Hoc autem ipse in curia coram cardinalibus diligentius examinatus juratus deposuit et probatum extitit assertione fide digna plurium qui ipsum noverant et cum ipso conversati fuerant annis multis et viderant ipsum pisces prius abhorrentem et posterius comedentem. Fuitque in consistorio recitatum et in curia divulgatum.

Miracula que sequentur extracta sunt de secunda inquisitione.

29. *De sanato a gravi dolore et lesione corporis emisso voto ad sanctum thomam.*

Petrus boccaci de piperno ex casu quo cecidit de equo graviter fuit lesus in facie et in utroque latere. Et cum dolore nimio gravaretur, facto voto ad sanctum thomam, quod ejus tumulum visitaret et votum unum argenteum illuc ferret, statim dormire cepit et postmodum a sompno excitatus invenit se penitus liberatum et quod voverat, adimplevit.

30. *De curato (a) gutta arthetica et dolore ad tumulum sancti thome.*

Frater Nicolaus zappi de piperno conversus monasterii fosse nove antequam esset monachus infirmitatem artheticam in ambabus manibus multo tempore passus fuit, qua manus erant sibi quasi inutiles et dolorose. Hic post ingressum religionis devocione concepta ad sanctum thomam devovit se eidem ut cum a dicta infirmitate et dolore suis meritis libe-

(1) Italice : agrume.

raret. Et accedens ad sepulcrum ejus flexis genibus super ipsum posuit ambas manus. Et post modicum spacium temporis cum orasset ibidem in continenti sanus et liber a dolore penitus exsurrexit.

31. *De sanato a gravi dolore brachii et spatule ad tumulum sancti thome.*

Frater Manuel de piperno conversus monasterii fosse nove cum gravem dolorem in brachio dextro et spatula pateretur, nec inveniret aliquod remedium medicine et brachium suspensum portaret a collo in panno lineo dependente per tres menses et amplius, accedens ad tumulum se posuit super ipsum implorans sancti suffragium et disponens in animo suo quod annis singulis in die festi sui daret viginti solidos pro pictantia conventui, si eum suis meritis liberaret. Statimque obdormivit ibidem et excitatus invenit brachium extractum de lintheo quo suspensum ad collum portabat totaliter esse sanum. Nec ex tunc dolorem sensit in brachio nec in spatula meritis sancti thome.

32. *De muliere sanata a febre facto voto ad sanctum thomam.*

Gemma mulier de piperno cum a gravi febre per mensem afflicta fuisset ad consilium germani sui viri religiosi, monachi monasterii fosse nove, facto voto sancto thome, quod si eam liberaret, ejus tumulum cum voto argenteo visitaret, statim fuit a febre penitus liberata.

33. *De sanato a dolore in renibus ad tumulum sancti thome.*

Leonardus, filius raymundi sarraceni de piperno, tantum dolorem paciebatur in renibus quod vix poterat se movere nec incedere recte. Qui accedens ad tumulum sancti thome et se ponens supra ipsum et sancti implorans suffragium pro sua liberatione voto emisso quod rediret iterum cum candela, statim liberatum se sensit. Et rectus surgens, incolumis ad domum suam rediit et sanatus.

34. *De corruente conservato a periculo meritis sancti thome.*

Bartholomeus leonardi de piperno casu corruens de quodam loco valde eminenti, dum rueret clamans ait : Beate thoma

de aquino adjuva me. Sicque rectus ad terram pervenit et statim inde venit ad tumulum sancti thome ubi flexis genibus gracias agens sibi, sine omni dolore inde surrexit et cum quodam coetaneo suo petro nomine invitato si vellet secum currere, currens precucurrit cicius petro.

35. *De curato a febre continua voto emisso ad sanctum thomam de aquino.*

Frater Marchus theobaldi de piperno monachus conversus monasterii fosse nove gravi febre continua laborans per decem dies, sancti thome implorans suffragium votum vovit quod missam in ejus honorem faceret celebrari et voto emisso obdormiens post sompnum invenit se sic a febre sanatum quod a domo in qua infirmus jacebat exiens per monasterium libere ambulavit.

36. *De muliere sanata a tumore gutturis voto emisso ad sanctum thomam.*

Jacoba valdebruni de sompnino tumorem grandem et grossum ad quantitatem duorum pugnorum hominis paciebatur in gutture, ita quod vix respirare poterat, nec eciam intelligibiliter loqui. Que dum pergeret pipernum ad cirurgicum ut incideretur in eo, constituta in itinere viso campanili monasterii fosse nove devocione concepta ad sanctum thomam se devovit eidem rogans eum ut absque incisionis periculo perciperet sanitatem veniensque ad cirurgicum ostendit illi tumorem gutturis, quo viso deliberavit cirurgicus, tumorem ipsum cum ferro in crastino aperire. In crastino autem, quo debebat incidi nullum vel quasi modicum tumorem habuit in gutture, videns cirurgicus eam esse sanatam noluit eam nec oportuit incidere aut contingere ferro. Sicque ad domum propriam sanata meritis sancti thome cum gaudio est reversa.

37. *De puella sanata a gravi dolore et clamore meritis sancti thome de aquino doctore.*

Maria puella septem annorum filia landulphi de castro sompnini dolore quodam superveniente sic graviter torquebatur quod se in modum serpentis contorquens quasi persona demoniaca vociferabat. Quam soffia mater ejus sancto thome

recommendavit promittens quod post liberationem ejus duceret eam ad suum tumulum et candelam offerret ibidem. Facto voto statim puella meliorata est et sequenti mane sana perfecte surrexit et cum aliis puellis solaciando (1) perrexit.

38. *De liberato a gravi dolore oculorun voto emisso ad sanctum thomam.*

Bartholomeus boni hominis de sompnino gravi dolore et ardore in oculis defluente humore ad oculos sic affligebatur quod quasi nichil videbat nec poterat laborare et vix sine ductore mensibus quasi duobus. Qui sancto thome se recommendans votum vovit se nudis pedibus visitaturum cum candela accensa ejus tumulum et voto emisso in crastinum a dicto morbo invenit se integre liberatum.

39. *De sanato a ruptura et inflatura inguinis meritis sancti thome.*

Amatus bruni de castro sompnini per sex annos et amplius in inguine passus est rupturam et inflaturam ex decensu intestinorum, unde cogebatur portare lumbare nec medicamentis curari potuerat. Qui concepta devotione ad sanctum thomam devovit se eidem promittens si eum ab infirmitate illa liberaret, supra sepulcrum ejus se lumbare argenteum oblaturum. Post votum itaque emissum, infra quindecim dies fuit a dicta inflatura et ruptura totaliter liberatus.

40. *De puero sanato a febre continua et mortis periculo meritis sancti thome.*

Leo puer trium annorum filius crescentii novelli de castro sompnini ex febre continua cum vehementi dolore graviter infirmus decumbens et laborans in extremis emisso voto per aviam ejus ad sanctum thomam ut filium a mortis periculo suis meritis liberaret, continuo liberatus est et cum ceteris pueris, fratribus suis ibidem cepit ludere et libere ambulare.

41. *De sanato a duplici infirmitate pedis et tibiarum meritis sancti thome.*

Bartholomeus theobaldi de castro sompnini ab infirmitate

(1) Italice : sollazzare.

gutte quam paciebatur in tibiis et pedibus una vice, et altera vice ab gravi infirmitate articuli seu digiti pedis sui, quam ex percussura incurrerat, et a quibus curari non poterat remediis medicine, facto voto ad sanctum thomam fuit ejus meritis ab utroque incommodo totaliter liberatus et pristinis viribus restitutus.

42. *De sanato a gravi invalitudine manus meritis sancti thome.*

Nicolaus infancelli de castro sompnini a quodem gravi apostemate quod habebat in manu sinistra inter brachium et ipsam manum propter quod per annum nichil poterat operari, emisso voto ad sanctum thomam post recommendacionem sui eidem sancto factam ibidem humiliter se prosternens et obdormiens sanus inde surrexit et cum manu operari potuit sicut prius.

43. *De liberato a gravi dolore brachii et dextri humeri meritis sancti thome.*

Frater Waldebrunus conversus monasterii fosse nove a quodam dolore gravi in brachio et spatula dextra quo sic gravatus extitit multis mensibus quod de brachio et manu non poterat se juvare nec operari nec super latus dextrum dormire, quadam nocte emisso voto ad sanctum thomam, quod si eum liberaret, votum unum argenteum ad ejus tumulum offerret, obdormivit. Et de mane consurgens invenit se a dicta infirmitate totaliter liberatum.

44. *De sanato a dolore et debilitate tibiarum et genuum ad tumulum sancti thome.*

Magister jacobus de piperno oblatus monasterii fosse nove a dolore grandi quem paciebatur in tibiis et genibus, ita quod sine duobus baculis ire non poterat per septem ebdomadas, veniens ad tumulum sancti thome cum devocione et lacrimis ejus auxilium imploravit. Arripiens autem pallium quod erat supra sepulcrum cum ipso tetigit et involvit tibias et genua sua surrexitque inde in continenti et a debilitate et dolore sancti thome meritis liberatus, et ex tunc sine baculis libere ambulavit.

45. *De puero sanato a fluxu sanguinis et periculo mortis meritis sancti thome.*

Nicholaus petri puer a fluxu sanguinis per annum extitit sic gravatus quod ex illa egritudine credebatur mori. Emisso autem voto per aviam suam pro dicto puero ad sanctum thomam cepit puer in continenti meliorari et infra paucos dies fuit totaliter restitutus pristine sanitati et a fluxu sanguinis liberatus.

46. *De liberato a gravi dolore et mortis periculo.*

Petrus caroli de terracina a vehementi dolore capitis et in membris suis sic graviter torquebatur et vociferare cogebatur quo credebatur ab ipso et a circumstantibus propter hoc moriturus. Hic facto voto ad sanctum thomam ejus suffragium implorando statim evomuit fuitque totaliter liberatus.

47. *De muliere liberata a quartana meritis sancti thome.*

Gemma mulier de terracina a febre quartana quam per sex accessiones passa fuerat et ex qua mori timebat, imminente hora accessionis implorato devote suffragio sancti thome fuit totaliter liberata, nec eam ulterius passa fuit.

48. *De curato a dolore et tumore digiti meritis sancti thome.*

Nicholaus de aprutio sartor habitator de terracina guttam artheticam patiebatur in pedibus, cui subito supervenit dolor et tumor in indice digito dextere manus sue. Timensque quod ex hoc redderetur impotens ad exercitium artis sue unde vivebat et sic perderet victum suum, voto emisso ad sanctum thomam, quod manum argenteam ad ejus tumulum deferret, ipsiusque devote implorato auxilio atque suffragio pro curacione dextre manus sue lectum dormiturus intravit. Et post brevem sompnum evigilans invenit suum digitum esse sanum in quo miraculo miraculum extitit geminatum. Cum enim ipse Nicholaus postmodum citatus esset per inquisitores datos a sede apostolica ut veniret de miraculis sancti thome veritatem dicturus et ipse se excusaret quod in pedibus gutta arthetica gravabatur et dilacionem ad veniendum alias testificaturus de precedenti miraculo postularet, subito dolor magnus in

predicto digito dextre manus sue supervenit eidem. Timensque vehementer iram dei et sancti thome deliberavit indilate venire. Implorans ejus auxilium ut venire posset et dolor digiti cessaret. Quo facto in continenti quievit dolor digiti et sublato impedimento pedum ambulare et equitare potuit et ad dictos inquisitores eadem die libere pervenit perhibiturus de miraculis testimonium veritati.

49. *De liberato a tremore manuum et tibiarum et a febre meritis sancti thome.*

Bartholomeus petri de sermineto per quatuor annos continuos tremorem manuum et tibiarum passus fuerat. Hic ad sanctum thomam devote devocione concepta recommendavit se eidem ut suis meritis a predicto tremore et a febre superveniente quam tunc paciebatur, eum liberaret. Et nocte sequenti cum se sopori dedisset, vidit unum in habitu fratris predicatoris statura procerum et venustum venientem ad se qui eum manu tangebat per pectus et membra. Et in continenti expergefactus a sompno, invenit se tam a predicto tremore quam a febre penitus liberatum.

50. *De sanato a gravi dolore epatis meritis sancti thome.*

Petrus caprarii de sermineto audiens sibi recitari miraculum et beneficium sanitatis collatum bartholomeo petri supra memorato : meritis et suffragio sancti thome devocione recommendavit se eidem sancto thome ut eum ab infirmitate gravi quam per duos menses et amplius passus erat et paciebatur ex epate adeo quod colorem croceum habens cibi et potus perdiderat appetitum. Et factus sibimetipsi gravis et ponderosus in membris suis languens jacebat in lecto. Et facta recommendacione et implorato suffragio sancti thome hora vesperarum, eodem sero post vesperas cum vellet ingredi lectum se sensit ab infirmitate predicta penitus liberatum.

51. *De muliere sanata a tussi cum febre meritis sancti thome.*

Maria egidii de sermineto per annum passa est tussim siccam cum febre ex quibus medicus judicabat eam esse morituram. Hec audita fama miraculorum beati thome recommendavit se eidem ut eam a predictis tussi et febre suis meritis

liberaret. Et statim post recommendacionem fuit a predictis incommodis penitus liberata.

52. *De muliere sanata a gravibus doloribus capitis meritis sancti thome.*

Rosa uxor jacobi belini notarii de terracina per annos circiter decem et novem passa est quemdam dolorem in capite ex parte dextera, unde vicissim per dies interpollatos graviter affligebatur nec aliquo medicorum remedio poterat liberari. Hec auditis miraculis sancti thome eidem pro liberacione sua suis meritis obtinenda se devote recommendavit et extitit a predictis doloribus penitus liberata.

53. *De puero sanato a morbo caduco meritis sancti thome doctoris.*

Stephanus filius guidonis puer passus fuerat morbum caducum per annum cum dimidio et amplius in revolucione lune interdum semel, interdum bis aliquando ter et aliquociens sex vicibus. Pater vero pueri condolens et de obitu ejus timens recommendavit eum sancto thome et portavit eum ad sepulchrum ejus et posuit supra ipsum implorans sancti thome suffragium pro salute pueri et ex tunc ipse puer fuit a predicto morbo penitus liberatus.

54. *De puero sanato a gravi infirmitate ex qua mortis periculum imminebat.*

Jacobus salatini dum esset etatis unius anni paciebatur infirmitatem ita quod coste partis anterioris ejus videbantur conjungi cum lumbis seu renibus, unde vix poterat respirare et mori ex hoc verisimiliter credebatur judicio medicorum. Cui mater ejus gemma nomine materno affectu compaciens premonita a quadam domina muliere devota flexis genibus recommendavit devote puerum sancto thome promittens quod ipsum mitteret ad ejus tumulum et offerret oblationem pro eo. Qua recommendacione facta in continenti sanatus est puer et sanus effectus est vir in tempore succedente.

55. *De puella sanata a febre continua meritis sancti thome.*

Sibilla puella etatis quinque annorum filia petri de piperno

febrem continuam per dies quindecim passa fuit. Et dum ex ipsa febre mori crederetur et quasi in extremis laboraret, gemma mater dicte sibille recommendavit eam sancto thome ut ab infirmitate illa ipsam suis meritis liberaret. Qua recommendatione facta in continenti sanata est puella.

56. *De sanato a quartana meritis sancti thome.*

Matheus de voria de piperno febrem quartanam paciens, dum a predicta febre graviter vexaretur juxta consilium sibi datum recommendavit se devote beate marie de rippa et beato thome de aquino promittens quod si liberaretur a quartana flexis genibus ab introitu fosse nove accederet usque ad tumulum sancti thome et ipsum tumulum cingeret cum folio argenteo. Qui emisso predicto voto dormire cepit et videbatur sibi quod staret juxta ecclesiam beate marie de rippa et videbat quemdam in habitu predicatoris cum baculo in via venientem de fossa nova ad ecclesiam supradictam, ad quam cum pervenisset egressa est beata virgo obvia sibi dicens : Thoma quo vadis? Et ille respondit : vado juvare quemdem pauperem qui me non desinuit invocare. Et visum est eidem matheo quod sanctus thomas ad eum accedens discooperiret ipsum et in continenti expergefactus de lecto descendit et ex tunc nunquam habuit dictam febrem et invenit se perfecte sanatum.

57. *De puero sanato a ruptura inguinis meritis sancti thome doctoris.*

Johannes garini puer septem annorum a nativitate sua testiculum dextrum habuit alio grossiorem. Crevitque grossitudo ita, quod ruptus in inguine fuit, descendentibus inferius intestinis, ex quo lumbari indigebat nec curari poterat sine incisione judicio medicorum. Cui condolens et compaciens avia sua maria symeonis de piperno audita fama miraculorum sancti thome concepta fiducia docuit puerum beati thome suffragium implorare et promittere ut si eum sine incisione aliqua curare dignaretur, ad tumulum ejus pergeret cum voto imaginis sue argenteo. Et emisso voto puer melioratus extitit ibidem et absque incisione totaliter est curatus.

58. *De sanato a morbo squinantie meritis sancti thome.*

Petrus cognomine letus de piperno notarius gravi superve-

niente sibi subito squinancie morbo loquelam perdidit ita quod prorsus loqui nec linguam ducere potuit per tres dies, nec medicorum remediis pluribus eidem adhibitis juvabatur et de ipso medici desperabant. Qui concepta devocione ad sanctum thomam cum loqui non posset manu propria scripsit ut deferretur ad tumulum sancti thome sperans meritis ejus cicius liberari scriptumque tradidit petro genero suo. Sed uxor ipsius infirmantis obstitit ne deferretur pro eo quod mulieres non permittuntur ingredi monasterium fosse nove. Quod ipse perpendens intra seipsum votum vovit sancto thome ejus suffragium implorando et ex tunc incepit linguam ducere et perfecte curatus est ipso die.

59. *De muliere sanata a gravi dolore humeri et brachii.*

Mulier quedam nomine schimana endebrandini de piperno passa fuit per quadriennium vel circa continuum dolorem in spatula dextra et in brachio et in digito ita quod filare non poterat cum eodem. Hec in festo sancti martini veniens ad monasterium fosse nove beato thome se recommandans votum vovit, ut si eam a predicto dolore liberaret votum argenteum offerret. Que voto emisso ex tunc dolorem predictum non sensit sed sana permansit.

60. *De sanato a febre cotidiana cum aliis gravibus accidentibus meritis sancti thome.*

Nicholaus grassone de castro sermineti per septem septimanas et ultra paciens febrem cotidianam et malum epatis et stomachi et splenis cum dolore capitis. Auditis miraculis sancti thome devovit se eidem sancto et sequenti mane invenit se a predictis omnibus incommodis liberatum.

61. *De sanato a gravi tumore faciei et gutturis et miraculo lingue meritis sancti thome.*

Frater petrus crescentii conversus monasterii fosse nove a quodam tumore magno seu inflatura in facie et gutture que sibi supervenerant in tantum gravabatur quod loqui non poterat. Hic in tanta afflictione constitutus consilio cujusdam devoti persuasus devocione concepta ad sanctum thomam cum loqui non posset, in corde suo recommendavit se eidem

sancto humiliter et devote. Sicque eadem die obdormiens circa nonam et evigilans hora vesperarum se sanum invenit et loqui potuit et pro majori parte tumor ille detumuit et tunc fuit sanus.

62. *De sanato a tinnitu et surditate aurium meritis sancti thome.*

Nicholaus picardi de terracina temptus a gravi ac vehementi tinnitu aurium ita quod loquentes etiam alta voce vix audire poterat recommendacione facta per ipsum ad sanctum thomam de mane surgens invenit se omnino sanatum et audientem libere sicut prius.

63. *De sanata a gravi surditate aurium meritis sancti thome.*

Theodora maniconensis uxor Johannis limate de castro sompnini per quatuor menses gravem surditatem passa adeo quod clamantes alta voce aut filium suum vagientem audire non poterat facto voto ad sanctum thomam ut eam suis meritis liberaret sequenti mane invenit se a predicta surdidate sanatam et audientem sicut prius.

64. *De muliere sanata a doloribus totius corporis facto voto ad sanctum thomam.*

Johanna cognomine christiana dum per octo dies dolores vehementes in toto corpore pateretur persuasa a sorore sua voto emisso ad sanctum thomam in crastinum fuit a predictis doloribus penitus liberata.

65. *De puero sanato a gravi tumore et rubedine in costis et crure meritis sancti thome.*

Petrus filius domine romite de piperno puer quatuor annorum paciebatur tumorem et rubedinem in costis et crure usque ad pedem ita quod tangi ibidem non poterat sine lesione pueri et tremore, nec puer poterat se movere per mensem et absque incisione liberari non poterat judicio medicorum. Timebatur insuper eorumdem judicio quod si incideretur puer esset perpetuo impeditus. Mater vero compaciens filio recommendavit eum sancto thome ut ejus meritis absque incisione sanaretur. Portatusque fuit puer ad tumulum sancti thome et positus supra ipsum tumulum, post aliquantulam moram per seipsum inde surrexit sanus effectus et plenarie liberatus.

66. *De muliere sanata ab infirmitate et dolore brachii dextri ad reliquias sancti thome doctoris.*

Domina lea, anasola, passa fuit per annum cum dimidio infirmitatem et dolorem in spatula et brachio dextro, ita quod ex eo non poterat se juvare. Et cum quadam die audivisset quod alique reliquie beati thome asportate erant ad ecclesiam beate marie de piperno, ivit illuc ad videndum ipsas reliquias et, recommendans se beato thome, posuit brachium super capsulam in qua dicebantur esse reliquie reverenter et statim sanata est, cepitque operari et uti brachio sicut prius.

67. *De sanata a gravi morbo gutturis meritis sancti thome.*

Adelasia filia gemme rubee de piperno gravem et mortalem morbum squinancie in gutture diebus multis passa fuit unde nichil poterat transglutire. Que persuasa a matre recommendavit se devote sancto thome fuitque perducta ad monasterium fosse nove, ubi ad tactum capsule reliquiarum sancti thome in gutture dicta puella sanata rediit pipernum libere comedens sicut prius.

68. *De muliere sanata a febre continua et mortis periculo meritis sancti thome.*

Jacoba, uxor petri nicholai de piperno, passa fuit continuam febrem ex qua loquelam perdiderat et mori ab astantibus credebatur. Quam vir ejus beati thome meritis recommendans promisit se eam ad sancti thome tumulum perducturum et oblaturum lampadem et candelam. Quo facto in continenti cepit evomere et restituta sibi loquela febris dimisit eam et sanata est in illa hora.

69. *De alia muliere sanata a febre continua meritis beati thome.*

Blandicia nicholay domini gregorii mulier de terracina febrem continuam paciens per dies quindecim auditis miraculis sancti thome devocione concepta ad eum votum vovit, quod si eam suis meritis liberaret, ejus tumulum visitaret cum candela et oblacione. Quo facto voto statim a febre extitit liberata.

70. *De muliere sanata a gravi dolore brachii et spatule meritis sancti thome doctoris.*

Agnes phillippi de castro sancti laurentii de valle ferentine dyocesis dolorem vehementem paciebatur in brachio et spatula dextra et in latere dextro, ita quod non poterat surgere nec movere nisi ab alio juvaretur. Et dum sic per septem ebdomadas gravata jaceret, audita fama miraculorum sancti thome eidem se recommendans devote ejus suffragium imploravit. Quo facto statim fuit liberata et sanata ab infirmitate predicta.

71. *De sanato a dolore in spatula et brachio meritis sancti thome doctoris.*

Nicholaus bartholomei de piperno dolorem vehementem in dextro genu per annum paciens ita quod nullo modo poterat plicare tibiam, sed tenebat extensam nec medicorum remediis pluribus adhibitis curaretur, persuasus a matre sua se ipsum devovit meritis sancti thome promittens quod si eum ab infirmitate predicta liberaret, cum oblatione candele ejus tumulum visitaret. Quod facto sequenti mane sanatum se invenit meritis sancti thome.

72. *De sanato a dolore in spatula et brachio meritis sancti thome.*

Nicholaus affirmati de piperno per tres menses dolorem in spatula et brachio dextro paciebatur, ita quod ipsum brachium ad collum ponere non valebat. Qui voto emisso ad sanctum thomam quod ejus tumulum visitaret, sequenti mane invenit se liberatum et perfecte sanatum meritis sancti thome.

73. *De sanato a gravi dolore brachii meritis sancti thome doctoris.*

Petrus galgani de piperno ex quadam percussione facta sibi in brachio dextro, remansit dictum brachium debile dolorosum post vulnus jam consolidatum, ita quod brachium ipsum non poterat claudere vel aperire. Cumque quodam sero dolore brachii amplius solito gravaretur ad persuasionem delicie uxoris sue recommendavit se sancto thome ut ejus meritis sanaretur. Et in crastino surgens nullum dolorem sensit in

brachio et extendit ipsum libere et sanatum ostendit sue uxori.

74. *De sanato a gravi febre et vomitu meritis sancti thome.*

Petrus hectarii de piperno dum quadam gravi febre et vomitu vehementer affligeretur, et ex hoc timeret mori, ad persuasionem uxoris sue recommendavit se beato thome ut eum suis meritis a febre et periculo liberaret. Quo facto in continenti febris et vomitus cessaverunt et sanus effectus libere ambulavit.

75. *De sanato a gravi tussi et sanguinis emissione meritis sancti thome.*

Magister marchus clericus ecclesie sancte lucie de piperno per tres annos quamdam tussim cum emissione sanguinis per os et per nares passus fuit. Hic quodam die in monasterio fosse nove concepta devocione ad sanctum thomam pro recuperacione sue sanitatis eidem sancto se recommendans posuit se super sepulcrum ejus et inde pipernum rediens nocte sequenti multo sanguine emisso per vomitum ex tunc sanus effectus est a predicta infirmitate meritis sancti thome.

In rubro : « Huc usque miracula collecta sunt et excepta tam de prima quam de secunda inquisicione facta per inquisitores datos a sede apostolica de vita, conversatione et miraculis sancti thome.

« De hinc vero ea que secuntur collecta sunt et accepta ex hiis que assercione fide digna plurium comprobata sunt et comperta. »

76. *De leproso sanato et mundato ad tumulum sancti thome.*

Quidam de piperno thomas nomine gravem incurrerat morbum lepre, hic audita fama de miraculis sancti thome adcessit ad ejus tumulum in monasterio fosse nove ibique pernoctans audivit per visum sanctum thomam interrogantem se quid quereret. Cui cum responderet se querere et expetere sanitatem ejus meritis a morbo lepre, sanctus ait : Surge et esto sanus, statimque hoc verbum sancti subsecutus est optate sanitatis effectus. Et qui leprosus venerat, a lepra mundatus ad domum suam rediit, laudans et magnificans deum.

77. *De sanato a gravi apostemate meritis sancti thome.*

Frater bartholomeus de ferentino monachus monasterii fosse nove, cum propter apostema interclusum in ejus corpore esset a medicis desperatus, inductus est per abbatem ut seipsum devoveret ad sanctum thomam ut ejus meritis sanaretur. Et mox ut votum emisit de corpore ejus horrendum virus apostematis exivit sicque sanus effectus fuit meritis sancti thome.

78. *De sanato ab impotencia crurium et tibiarum.*

Quidam a nativitate sua habens crura dissoluta et inutilia cum tibiis ad incessum ex devocione concepta portari se fecit ad tumulum sancti thome. Ibique orans diucius et implorans ejus suffragium, fuit a domino exauditus meritis sancti thome, usumque tibiarum et crurium perfectum recepit et libere rediit cum eisdem.

79. *De sanato a febris infirmitate meritis sancti doctoris.*

Dominus raynerius monachus monasterii fosse nove diebus tredecim febre laborans devocione concepta ad sanctum thomam ad sepulcrum ejus quasi rependo manibus et pedibus accessit ibique orans statim consequtus est perfecte optate beneficium sanitatis.

80. *De liberato a periculo mortis in flumine invocato suffragio sancti thome.*

Johannes de theodino juvenis in fluvio quodam prope monasterio fosse nove subductus ab aqua ad canalem molendini perductus est violenter. Hic impingens instrumentum quo rota molendini revolvebatur ex quo periculum mortis imminebat sanctum thomam et ejus suffragium cepit instancius implorare. Quo facto statim sensit se a quodam per capillos accipi et extra aquam educi. Quod cum fieret, quidam monachus conversus dicti monasterii fosse nove superveniens testis extitit rei geste.

81. *De muliere sanata ab infirmitate oculorum ad invocacionem suffragii sancti thome.*

Mulier quedam ploredensa nomine de piperno ex uno oculo ceca et alio pre dolore nimio quasi orbata, devotis oracionibus

sanctum thomam et ejus suffragium cum lacrimis invocavit. Hec post modicam quietem sensit de utroque oculo se sanatam, maritumque et vicinas cum clamore et leticia convocans cum magno gaudio quod ei acciderat et sanitatis beneficium quod meritis sancti thome perceperat, patefecit.

82. *De alia muliere sanata et liberata a partus periculo et dolore invocato nomine sancti thome doctoris.*

Quedam domina de piperno partu periculose laborans cum dolore invocato sancto thoma et imposito quodam cingulo quod fuerat super ejus sepulcrum, super corpus ejusdem mulieris, statim libere peperit, liberata a periculo et dolore.

83. *De muliere sanata a dolore brachii invocato suffragio sancti thome.*

Alexandra nomine mulier antiqua habens in quadam cordula parvos nodulos quos vulgariter nominavit, pater noster, quibus sancti thome reliquias ex devocione tetigerat, rogavit sanctum thomam ut per illum contactum, ad quem devocionem habebat, ipsam a dolore acerrimo quem paciebatur in dextro brachio liberaret. Que finito voto et oracione completa, mox sensit se penitus liberatam.

84. *De sanato a tumore et ulceribus tibie.*

Johannes stephani de sompnino gravem tumorem et multa ulcera paciebatur in tibia, nec ullo poterat medicamine relevari. Qui emisso voto et invocato suffragio sancti thome fuit a predictis penitus liberatus.

85. *De curato a morbo fistule meritis sancti doctoris.*

Matheus quidam nomine de sompnino gravem fistule morbum paciens in pollice pedis sui per annum cum omnia medicamenta sibi adhibita non proficerent invocavit devote suffragium sancti thome. Et emisso voto ad sanctum thomam curari meruit ab eodem.

86. *De curato a morbo podagre.*

Bocius passagerii habitator de fundis morbo podagre gravatus vovens quamcicius posset se visitaturum tumulum sancti thome ejusdem sancti meritis a domino mox curatur.

87. *De archiepiscopo neapolitano tam a tumore tibie quam a febre sanato invocato suffragio sancti doctoris.*

Venerabilis archiepiscopus neapolitanus dominus umbertus, cui a summo pontifice commissa fuerat inquisitio de vita et miraculis sancti thome una cum collega domino angelo episcopo viterbiensi in neapolitana metropoli; cum idem archiepiscopus ab antiquis diebus gravem tumorem cum ulcere in tibia pateretur, et decumbens in lecto non posset ambulare rogavit sanctum thomam ut ad exequendum liberius dicte inquisicionis injunctum sibi negocium suis meritis reciperet sublevamen. Qui mox sancti thome meritis sanatus, de lecto consurgens sensit se perfecte de predictis incommodis a domino liberatum. Ipse quoque idem archiepiscopus devote predicte inquisicionis exequens negocium quodam sero cepit acutis febribus graviter estuare, oravitque sanctum thomam ut suo interventu et meritis posset perficere inceptum inquisicionis negotium, ad dei et sancti sui gloriam et honorem. Facta itaque oracione caput reclinans ad lectum et obdormiens, summo mane consurgens sancti thome meritis invenit se penitus esse sanum.

88. *De quodam saumario onerato et de equo a casu et precipitio mirabiliter custoditis suffragio sancti thome.*

Dominus cincius canonicus sancti petri comes erat itineris nunciorum venientium ad dominum papam pro negotio cannonizationis sancti thome. Qui cum venissent prope lacum lausanensem saumarius ejusdem domini canonici oneratus per declivium montis delapsus per loca petrosa, de altissima rupe cecidit. Quem cadentem dominus suus prospiciens oravit sanctum thomam cujus miracula multa predicti nuntii et socii itineris narrabant et asserebant ut sibi in tali periculo subveniret. Oracione autem facta ilico stetit animal illud et libere consurgens inde cum onere sospes cunctis admirantibus ad viam non obstantibus gravibus deviis rediit per se ipsum. Simile quoque contigit magistro matheo de viterbio in superioribus memorato, cujus equus inter alpes cum cecidisset ex altissimo precipitio, oravit idem matheus sanctum thomam pro cujus cannonizationis negotio ipse laborabat et viam

faciebat ut equum et res in tanto periculo custodiret. Et oracione facta mox equus agiliter ad viam rediit illesus et a periculo custoditus.

89. *De matre pregnante et ydropica liberata a mortis et puerperii periculo imminenti ac de partu mortuo suscitata* (1).

Domina maria uxor domini arnaldy nepotis summi pontificis ex sorore, cum aput avinionem esset peregrinans nec non ydropica a medicis de salute sua esset desperata, unde plenam absolutionis et remissionis gratiam et indulgentiam missam sibi in tali periculo existenti a domino summo per episcopum lodovensem fuerat consecuta tamquam de proxime moritura. Cui confessor proprius persuasit ut ad sanctum thomam de cujus cannonizatione fienda tunc temporis agebatur, devotionem conciperet seque devoveret eidem pro obtinendo ejusdem sancti meritis beneficio sanitatis. Quod cum fecisset, sequenti nocte evigilans vidit perspicua visione juxta lectum suum consistere sanctum thomam in habitu fratris predicatoris dicentem sibi dulci eloquio, voce miti : Vis tu curari? Que putans tunc ipsum esse alium episcopum a priori videlicet episcopum caturcensem (2) quesivit an absolutionem factam sibi prius ex parte summi pontificis per episcopum lodovensem ipse veniret confirmare. Erant enim ambo episcopi assumpti de predicatorum ordine, ejus habitum deferentes. Qui respondit eidem se non esse episcopum quem putabat, sed esse fratrem thomam de aquino cui se devoverat et addidit ei dicens : Domina comple votum tuum quod fecisti et curaberis. Que vocans matrem suam sibi retulit predicte seriem visionis. Vovet igitur utraque scilicet mater et filia quod mitterent annuatim cereum sex librarum in nativitate domini ad conventum proximiorem ordinis predicatorum, unumque fratrem in conventu avinionensi tunc magis vestibus indigentem induerent. Facto itaque mane corpus ejus

(1) Ista mulier mortua est a. 1328. Cf. Histoire littéraire de la France, tom. 35, p. 164.

(2) Cahors in Gallia, fuit Guillelmus de la Broue 1317-1324 (Cf. Histoire littéraire de la France, l. c.).

Bollandiani non recte putaverunt esse legendum episcopum cantanensem ex insula Candiae.

manifeste detumuit. Sed nec illa votum complevit de nocte promissum. Iterum autem sanctus thomas de nocte sibi apparens ipsam dure redarguit, quia quod vovendo promiserat videlicet fratrem unum avinionensis conventus magis indigentem induere non impleret. Que sic admonita votum perfecit et sanitatem continuo plenariam est adepta. Eadem quoque domina cum partus tempus et hora venissent, et fetus partim extra partimque intra uterum ejus existeret, sed parere nequiret, sanctum thomam in sui auxilium invocavit, fuitque mox a puerperio pariendo libere expedita. Credens autem mater puerpere partum vivum existere qui jam mortuus natus erat, mox eum baptizavit ibidem. Demum comperto quod revera mortuus natus erat oravit devote cum lacrimis sanctum thomam ut sicut filiam suam matrem infantuli liberaverat bina vice, ita mortuum filium suscitaret, ut sacro renatus baptismate non periret, sed viveret in eternum. Oracione itaque facta puer apparuit redivivus et sacro regeneratus lavachro mox migravit in eternum victurus. Triplicatur itaque gaudium in triplici facto miraculo meritis sancti thome.

90. *De sanato a quartana et medico redarguto per sanctum thomam.*

Quidam febre quartana laborans devote se recommendavit sancto thome implorans ejus auxilium sibi fieri in salutem. Fuitque a quartana subito liberatus. Cum autem medicus diceret, quod virtute nature hoc potuit accidisse, apparuit medico sanctus thomas eum redarguens, quia honorem deo non dederat de facto miraculo sed nature. Addidit quoque dicens quod cito de seipso officium misse in dei ecclesia cantaretur.

91. *De sanato a gravi dolore renum et spiritu blasphemie meritis sancti doctoris.*

Jacobus de piperno gravi dolore renum vexabatur ex quo murmurans contra deum sepius videbatur spiritu blasphemie conturbari. Hic argutus est a monachis monasterii fosse nove et admonitus ut ad sanctum thomam devotionem conciperet et haberet. Fuitque delatus ad sepulchrum sancti thome ubi licet non statim curari meruit, donec agnoscens ob gravem mur-

muris culpam hoc sibi accidere penituit et cum lacrimis oravit et tibias suas velamine sepulchri sancti thome involvens ait : beate thoma non hinc recedam nisi tuis fuero meritis liberatus. Quo dicto subito curatus fuit, gracias agens deo et sancto cujus meritis effectus est sanus.

62. *De sanata a tribus incommodis invocato nomine sancti thome.*

Diatema filia nicholai subito quadam nocte facta fuit arthetica et tremens corpore ac muta. Cui cum pater innueret ut ad aliquem sanctum converteret et votum saltem mente quod ore non poterat faceret, nec illa acquiesceret innuenti, tandem sanctum thomam ad ejus reduxit memoriam, monens eam ut ei faceret votum suum. Illa vero sanctum thomam invocans in ejus expresso nomine fuit continuo totaliter liberata ac reddita sanitati.

93. *De muliere vexata a demonio subito liberata meritis sancti doctoris.*

Maria landulphi videbatur vexari a demonio nec poterat ab aliquo teneri nec cibum sumebat. Cui sic graviter pacienti mater ejus compaciens votum vovit, quod sepulturam sancti thome cum filia visitaret. Quo facto fuit filia penitus liberata.

94. *De paralitico sanato ad tumulum sancti thome.*

In castro de rocca sicca quidam ex maledictione patris sui quem offendens percusserat, quasi paralisi dissolutus in ultionem peccati et maledictionis paterne inutilis factus fuit. Hic penitens de peccato fecit se ad sancti thome tumulum deportari, ubi dum orat et implorat ut sancti thome meritis paterne maledictionis sententia a deo misericorditer relaxetur perfecte restitutus est sanitati. Sicque ad patrem festinavit correctus ut ab eo patrati sceleris veniam impetraret.

95. *De sanato a surditate aurium ad votum sancti doctoris.*

Jordanus de marco ex quadam precedente egritudine extitit factus surdus. Hic accessit pro salutis remedio ad tumulum sancti thome et in suis auribus guttas modicas aque benedicte instillans ejusdem sancti nomine invocato, factoque voto quod tota familia sua cum candelis adduceret ad ejus sepulcrum,

oracione ibidem facta, dum inde rediret domum suam, de quolibet aure ejus cecidit quasi modicum frustrum carnis. Sicque auditum recepit et aurium sanitatem. Qui votum emissum implere differens per visum a sancto thoma dure arguitur de neglectu et ita correctus implevit votum quod fecerat jam dilatum.

96. *De puero sanato a corpore inflato ad tumulum sancti doctoris.*

Domina heremita filium habens in corpore turgido sic afflictum quod non poterat ambulare, ipsum marito suo detulit ad tumulum sancti thome. Ubi cum positus super illud per aliquod spacium extitisset, fuit immediate sancti meritis liberatus et sanus effectus.

97. *De parvulo contracto sanato ad tumulum sancti doctoris.*

Quedam domina de asturio filium habens parvulum contractum audiens a fratribus predicatoribus, euntibus pro cannonizatione sancti thome, recitari miracula que fiebant meritis ejus, puerum ipsum portavit ad tumulum sancti thome. Quem cum parvulus attigisset, continuo est sanatus.

98. *De puella maniaca et paralitica et litargica sanata.*

In castro sancti laurentii de valle juxta monasterium fosse nove quidam habuit filiam quadam amentia percussam. Ex quo tempore precedente fuit facta immobilis quasi lapis nec comedere nec loqui seu respirare commode jam valebat. Videbaturque quasi ex frenesi vel maniaca passione infirmitatem litargicam incurrisse. Cui cum non posset subveniri remediis medicine, pater ejus audita fama miraculorum sancti thome votum fecit eamque ad sanctum thomam devovit, orans ut ejus meritis aut de vita subtraheretur aut de dei misericordia sanaretur. Portatur igitur puella semiviva ad monasterium et in ecclesia ad sepulcrum sancti thome de abbatis licencia introfertur. Collocaturque super sepulcrum, quousque redeunt monachi de mensa ad quam iverunt, ad gracias in ecclesia referendas. Dum igitur propter conventus reverenciam pater vellet filiam de tumulo elevare, illa sic ait : pater ne me tangas quia unus magnus frater predicator qui me sanat coram

me stat et a quodam homine nigro, qui me ita ligatam tenuit me defendit. Conveniunt illuc abbas et monachi et orant exaudiri sancti thome meritis preces patris ut filia liberetur. Tunc quoque visum fuit puelle quod predictus frater utramque manum a capite puelle usque ad pedes deduceret dicens ei : puella surge quia curata es, ad quod verbum statim surrexit puella reddita pristine sanitati.

99. *De curato a morbo fistule et fractura ad votum factum sancte thome.*

In civitate neapoli juvenis quidam nomine cunicus maniemandus fistulam et fracturam ossis paciebatur in uno articulo seu digito pedis sui ubi medicorum judicio oportebat eum incidi ne toti pedi aut corpori gravius periculum immineret. Hic vovit se visitaturum cum pede de cera tumulum sancti thome, si ejus meritis curam pedis reciperet, ne incidi pedis digitum oporteret. Et ecce de nocte frater unus predicator sibi apparuit qui eum absque incisione curare promisit. Venit itaque mane medicus, et curatum juvenem reperit quem sero dimiserat tam gravatum.

100. *De resuscitacione mulieris defuncte meritis sancti thome* (1).

In provincia lombardie superioris in pedemonte castro quod dicitur tagulanum quedam domina filium habens in ordine predicatorum fratrem rufinum nomine. Presente ipso filio cum multis aliis consanguineis infirma decumbens mortua fuit. Cumque omnes flerent circa funus dictus frater, filius defuncte mulieris, sic flentes alios alloquitur : Nuper in romana curia apud avinionem frater thomas de aquino doctor fuit sanctorum cathalogo annotatus; oremus obsecro, ut ejus sancti meritis Deus dignetur hanc mortuam suscitare. Omnes igitur parentes cum filio genua flectunt, et cum lacrimis devote Deo supplicant ut per sancti thome meritis illa mortua suscitetur. Et ecce subito defuncta mulier resedit vivens, videntibus et congaudentibus cunctis qui aderant et luctus flentium in risum dolorque in gaudium convertuntur de mortua suscitata.

(1) Istud miraculum deest in Cod. Vat. 1218.

101. *De visione fratris minoris in qua sanctus franciscus apparens testimonium perhibuit doctrine sancti thome.*

Frater leutherius ordinis fratrum minorum cum esset in quadam questione perplexus, et in libris sancti thome negligeret querere veritatem, devote oravit Deum et sanctum franciscum ut sibi veritas panderetur. Et ecce in visione sanctum franciscum et sanctum thomam de aquino cappa stellis splendidis ornata indutum, et super ipsos virginem matrem Dei cum filio, duas coronas splendidas manibus tenentem et super ipsorum capita imponentem cum tali visione plurimum delectaretur, audivit sanctum franciscum dicentem sibi : crede huic, ostendens et indicans sanctum thomam, quia ejus doctrina non deficiet in eternum. Qui evigilans et scripta sancti thome legens de dubio suo certificatus exstitit cognita veritate. Praedicta frater ipse leutherius pluribus enarravit sub fide asserens esse vera.

102. *De liberatis a periculo et naufragio marino meritis sancti thome doctoris.*

Cum frater Guillermus de toccho ordinis predicatorum prior conventus beneventini cum socio suo fratre roberto lectore venirent per mare ad romanam curiam apud avinionem cum inventariis factis de miraculis sancti thome de cujus canonizatione tunc temporis tractabatur, accidit ut ipsis cum aliis navigantibus quadam nocte magna pluvia ingruente et tempestate gravissima excitata in mari, galea in qua cum aliis navigabant ad montem argentarium violentia ventorum nimia impellebatur, nec dubium ab impulsu confringenda. Naute namque non poterant tanto impetui occurrere nec tali periculo poterat nisi divinitus subveniri. Desperant itaque naute de vita, et vestimenta sua deponunt, si forte natando potuerint evadere, clamant ad fratres qui latebant inferius, ut deum et sanctos suos invocent ut propinquo mortis naufragio subveniant perituris. Oracioni instant fratres, deumque orant, et invocant sanctos dominicum et petrum martyrem, et specialiter sanctum thomam pro cujus canonizationis negotiis navigant, devotis precibus interpellant, ut eis subveniant. Et sanc-

tus thomas adjutor adsit, ne illa que per illum deus fecit miracula, que in scriptis redacta ad romanam curiam secum ferebant, marino naufragio submergantur. Quid plura, cum vicinior fuisset monti galea et periculum de proximo immineret, subito ventus alius a montis latere perflavit et galeam a monte divertere mox coegit, et in viam prosperam salutari navigio et fugato periculo direxit. Et cum illud periculum evasissent, omnes clamare ceperunt, miraculum a deo factum. Sicque per sancti thome suffragium liberati a naufragio, deum pariter laudaverunt (1).

Multa quidem et alia miracula operatus est deus per sancti thome de aquino merita in diversis mundi partibus, que non sunt scripta in presenti tractatu. Haec autem scripta sunt ad dei et sancti gloriam et honorem ut legentes credant et confidentiam ac devocionem majorem concipiant ad eundem. Explicit.

Hic terminatur in Codice Vaticano 3847 vita S. Thomae Aquinatis a Bernardo Guidonis conscripta. Additur autem Bulla canonizationis et deinde sequitur :

Cronica brevis de progressu temporis sancti thome de Aquino.

Sanctus thomas de acquino ordinis predicatorum doctor egregius matri sue per heremitam pronuntiatus fuit ex nomine nasciturus, magnus in orbe futurus, natusque fuit homo in mundum anno Domini MCCXXV.

Hic puer completo primo etatis sue quinquennio missus est a parentibus suis ad monasterium montis cassini erudiendus in primis litterarum elementis et moribus imbuendus circa annum Domini MCCXXX.

Hic etiam adhuc puer quasi septennis vel octennis missus est neapolim ad studium in liberalibus artibus instruendus circa annum MCCXXXII paulo plus minusve.

Hic quoque exacto septennio ibidem in studio in gramma-

(1) Hic addit Codex Tochio Generalit. X 3001 55 miracula facta in civitate papiensi meritis S. Thome.

ticalibus et logicalibus ac in naturali philosophia cum mirabili celeritate naturalis ingenii et perspicuitate intelligencie clarioris apud neapolim infra annos pubertatis existens virgo electus a domino intravit ordinem predicatorum etatis sue anno circiter XIIII circa annum Domini MCCXL paulo plus minusve.

Hic etiam eidem anno quo intravit ordinem, cum per fratres ordinis fuisset de neapoli romam ductus et de roma per tusciam parisius duceretur ut a suis elongaretur parentibus raptus fuit et captus in itinere per germanos suos carnales et fratribus ordinis vi ablatus et missus est ad matrem suam in castro montis sancti johannis ubi detentus et custoditus et clausus in carcere stetit quasi bienno in habitu ordinis, quem assumptum nunquam deseruit, nec ad deserendum aliquatenus induci potuit vel inflecti. Deditus vero ibidem orationi et contemplationi ac studio scripturarum tamquam in scola summi magistri profecit plurimum in eodem.

Hic adolescens elapso fere biennio in custodia carceris eductus est et inde per fenestram castri dimissus et a fratribus ordinis susceptus preparatis ibidem tamquam alius Joseph cum habitu ordinis et perductus neapolim etatis sue anno XVI circa annum domini MCCXLII paulo plus minusve.

Hic postquam ex tunc redditus est ordini corpore cum semper corde et animo a prima die ingressus perseveraverat in eodem, deditus studio tam philosophie quam sacre theologie, annis circiter XI jam elapsis admirabilis in scientia factus est bacallarius in theologia parisius etatis sue anno XXVII circa annum domini MCCLII paulo plus minusve.

Hic quoque cum sententias parisius sicut bachallarius laudabiliter valde perlegisset assumptus est ibidem ad magisterium sacre theologie etatis sue anno fere XXXI (1) inchoante sub anno domini MCCLIIII. Vixit autem postquam ad magisterium theologie fuit assumptus annis circiter (*nota numeri est deleta*) in quibus quantum utilis ecclesie dei et admirabilis

(1) Est error manifestus, nam si S. Thomas sub anno 1254 fuisset aetatis 31 annorum, tunc natus esset 1223; quod contradicit iis, quae supra ab ipso hoc auctore dicta sunt.

fuit ejus scientia et doctrina, opera ipsius in tam brevi confecta tempore testimonium perhibent veritati.

Hic vir doctor egregius florens scientia et doctrina, propter eminentem ejus scientiam vocatus per gregorium papam veniens ad generale concilium, quod per eumdem papam celebratum fuit apud Lugdunum in Kalendis maji anno domini MCCLXXIIII obiit in itinere in monasterio fosse nove cisterciensis ordinis, terracinensis dyocesis nonis marcii etatis sue ano XLIX terminante et quasi quinquagesimo inchoante, ab ingressu vero ordinis fratrum predicatorum anno XXXVI, magisterii autem sui anno XX.

Hic tandem fama sanctitatis ejus redolente, longe lateque diffusa et reflorente fructifera ejus doctrina sequentibus signis et choruscantibus miraculis diligenti inquisitione premissa et veritate miraculorum comperta fuit canonizatus et sanctorum confessorum cathalogo annotatus per dominum Johannem papam XXII apud avinionem, pontificatus sui anno septimo XV° kalendas augusti anno verbi incarnati MCCCXXIII, a felici vero transitu ejusdem ex hoc mundo anno quinquagesimo decurrente.

In Codice Vat. habetur hic, per modum conclusionis, sequens locus, qui, ut videtur, altera manu et 50 annis postea scriptus est.

Dudum parisius a longis retro annis quidam episcopus parisiensis quosdam articulos, ne forsitan male eos intelligentes aliqui caderent in errorem, per excommunicationis sententiam dampnaverunt et interdixerunt expresse. Quorum nonnulli doctrinam eximii doctoris beati thome de acquino de ordine predicatorum tangere ab aliquibus asserebantur, in prefati sancti doctoris injustam denigrationem et sancte romane ecclesie aliqualem dehonestationem, que ipsum doctorem diligenti discussione et examinatione prehabita super vita ipsius et doctrina decrevit sanctorum confessorum cathalogo ascribendum, eumdemque quoad vitam sanctam et puram ac doctrinam salubrem orbi terre commendabilem predicavit et colendum exhibuit universis. Quod attendens et considerans venerabilis in Xto pater dominus Stephanus episcopus parisiensis ad requisitionem et supplicationem et instantiam supplicam et devo-

tam decani et capituli ecclesie parisiensis, diligenti inquisitione prius facta super dictis articulis de mandato ipsius episcopi inter doctores theologie facultatis in eorum congregatione generali regencium actu parisius et non regencium secularium et regularium ad hoc specialiter convocata, comperto quod per eosdem ipsum sanctum thomam doctorem et confessorem qui fuit flos doctorum et universitatis parisiensis speculum clarissimum et insigne, claritate, vite fama et doctrine velut stella splendida et matutina refulgens, nihil nunquam sensisse, docuisse seu scripsisse quod recte et sane fidei vel bonis moribus adversetur de consilio eorumdem decani et capituli parisiensis ac venerabilis in Xto patris domini Guillelmi dei gratia archiepiscopi viennensis sacre theologie professoris aliorumque viginti trium magistrorum in theologia necnon et triginta novem bacalloriorum in theologia et aliorum plurium discretorum, solempni ac maturo consilio super hoc habito, supra dictam articulorum condempnationem et excommunicationis sententiam, quantum tangunt vel tangere ab aliquibus asseruntur doctrinam prefati sancti thome ex certa scientia totaliter annulavit et suis litteris et sigillo communivit, articulos ipsos propter hoc non approbando vel etiam reprobando sed eos discussioni scolastice libere relinquendo. Actum fuit hoc parisius in mense febroarii anno domini millesimo CCC° vicesimo quinto.

Haec nota scripta est die 14 februarii, 1325. Cfr. Denifle, Chartul. Univ. Paris., t. II, n. 838, pag. 280 seqq. — Guillelmus episcopus viennensis est Guillelmus de Landuno Ord. Praed. Cf. Denifle, Chart. Univ. Paris, t. II, n. 696, pag. 156.

VARIANTES LECTIONES

CODICIS ARCHIV. GENERAL. O. P. ET CODICIS LIPSIENSIS

Vat. Lat. 3847, f. 51 ff.

Non autem absurdum alicui videatur, quod praefatus doctor tam in scriptis suis quam etiam in Summa saepius, ubi convenit ad propositum, utatur scientiis saecularibus et humanis philosophorum et ethni-

corum[1], cum ab[2] intellectu divino subjecta omnium[3] scientiarum prodeant, a quo divinae sapientiae veritates emanant, cui omnes scientiae jure subserviunt ut ancillae. Scripsit etiam[4], ad mandatum domini Urbani papae, Super quatuor Evangelia opus insigne, miro contextum ordine, ex dictis et auctoritatibus sanctorum, ex quibus sic uniuscujusque evangelistarum quatuor continuavit historiam, quasi unius auctoris[5] videatur esse lectura. Fertur quoque scripsisse expositionem super Evangelia dominica[6] totius anni, quae vix aut rarissime reperiuntur. Item, mandante sibi domino Urbano papa, dictavit et ordinavit totum Officium ecclesiasticum[7] de corpore Christi, tam diurnum quam nocturnum, quam etiam missae. Scripsit quoque postillam super Evangelium Joannis, maxime[8] super quinque capitula stilo proprio; residuum vero dicitur reportasse, ipso legente, frater Raynaldus, socius ejus; quod[9] postmodum idem doctor correxit et approbavit[10]. Scripsit etiam postillas super epistolam Pauli ad Romanos. Item, super epistolam ad Corinthios[11]. Item, super epistolam ad Hebraeos usque ad undecimum capitulum. Ab inde vero sunt postillae ejus super sequentes epistolas Pauli reportatae[12] per praedictum socium suum post ipsum legentem, quas idem doctor fertur postmodum correxisse. Scripsit etiam super Isaiam postillam[13], quae raro invenitur, in cujus passu quodam textus difficili post orationes et lacrimas ejus sanctorum apostorum Petri et Pauli, qui ipsum instruxerunt, habuit visionem. Scripsit quoque super Job ad litteram, quem nullus doctor litteraliter sic sicut ipse exponere attentavit. Scripsit etiam super Jeremiam, et super Threnos, et super Cantica Canticorum. Frater vero Raynaldus, socius ejus, dicitur reportasse postillam super tres nocturnos Psalterii, ipso legente, quae incipit : In omni opere suo dedit confessionem sancto. Item, idem[14] reportavit ipso legente super primum librum de anima. Lecturam vero super Matthaeum, quae defectiva est, frater Petrus de Andrea[15] dicitur reportasse. Scripsit etiam idem doctor non parva volumina Quaestionum de diversis materiis, per diversos articulos distinguens et prosequens et elucidans veritatem, quae intitulantur[16] Quaestiones de veritate. Item Quaestiones de

1. Cod. Archiv. General. O. Pr. deletum : et ethnicorum.
2. » » » add. (ab) *eodem* (intellectu).
3. » » » deest omnium.
4. » » » et.
5. » » » doctoris.
6. » » » dominicalia.
7. » » » om. ecclesiasticum.
8. » » » om. maxime.
9. » » » om. quod.
10. » » » om. idem — approbavit.
11. » » » chorintios.
12. » » » reporte ac.
13. » » » postillam super ysayam.
14. » » » om. id.
15. » » » Andria.
16. » » » intitulatur.

potentia Dei. Item Quaestiones de anima. Item Quaestiones de virtutibus. Item Quaestiones de malo. Item Quaestiones de spiritualibus creaturis. Item scripsit XI Quodlibet disputata. Scripsit etiam super philosophiam Aristotelis super librum Physicorum, super Metaphysicam[17], super tres libros de Caelo et Mundo, super librum de Generatione et Corruptione, super duos libros Metheororum, super secundum et tertium de Anima, super librum de Sensu et Sensato, super librum de Memoria et Reminiscentia, super librum Ethicorum, super libros[18] Politicorum, super librum de causis et propositiones Proculi[19], super librum Perihermenias[20].

LIV. Sequitur de opusculis S.[21] Thome.

Scripsit etiam sanctus Thomas doctor diversos tractatus et libellos, ad instantiam diversarum personarum, quibus, sicut ei mittebant dubia, dabat ipse de veritate responsa. Qui tractatus collecti in unius voluminis corpore, ipsum efficiunt satis magnum et intitulantur communiter opuscula sancti Thomae et possunt ordinari in uno volumine ad beneplacitum ordinantis, quia unus ab alio non dependet. Sunt autem numero circiter quadraginta, paulo plus minusve, quorum nomina et principia in sequentibus subnectuntur[22], videlicet : Tractatus de principiis naturae, ad fratrem Silvestrum, qui incipit : Quoniam quoddam[23] potest esse licet non sit. Tractatus de natura materiae qui incipit : Quoniam de principiis sermo habitus est. Tractatus de quatuor[24] oppositis, qui incipit : Quoniam quatuor sunt oppositiones. Tractatus de principio individuationis qui incipit : Quoniam duae sunt potentiae cognoscitivae in homine[25]. Tractatus de natura instantis seu de instantibus qui incipit : Quoniam omnem durationem concomitatur[26] instans. Tractatus de Verbo seu de natura Verbi, qui incipit : Ad intellectum hujus nominis, quod dicitur verbum. Tractatus de natura verbi intellectus qui incipit : Quoniam circa naturam verbi intellectus, sine quo imago Trinitatis non invenitur in homine expressa. Tractatus de motibus[27] corporis seu de actionibus et operationibus occultis naturae, ad quendam militem ultramontanum qui incipit : Quoniam in quibusdam naturalibus corporibus. Tractatus de motu cordis, ad magistrum Philippum de Castro Coeli, qui incipit : Quoniam omne quod movetur. Tractatus de quidditate entium seu de

17. Cod. Archiv. General. O. Pr. metaphesicarum.
18. » » » add. IIIJ^or.
19. » » » add. super librum primum et secundum posteriorum.
20. » » » perjarmenias.
21. » » » beati
22. » » » subnectentur.
23. » » » quidam.
24. » » » om. quatuor.
25. » » » om. in homine.
26. » » » comitatur.
27. » » » add. naturalibus.

ente et essentia, ad fratres et socios qui incipit: Quoniam parvus error in principio. Tractatus de demonstratione qui incipit : Ad habendum cognitionem. Tractatus de fallaciis, ad quosdam nobiles artistas qui incipit : Quia logica est rationalis scientia. Tractatus de angelis seu de substantiis separatis, ad fratrem Raynaldum, qui incipit : Quia sacris Angelorum solemniis. Tractatus contra errorem Averroistarum de unitate intellectus, qui incipit : Sicut[28] omnes homines naturaliter scire desiderant. Tractatus de sortibus, utrum sortibus sit utendum, ad dominum Jacobum de Burgo, qui incipit : Postulavit a me vestra dilectio. Tractatus de judiciis astrorum, utrum liceat eis uti, ad fratrem Raynaldum, qui incipit : Quia petisti ut tibi scriberem. Tractatus de regimine Judaeorum, ad ducissam Brabantiae[29], qui incipit : Excellentiae vestrae recepi litteras. Tractatus responsionum ad quadraginta tres articulos[30], ad fratrem Geraldum, lectorem Bisuntinum, qui incipit : Carissimo sibi in Christo. Tractatus in quo continetur responsio ad triginta sex articulos, ad lectorem Venetum, qui incipit : Lectis litteris vestris inveni. Tractatus ad Urbanum papam contra errores Graecorum, qui incipit : Libellum ab Excellentia vestra mihi exhibitum. Tractatus de regimine principum, ad regem Cypri, qui incipit : Cogitanti mihi, quid offerrem regiae Celsitudini dignum. Tractatus de propositionibus modalibus, qui incipit : Quia[31] propositio modalis. Tractatus de aeternitate mundi utrum possit esse ab aeterno, qui incipit : Supposito secundum fidem catholicam. Tractatus continens expositionem symboli Credo in Deum[32], qui incipit : Primum quidem et necessarium christiano. Tractatus continens expositionem salutationis angelicae Ave gratia plena, qui incipit : In salutatione ista continentur tria. Tractatus continens expositionem orationis dominicae Pater noster, qui incipit : Inter alias orationes dominica oratio principalior invenitur. Tractatus de articulis fidei et Ecclesiae sacramentis, ad archiepiscopum Panormitanum, qui incipit : Postulavit a me vestra dilectio, ut de articulis fidei et Ecclesiae sacramentis. Tractatus in quo continetur brevis declaratio quorumdam articulorum fidei[33] quos impugnant Graeci et Armeni et Sarraceni, ad cantorem Antiochenum[34], qui incipit : Beatus Petrus apostolus. Tractatus continens[35] expositionem primae decretalis De Summa Trinitate firmiter

28. Cod. Archiv. General. O. Pr. om. sicut.
29. » » » barbancie.
30. » » » ad magistrum ordinis qui incipit Reverendo in Xto pri. Tractatus in quo continetur responsio ad multos articulos, ad patrem gerardum lectorem bisuntinum qui incipit Karissimo sibi in Xto. Tratatus in quo continetur responsio ad xxxvi articulos ad lectorem venetum.
31. » » » quid.
32. » » » om. in deum.
33. » » » om. fidei.
34. » » » de cantore antiocheno.
35. » » » consequens.

credimus, qui incipit : Salvator noster. Tractatus continens[36] expositionem secundae decretalis Damnamus et reprobamus, qui incipit : Exposita forma catholicae fidei. Tractatus de perfectione vitae spiritualis, qui incipit : Quoniam quidam perfectionis ignari. Tractatus de forma absolutionis sacramentalis, ad magistrum ordinis, qui incipit : Perlecto libello. Tractatus de mixtione elementorum, qualiter sunt in mixto, ad magistrum Philipum, qui incipit : Dubium apud multos esse solet. Tractatus continens expositionem super librum Boetii de hebdomadibus, qui incipit : Praecurre prior in domum tuam. Tractatus super librum Boetii de Trinitate, qui incipit : Ab initio nativitatis meae investigabo. Tractatus continens expositionem librorum Dionysii de divinis nominibus. Tractatus de perfectione christianae religionis, qui incipit : Christianae religionis propositum[37]. Tractatus contra impugnantes religionem, videlicet contra Guillelmum de Sancto Amore, et sequaces ejus, qui incipit : Quoniam ecce[38] inimici tui sonuerunt. Tractatus, qui intitulatur Compendium theologiae, ad fratrem Raynaldum, qui incipit : Æterni Patris Filium[39]. Tractatus de praeceptis, quia lex amoris fuit homini[40] necessaria, qui incipit : Tria sunt homini necessaria. Tractatus de fato, qui incipit : Quaeritur de fato an sit.

[41]

36. Cod. Arch. General. O. Pr. consequens.
37. » » » om. Tractatus de perfectione — propositum.
38. » » » om. ecce.
39. » » » verbum.
40. » » » bon ar (Korrektur).
41. » » » Sequitur de miraculis patratis a Deo meritis beati Thome de Aquino — (per 45 columnas).

Deinde : Infra scripta miracula sunt facta in civitate pap meritis beati thome de Aquino — (per 21 columnas).

In fine : « Hec est vita beati thome, conclusio naturaliter breviata ».

Postea additur : Hec est epistola quam ad honorem scti thome et eius doctrine parisius emanaverunt. Stephanus episc. Parisiensis.

Demum adduntur litterae indulgentiarum concessae a Clemente VI anno 1344.

In manuscripto 818 Bibliothecae Universitatis Lipsiensis habetur in fine : « Explicit legenda beati thome de Aquino sacre theologie doctoris ordinis fratrum predicatorum completa per manus Johannis de Westphalia anno Domini MCCCXLIIII in die beatorum Gervasii et Prothasii martirum. Amen. Deo gratias — Noverint universi quod ego frater Petrus fratrum Ordinis predicatorum magister licet indignus vidi et diligenter inspexi anno Domini MCCCXLIIII quodam die mensis maji quasdam litteras apostolicas vera plumbea et filo serico domini nostri pape bullatas. » Quae quidem omnia ostendunt hoc manuscriptum esse vetustissimum et litteras indulgentiarum esse certo authenticas.

Cod. Vat. Lat. 3847, f. 56ᵛ-57 : sequitur de miraculis patratis a deo meritis scti thome.

» » 57-66 : Hec sunt miracula collecta per ordinem ex processu prime inquisicionis facte de vita conversacione et miraculis sci thome...

» » 66-66ᵛ epilog. : Multa quidem et alia miracula operatus est deus per sci thome de aquino merita... Hec autem... ut legentes... devocionem maiorem concipiant ad eundem.

FONTES

VITÆ S. THOMÆ AQUINATIS

DU MÊME AUTEUR :

Monumenta Historica S. P. N. Dominici.

Fasc. I. — *Historia diplomatica S. Dominici.*
Paris, Vrin, in-8° de 198 pp.

Fasc. II. — *Legenda S. Dominici, auctore Petro Ferrandi.*
(sous presse).

Le testament et la succession du cardinal dominicain Guillaume de Pierre Godin.
Paris, Vrin, in-8° de 150 pp.

Caietani (Thomæ de Vio, O. P.), *In de Ente et Essentia S. Thomæ Aquinatis commentaria.*
Turin-Rome, Marietti, in-8° de 260 pp.

Pièces du Procès de Maître Eckhart, conservées aux Archives Vaticanes (dans Edition des Œuvres latines de Maître Eckhart, par Théry-Klibanski).
(sous presse).

Procès de canonisation de sainte Catherine de Sienne, avec la collaboration de M. E. Lazzareschi, conservateur des Archives de Lucques.
(en préparation).

Imprimatur.
† Augustinus, episc. Forojuliens.

Le Gérant :
V. Dupeyrac.

IMPRIMERIE V. DUPEYRAC — 81, Boulevard Notre-Dame — MARSEILLE

DOCUMENTS INÉDITS PUBLIÉS PAR LA "REVUE THOMISTE"

FONTES
VITÆ S. THOMÆ AQUINATIS

CURA ET LABORE

P. M.-H. LAURENT, O. P.
Collegii hist. O. P. in Urbe

Fasciculus IV

PROCESSUS CANONIZATIONIS S. THOMÆ, NEAPOLI

REVUE THOMISTE
SAINT-MAXIMIN (Var)

A la mémoire de mon frère JOSEPH.

M.-H. L.

FONTES
VITÆ S. THOMÆ AQUINATIS

De 1912 à 1928, la Revue Thomiste a publié, grâce aux soins du T.R.P. Prümmer, professeur à l'Université de Fribourg, les deux importantes monographies de saint Thomas d'Aquin dues à Guillaume de Tocco et à Bernard Gui. Prévenu par la mort, le R. P. Prümmer ne put établir le texte des documents qui devaient composer les autres fascicules des Fontes Vitæ Sancti Thomæ Aquinatis. *Afin de permettre à ceux qui, chaque jour plus nombreux, étudient l'histoire et les œuvres du Docteur Commun de pouvoir atteindre plus aisément les principaux documents qui se rapportent à la vie de notre Saint, la* Revue Thomiste *a demandé au R.P. M.-H. Laurent, de l'Institut Historique Dominicain, de bien vouloir achever l'œuvre entreprise. Nous publierons donc, désormais, sous notre rubrique :* Textes et documents, *avec les deux procès faits à Naples et à Fossanova en vue de la canonisation de frère Thomas d'Aquin, les pièces diplomatiques qui concernent notre Docteur et un certain nombre de fragments renfermés dans les écrits des historiens dominicains de la deuxième moitié du* XIIIe *siècle et du début du* XIVe *: Gérard de Frachet, Thomas de Cantimpré, Ptolemée de Lucques, etc... Le même religieux a bien voulu accepter d'établir les tables des* Fontes, *tables qui seront éditées à la fin du sixième fascicule de notre publication.*

La Rédaction.

I° PROCÈS DE CANONISATION

Palais Archiépiscopal de Naples. 21 Juillet - 18 Septembre 1319.

1. — **Date.** — Les démarches, entreprises par la province dominicaine de Sicile entre les années 1317 et 1318 en vue de la canonisation (a) de saint Thomas, amenèrent, grâce aux soins des frères Guillaume de Tocco et Robert, la formation d'un important dossier : constats de miracles notariés, suppliques de princes et d'universités, monographie du saint.

C'est dans le courant de l'été 1318 que Tocco se rendit à Avignon afin de remettre ce recueil au pape Jean XXII. Après un examen favorable fait par trois cardinaux non dominicains, le Souverain Pontife, par ses lettres du 13 septembre 1318, introduisit officiellement la cause du Docteur Commun. Humbert, archevêque de Naples, Ange, évêque de Viterbe, et Pandolphe de Savelli, notaire apostolique, furent chargés de mener la première enquête. Après des vicissitudes diverses et en l'absence de Pandolphe, les délégués du Saint-Siège reçurent au palais archiépiscopal de Naples, du 21 juillet au 18 (b) septembre 1319, les dépositions de quarante-deux témoins qui avaient été convoqués. Il y en avait parmi ceux-ci qui avaient connu personnellement saint Thomas et qui purent dès lors fournir aux enquêteurs des renseignements de première valeur concernant la vie et les œuvres du saint Docteur.

2.— **Edition.** — Comme la vie de Guillaume de Tocco, le procès de Naples a trouvé, en partie, place dans le premier

(a) A l'occasion du VIe centenaire de la canonisation de saint Thomas, de nombreuses études ont été publiées concernant les divers événements qui ont marqué les enquêtes faites en vue d'établir la sainteté de Thomas d'Aquin : Cf. *Bulletin Thomiste*, 1924-1926, n°s 13-18 ; 544-548. — J'ai suivi ici la monographie publiée par le T. R. P. Mandonnet, dans les *Mélanges Thomistes*, Kain, 1923, pp. 1-48.

(b) Le manuscrit B. N. lat. 3112 (fol. 66^r) et les Bollandistes n° 85 placent l'audition du dernier témoin au 18 septembre ; c'est par erreur que le P. Mandonnet fait arrêter l'enquête le 13 du même mois (Cf. *op. cit.*, pp. 30-31).

tome de mars des *Acta Sanctorum* (a). Le texte des Bollandistes a été établi d'après deux manuscrits romains, dont on a perdu la trace. Il présente une lacune assez considérable au cours de la déposition de Barthélemy de Capoue (b). Baluze publia une partie du fragment manquant : le Catalogue Officiel (c). De nos jours, d'après une copie fournie par le R. P. Ligiez O. P., Ucelli (d) a édité le texte des dépositions. qui ne se trouvaient pas dans les *Acta Sanctorum*.

3.— Texte.— Le texte de la présente édition a été établi d'après le manuscrit Paris, B. N., fds, lat. 3112 (anc. *Regius* 3907[12]), qui fit partie autrefois de la bibliothèque de Colbert (e), où il portait la cote n° 1523. C'est un codex de la deuxième moitié du XIVe siècle, comprenant 67 folios de papier, mesurant chacun 310 m/m × 228 m/m. Tout en offrant un texte moins défectueux que celui publié par les Bollandistes (=B), ce manuscrit renferme cependant un certain nombre d'erreurs de lecture que j'ai pris soin de relever dans l'apparat critique (Ms= B.N. lat. 3112). J'ai de même utilisé pour la lettre de Jean XXII, instituant la présente enquête, la double copie qu'en conservent les Archives Vaticanes dans les registres (f) de ce pape : Reg. Avignon, t. 11, fol. 5^{v} ; Reg. Vatican, t. 69, epist. 10.

(a) *Acta Sanctorum*, édit. Anvers, 1668, t. I, mars, pp. 686-715 ; édit. Paris, 1867, t. I, mars, pp. 684-714.

(b) Elle commence au n° 84, après les mots : « quem dixerat ipse Dei electus... »

(c) BALUZE (S.), *Vitæ Paparum Avenionensium*, édit. Paris, 1693, t. III, col. 7 ; rééd. G. MOLLAT, Paris, 1916, t. III, pp. 2-5. — De nos jours, le catalogue contenu dans le premier procès a été édité par MANDONNET (P.), *Des écrits authentiques de saint Thomas d'Aquin*, Fribourg, 1910 (2e édit.), pp. 29-31 ; id. auct., *Les opuscules de saint Thomas d'Aquin*, dans *Revue Thomiste*, n. s., t. X (1927), pp. 126-128 ; MICHELITSCH (A.), *Thomasschriften*, Graz-Wien, 1913, pp. 139-141 ; SYNAVE (P.), *Le catalogue officiel des œuvres de saint Thomas d'Aquin*, dans *Archives d'Hist., Doct. et Litt. du M. A.*, t. III, Paris, 1928, pp. 26-28.

(d) Cf. : *La scienza et la fede*, série III, vol. 22 (1873), et Naples, tiré à part, 1873.

(e) Cf. : *Catalogus codicum manuscriptorum Bibl. Reg.*, t. III, Paris, 1774, p. 371. — ECHARD (*Scriptores Ord. Prædicatorum*, t. I, Paris, 1719, p. 552 b.), le signale sous la cote qu'il portait dans la Bibliothèque de Colbert.

(f) MOLLAT (G.), *Jean XXII* (1316-1334), *Lettres communes analysées d'après les registres dits d'Avignon et du Vatican*, Paris, 1904-1930, n° 8416.

LIBER DE INQUISITIONE SUPER VITA ET CONVERSATIONE ET MIRACULIS FRATRIS THOME DE AQUINO (1)

I. — (Fol. 1r, B. p. 684, col. 2) Hic est processus inquisitionis facte super vita et conversatione ac miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie doctoris, per reverendos Patres Dominos, Dei gratia, Umbertum (a) Archiepiscopum Neapolitanum, et Angelum (b) Viterbiensem (2) et Tuscanensem episcopum, Inquisitores super hec (3), una cum venerabili viro Domino Pandulfo de Sabello (c), domini Pape notario, cum clausula quatenus vos vel duo vestrum et cetera (4)... per sanctissimum Patrem et Dominum dominum Iohannem papam XXII specialiter deputatos, presentibus ad totum processum inquisitionis eiusdem (5) nobis Petro Iohannis de Rocca-Tarani, Sabinensis diocesis, apostolica et imperiali, et Francisco de Laureto, Pennensis diocesis, apostolica et regali auctoritate publicis notariis, quos iidem domini Inquisitores ad ipsum processum in scriptis fideliter reddigendum specialiter assumpserunt, scriptus per me Petrum notarium predictum.

(1) B : omitt titulum.— (2) Ms : Viturbiensem. — (3) B : hoc.— (4) B : omitt. — (5) B : eidem.

(a) Sur Humbert de Montauro, archevêque de Naples, cf. UGHELLI (F.), *Italia sacra*, t. VI, Venise, 1717, col. 120-121.

(b) Sur Ange Tignosi, évêque de Viterbe-Toscanella, cf. UGHELLI, *op. cit.*, t. I, col. 1415-1417, dont il faut rectifier certains détails d'après EUBEL (C.), *Hierarchia catholica Medii Aevi*, t. I, Münich, 1913, p. 532, note 7.

(c) Il n'existe pas à ma connaissance d'étude sur la famille Savelli, dont le palais était à Rome limitrophe du couvent de Sainte-Sabine ; on trouvera quelques indications dans AMAYDEN (T.), *La storia delle famiglie romane* (rééd. BERTANI), t. II, Rome, s. d., pp. 188-189.

II. — In nomine Domini nostri Ihesu Christi (1). Amen. Anno Nativitatis (2) eiusdem millesimo CCC° XVIIII, die sabbati XXI° mensis Iulii, secunde indictionis (3), pontificatus sanctissimi Patris et Domini domini Iohannis Pape XXII, anno tertio, religiosus vir frater Guillelmus de Tocco (a), prior (4) conventus fratrum Predicatorum in Benevento, constitutus apud Neapolim in camera reverendi Patris Domini Umberti, archiepiscopi Neapolitani supradicti, coram ipso domino Archiepiscopo et coram reverendo Patre Domino Angelo Viterbiensi (5) et Tuscanensi episcopo supradicto, super vita et conversatione ac miraculis reverende (6) memorie fratris Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum sacre theologie doctoris, Inquisitoribus per sedem apostolicam deputatis, eisdem dominis archiepiscopo et episcopo quasdam patentes (7) et quasdam alias clausas (8) apostolicas litteras ex parte supradicti domini Pape, veris bullis plumbeis eiusdem domini Pape, et in filis integris canapis pendentibus bullatas, presentavit, et (9) eosdem dominos cum instantia requisivit ut in commisso eis per easdem litteras inquisitionis negotio sollicite et attente, prout tenebantur, procedere deberent. Quas litteras prefati domini archiepiscopus, et episcopus, extractis sibi biretis (10), cum magna reverentia (11) receperunt et predictas patentes apostolicas litteras (fol. 1v.) statim coram eis publice legi fecerunt, mandantes nobis Petro Iohannis de Rocca-Tarani, Sabinensis diocesis, clerico, apostolica et imperiali auctoritate (12), et Francisco de Laureto, Pennensis diocesis, apostolica et regia auctoritate publicis notariis supradictis, ut predictas litteras apostolicas et inquisitionem ac omnem processum per ipsos in huiusmodi inquisitionis negotio faciendas, regestrare et fideliter scribere deberemus : venerabilibus et discretis viris abbate (13) Marino de Caracchulis (b), supradicti domini archiepiscopi vicario, abbate (14) Raynaldo

(1) B : omitt : Jesu Christi. — (2) B : add : Domini. — (3) B : indictione. — (4) B : procurator. — (5) Ms : Viturbiensis. — (6) B : recolendæ. — (7) B : add : litteras. — (8) Ms : clausulas. — (9) B : add : per. — (10) Ms : buretis. — (11) B : magna cum reverentia. — (12) B : auctoritatibus. — (13-14) B : abbati.

(a) La bibliographie concernant ce religieux sera donnée lors de sa déposition, cf. infra n° 58.

(b) Sur Marino Caracciolo, chanoine napolitain du titre de Sainte Marie ad Plateam, cf. SANTAMARIA (P.), *Historia collegii Patrum canonicorum Metrop. Ecclesiae neapolitanae ;* Naples, 1900, p. 510.

Magnono (a) (1), canonico Neapolitano, et domino Laurentio de Tincosis (2), canonico ecclesie sancte Marie de Transtiberim (3) de Urbe, presbytero, Roberto,canonico ecclesie sancti (4) Stephani, Viterbiensis supradicti domini episcopi cappellano, et pluribus aliis presentibus ad premissa testibus vocatis atque rogatis. Littere vero supradicte patentes, non abrase, non cancellate nec in aliqua sui parte suspecte, sed omni suspitione carentes erant per omnia tenoris et continentie subsequentis.

III. — Ioannes episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Neapolitano.. (5) et Episcopo Viterbiensi .. (6) (B. p. 685, col. 1) ac dilecto filio Magistro Pandulpho de Sabbello, notario nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

De occultis sapientie divine consiliis, de potenti manu indevicte virtutis, et de beneficiis solite pietatis, militanti Ecclesie pro necessario in pugna solamine dona mittuntur ; et prevenitur in dulcedine consolationum mentalium, que invitata est ad convivia celestium nuptiarum : ex (7) quibus in debitas laudes, assurgimus, dum sanctorum in celis festa (8) gaudiis internis cum laudibus celebramus, reddimusque Deo gratias, qui suam consolatur Ecclesiam, dum peregrinatur a patria, quam continuis adiutoriis roborat, dum impugnatur in via. Cuius, quamvis indigni, quia divina miseratione curam suscepimus, velut Christi Vicarius, de profectu eiusdem commisse nobis Ecclesie congaudemus : dum de diversis mundi partibus nobis intimatur ad gaudium, quod infideles de gentibus ad Ecclesiam fidei piscatione perveniant, et fideles ad patriam de mundo conscendant : qui de corruptione munditia, de fragilitate (fol. 2[r].) constantiam, ac Dei dono de infirmitate adepti victoriam necnon interdum — ne super hiis fides nutaret credentium sed Deum laudans in sanctis

(1) B : Mangnotia. — (2) B : Laureto de Tuncosis. — (3) B : Transtiberi. — (4) Ms : santi. — (5-6) B : omitt. — (7) B : de. — (8) Ms : gaudiis festa.

(a) Sur Raynald Magnone, cf. Santamaria, *op. cit.*, pp. 395 et 499.

eius, argumentis validissimis nutriretur, optaretque ex gratia imitari quod coleret, assequi quod (1) collaudaret — notis coruscare miraculis referuntur.

Sane dudum ex parte carissime in Christo filie nostre Marie regine Sicilie, clare memorie Karoli secundi regis Sicilie relicte, et dilectorum filiorum, nobilium virorum, Philippi (2) principis Tarentini, ac Iohannis comitis Gravinensis ac aliorum plurimum comitum et (3) baronum regni predicti, communis quoque ac Universitatis magistrorum et scolarium Neapolitanorum, coram nobis, et fratribus nostris propositum extitit, et per eorum litteras nuntiatum, quod recolende memorie frater Thomas de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie doctor, dum viveret, odore sanctitatis emicuit, conversatione resplenduit et multis magnis tam ante quam post suum obitum miraculis coruscavit, quare pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut de eiusdem fratris Thome vita et miraculis, inquisitione premissa, si repperiremus premissa veritate fulciri, ipsum ascriberemus sanctorum cathalogo, ipsumque faceremus per universas ecclesias, honore congruo, sollempniter venerari. Verum licet predicta coram nobis et eisdem fratribus nostris exposita, si vera sint, nostrum et fratrum ipsorum corda multa iocunditate repleverint ; attendentes tamen, quod romana Ecclesia, presertim in tanto fidei negotio, ubi videlicet de re tam ardua queritur, cum magna consuevit maturitate procedere quodque scriptum sit: Causam quam nesciebam diligenter investigabam — nam si gloria sit celare verbum, gloria tamen Regis est investigare sermonem — venerabili fratri Arnaldo (a), episcopo Albanensi, et dilectis filiis nostris Guillelmo (b), tituli sancti Ciriaci in Termis presbytero, ac Guillelmo, sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, commisimus, ut apud sedem apostolicam de huiusmodi sanctitatis vite ac miraculorum fama predicti fratris Thome informa-

(1) Ms. omitt. — (2) B. omitt. — (3) B : ac.

(a) Sur Arnaud Novelli, cf. MOLLAT (G.), *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, t. IV, Paris, 1928, col. 432-434 ; BALUZE (rééd. MOLLAT), *op. cit.*, t. II, pp. 145-146.

(b) Sur Guillaume Testa, cf. BALUZE (rééd. MOLLAT), *op. cit.*, t. II, pp. 167-168.

tionem per testimonia (fol. 2v.) fide dignorum reciperent, illaque nobis referre curarent, ut veri similitudine inde sumpta, tutius possemus procedere in negotio prelibato ; et quia per dictorum cardinalium relationem fidelem coram nobis et fratribus nostris factam accepimus aliqualem informationem de sanctitatis et miraculorum fama predicta ; Nos pium et congruum reputantes ut si vera sint predicta non lateat, de ipsorum fratrum nostrorum concilio supplicationi huiusmodi (1), prout presentium describitur serie, duximus annuendum. Quo circa discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam (B. p. 685, col. 2) obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum in loco vel locis, ubi expedire videbitis, de vita et conversatione ac miraculis fratris Thome predicti, ceterisque circunstantiis huiusmodi (2) negotium tangentibus, iuxta formam quam nobis sub bulla nostra transmittimus interclusam (3), inquiratis diligentius (4) veritatem ; et que super premissis inveneritis, fideliter in scriptis redacta sub testimonio sigillorum vestrorum per viros ydoneos ad sedem apostolicam destinetis ; ut per inquisitionem vestram sufficienter instructi, sicut res exigit et expediens visum fuerit, securius in ipso negotio procedere valeamus.

Datum Avinioni, idibus septembris, pontificatus nostri anno tertio.

IV. — Eodem anno, die lune XXIII dicti mensis iulii, secunde indictionis, in palatio archiepiscopatus Neapolitani reverendi Patres domini archiepiscopus et episcopus, inquisitores supradicti, supradictas litteras apostolicas (5) clausas, de quibus superius fit mentio, in eorum presentia per me Petrum, notarium supradictum (6), aperiri et legi fecerunt, quarum tenor per omnia talis est :

Forma, iuxta quam testes examinabitis super vita, conversatione, ac miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie doctoris, testes legitimos, quos super vita, conversatione ac (7) mi-

(1) B : fideli. — (2) B : fidei. — (3) B : inclusam. — (4) B : diligenter. — (5) B : litteras apostolicas supradictas. — (6) B : eumdem. — (7) B : et.

raculis dicti fratis Thome debetis recipere, prius ab eis prestito iuramento, diligenter examinare curetis, et de omnibus, que dixerint, interrogetis eos, quomodo sciunt (1), quo tempore, quo mense, quo (2) die, quibus presentibus, quo loco, ad cuius vocationem, et quibus verbis interpositis, et de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur ; et si eos ante cognoscebant, et quot diebus ante viderunt (fol. 3r.) eos infirmos, et quanto tempore fuerunt infirmi, quanto tempore visi sunt sani (3) et (4), de quo loco sunt oriundi (5), interrogentur (6) de omnibus circumstantiis diligenter, et ad singula capitula fiant, ut expedit, questiones predicte et series testimonii ac verba testium fideliter reddigantur in scriptis.

V. — Predicti itaque inquisitores, in dicto commisso eis inquisitionis officio iuxta prescripte commissionis eorum seriem procedere cupientes ac deliberantes processum inquisitionis huiusmodi (7) facere (8) in civitate Neapolis (9), pro eo quod dictus dominus archiepiscopus infirmitate detentus ad loca alia extra Neapolim non poterat se conferre, citari mandaverunt interdum per eorum litteras, interdum per dompnum Leonardum, presbyterum de Neapoli, iuratum nuntium eorum, subscriptos testes : de quorum citatione cum per responsales commissariorum, quibus litteratorie commissum extitit testes ipsos citare, tum per relationem fidelem dicti nuntii iurati, eisdem dominis inquisitoribus oretenus factam plenarie constitit : a quibus quidem testibus, in terminis citationis eorum coram dictis dominis inquisitoribus in dicto palatio archiepiscopatus Neapolitani compresentibus, ad citationem eandem receperunt idem inquisitores, ipsique testes in eorumdem dominorum inquisitorum manibus prestiterunt de pura veritate dicenda super vita et conversatione ac miraculis dicti fratris Thome de Aquino, corporale ad sancta Dei evangelia iuramentum, prece, pretio, subornatione, odio, gratia vel amore aut alia corruptionis specie quibuscumque sublatis. Quo iuramento a dictis testibus suis vicibus sic recepto, ipsos

(1) B : sciant. — (2) B : qua. — (3) Ms : insani. — (4) B. omitt. — (5) B. omitt. — (6) B : omnium interrogationes. — (7) B : huiusmodi inquisitionis. — (8) B : factæ. — (9) B : Neapolitana.

supra vita et conversatione ac miraculis eiusdem fratris Thome receperunt et examinaverunt diligenter, semoti et in secreto iuxtra traditam eis per apostolicam sedem formam. Quorum testium nomina et cognomina, depositiones et dicta sub religione dicti per eos prestiti iuramenti recepta, ac dies et loca seu locus iuramentorum et depositionum eorum huiusmodi (1) (B. p. 686, col. 1) infra distincte et particulariter continentur. Videlicet eodem die lune XXIII eiusdem mensis et indictionis, Neapoli in palatio archiepiscopatus :

[PETRUS GRASSUS]

VI. — (fol. 3v.) Dominus Petrus Grassus de Neapoli, miles regis, commissarius et familiaris, etatis, ut dixit, circa annos sexaginta, qui dicebat de miraculis dicti fratris Thome de Aquino aliqua in se miracula sensisse, et etiam recepisse, vocatus ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum et iuratus coram ipsis inquisitoribus, super vita et conversatione ac miraculis dicte fratris Thome dicere puram et veram veritatem, quam scit ex visu, auditu et credulitate, et quod etiam ad interrogata super ipsa inquisitione veraciter respondebit, amore vel odio, prece, pretio, favore vel subornatione qualibet sublatis.

Et primo interrogatus de vita et conversatione eiusdem fratris Thome, dixit quod ab eo tempore, quo ipse testis erat scolaris et puer audivit, nemine discrepante, dici communiter et teneri quod ipse frater Thomas erat homo sanctissime vite et multi tenebant quod esset virgo sicut ex utero matris sue et quod die quolibet ipse ante omnes, dicebat missam suam, et ex ordinatione sua per eum (2) id servabatur (3) continue quod immediate post completam missam suam, priusquam exueretur ex toto, erat indutus presbyter alius ad aliam

(1) B : hominum. — (2) B : preter. — (3) B : servabat.

missam dicendam, quam etiam (1) ipse audiebat ad finem, priusquam ad actus alios traheretur. Et insuper quod ipse nunquam, preter naturalis quietis horas, horam habebat aliquam otiosam, qua trahi posset vel aliquatenus occupari ad actus aliquos seculares, sed aut legebat, aut scribebat, seu scribi faciebat, aut orabat, aut predicabat.

Interrogatus a quibus hec audivit, dixit quod non nunquam a fama publica, non nunquam a religiosis, non nunquam a studentibus et frequenter a domino Bartholomeo de Capua (a), regni Sicilie logotheta, fratre Raynaldo de Piperno (b), socio dicti fratris Thome, fratre Jacobo et aliis fratribus ordinis Predicatorum, quos interdum audivit de talibus colloquentes. (fol. 4r.) Et addidit quod dum quadam vice coram sancte memorie fratre Iacobo de Viterbio (c), ordinis Heremitarum, tunc (d) archiepiscopo Neapolitano, tractaretur de viris scientibus et scientia aliquorum, dixit ipse archiepiscopus quod nulli sibi attribuant vel ascribant in sacra scientia aliquid plene scire, nisi qui sequuntur et inherent scientie et scriptis fratris Thome de Aquino, qui viam aperuit intelligentibus ad sciendum.

Interrogatus de loco ubi audivit dici predicta, dixi quod ubique locorum ubi (B. p. 686, col. 2) dictus testis aliquoties moram traxit, et ut plurimum in civitate Neapolitana.

VII. — Item interrogatus super miraculis eiusdem fratris Thome, dixit et deposuit ut infra particulariter continetur, videlicet : quod ipse miles privatus per menses decem vel circa, virtute ac (2) usu (3) solito brachii sui destri, adeo quod nec

(1) Ms : ex. — (2) B : et. — (3) Ms : ac miraculis usu et.

(a) Je donnerai la bibliographie concernant Barthélemy de Capoue au début de la déposition du Logothète, cf. infra. nº 76.

(b) Sur Réginald de Piperno, cf. TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi di san Tommaso*, dans *San Tommaso d'Aquino, Miscellanea storico-artistica*, Rome, 1924, pp. 118-121. — Je citerai dans la suite ce recueil sous l'abréviation : STM.

(c) Sur cet archevêque de Naples, cf. la bibliographie donnée par UEBERWEG-GEYER, *Grundriss der Geschichte der Philosophie*, t. II, Berlin, 1928, pp. 774-775.

(d) Jacques de Viterbe fut transféré du siège de Bénévent à celui de Naples le 12 Décembre 1302, il gouverna cette église jusqu'en 1307, année de sa mort, cf. EUBEL, *op. cit.*, t. I, p. 359.

de ipso brachio nec de manu propria usus solitos exerce [posset], immo nec caput pectere, vel infulam sub mento ligare, nisi per alium adiutorem.

Habuit, anno sequenti prime indictionis proxime preterite, Romam accedere peregre in quadragesima dicti anni ; et dum esset in via, occurit ei circa Terracenam (1) attendere de beato corpore dicti fratris Thome, quod audiverat alias fuisse sepultum in monasterio Fosse-Nove (a), et tunc in mente concipiens et etiam fidem sumens posse de passione dicti sui brachii ex ipsius sancti (2) meritis adiuvari, destinavit et vovit in animo (3) illuc omnino divertere. Et sic factum est quod, de tota societate, cum qua pergebat ad Urbem, assumptis pro sociis duobus Neapolitanis militibus, videlicet domino Nicolao Filmarini et domino Henrico Caracchulo, qui etiam locum dicti sepulcri visitare desiderabiliter cupiebant, pervenit illuc (4) pariter cum eisdem, et eo introeunte curtim (5) dicti monasterii Fosse-Nove, statim quesivit et habuit unum de monachis dicti monasterii, quem rogavit, ut ei locum ostenderet sepulcri corporis prelibati.

Quo sepulcro ei per illum a remotis aliquantulum preostenso, quod quidem (fol. 4v.) sepulcrum dixit idem miles esse ad sinistram partem maioris altaris monasterii supradicti : cum itur ad illud, inspectoque super ipso sepulcro quodam tapete, quod fecit abinde removeri, genuflexus in terra ante dictum sepulcrum pro recuperanda sanitate dicti sui brachii, per hec verba dixit se Dominum exorasse : « Domine Deus, qui in sanctis tuis mirabilis es, concede michi per merita sancti huius, mei deperditi brachii solitam sanitatem ». Et statim protenso se toto supra dicto sepulcro, notabiliter sensit reditam sibi virtutem deperditam brachii supradicti : quodam solo

(1) B : Tracen — (2) Ms : sanctis. — (3) Ms : anno. — (4) Ms. addit : illuc. — (5) B : curtile.

(a) Sur l'abbaye de Fossanova, cf. KEHR (P. F.), *Regesta Pontificum Romanorum*, t. II, Berlin, 1907, pp. 125-127. — A la bibliographie fournie par cet auteur, on peut ajouter le travail de CASSONI (M.), *La Badia di Fossanova presso Piperno*, dans *Rivista storica benedittina*, t. V, 1910, pp. 578 et sq, et les deux articles publiés dans STM par FEDELE (P.), *Fra i monaci di Fossanova che videro morir san Tommaso*, pp. 187-194, et SERAFINI (A.), *L'abbazia di Fossanova e le origini della architettura gotica nel Lazio*, pp. 223-292.

tamen circa iuncturas dicti brachii remanente stupore, in modum cuiusdam pigritationis seu dormitationis nervorum qui ex toto evanuit circa sero ipsius diei. Vertit extemplo se (1) ad eosdem socios, et notificavit illis factum sibi miraculum per merita dicti sancti, et ex tunc, dicto transacto die, ita percepit et habuit restitutam ex toto dicti brachii sanitatem, ac si nunquam passionem aliquam habuisset in illo.

Interrogatus de tempore passionis brachii supradicti, dixit quod ipsa passio invasit eum in eodem brachio a mense maii (2) de anno quinte (3) decime indictionis proxime preterite et duravit usque ad tempus huiusmodi sibi reddite sanitatis, quod fuit de mense maii (4) tunc immediate sequentis. Interrogatus de loco et presentibus, dixit ut supra deposuit.

[Frater NICOLAUS, Abbas monasterii Fossæ-Novæ]

VIII. — Die martis XXIIII eiusdem mensis, Neapoli in palatio archiepiscopatus, venerabilis et religiosus vir, frater Nicolaus, abbas monasterii Fosse-Nove, ordinis cisterciensis, citatus ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, iuratus coram eis super vita et conversatione ac miraculis dicti fratris Thome dicere puram et meram veritatem, quam scit ex visu, auditu et credulitate, et ad interrogata etiam veraciter respondere amore, odio, prece, pretio, favore et subornatione qualibet (5) sublatis, et primo interrogatus super vita et conversatione eiusdem (fol. 5r.) fratris Thome, dixit quod olim tempore (6) felicis recordationis domini Gregorii pape decimi, dum dictus frater Thomas vocatus iret ad concilium Lugdunense (a) et transitum faceret per Campaniam, infirmatus fuit in castro Magentie cuiusdam domini Anibaldi de Ceccano (b), et cum infir-

(1) B : se extemplo. — (2) B : Maio. — (3) B : quinto. — (4) B : Maio. — (5) B : aliqua. — (6) Ms : tempore olim.

(a) Sur ce dernier voyage de saint Thomas, on peut consulter Walz (A.), *De Aquinatis e vita discessu*, dans *Xenia thomistica*, t. III, Rome, 1925, pp. 44-47.

(b) Annibal de Ceccano, de la famille romaine des Annibaleschi, était neveu de saint Thomas par alliance, il avait épousé Françoise d'Aquin, fille de Philippe, frère de notre saint (Scandone (Fr.), *La vita, la famiglia e la patria di san Tommaso d'Aquino*, ds. stm., pp. 27-28, 81).

mitate ipsa (1) gravaretur (B. p. 687, col. 1), dixit, ut audivit a pluribus : « Si Dominus voluerit me visitare, melius est quod reperiar in domo religiosorum quam in domibus secularium ». Et ex tunc causa devotionis fecit se portari ad monasterium Fosse-Nove, quod distat a dicto castro per milliaria sex vel circa, ubi iacuit infirmus quasi per mensem. Et cum pervenisset ad dictum monasterium, in ingressu ipsius audivit dici dictus testis, quod dictus frater Thomas dixit : « Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam (a) ». Et dum idem frater Thomas iaceret infirmus, monachi dicti monasterii ob magnan devotionem, quam habebant ad ipsum propter famam sanctitatis ipsius, propriis manibus portabant ligna de silva (2) ad ipsum pro igne faciendo, sibi non arbitrantes congruum, quod ad usum tanti viri animalia bruta portarent ligna (3). Et ipse quoties videbat ipsos monachos portantes ipsa ligna ad cameram, ubi ipse iacebat, assurgebat cum magna devotione et humiliter dicens : « Unde hoc michi ut sancti viri deferant michi ligna ? ».

Interrogatus de causa scientie, dixit quod ipse interfuit et vidit et audivit predicta.

Dixit etiam se vidisse quod dictus frater Thomas cum magna devotione, reverentia et lacrimarum effusione suscepit ecclesiatica sacramenta in eodem monasterio, in eadem infirmitate, ex (4) qua infirmitate obiit. Interrogatus de tempore ut puta de anno, mense et die, dixit se non recordari : dixit tamen quod fuit tempore quadragesimali. Interrogatus quibus presentibus vidit et audivit predicta, dixit quod presentibus fratre Petro de Monte sancti Iohannis (b) et fratre Octaviano de Babuco, monachis dicti monasterii, nunc viventibus, et multis aliis monachis eiusdem monasterii iam defunctis.

Interrogatus si alia sciret de vita et conversatione ipsius

(1) B : ipsa infirmitate. — (2) Ms : insula. — (3) B : animalia bruta portarent ligna ad usum tanti viri. — (4) B. omitt : ex.

(a) Ps. CXXXI, 14.

(b) Sur Pierre de Monte San-Giovanni, cf. Fedele, *op. cit.*, pp. 188-192 et Serafini, *op. cit.*, p. 251, note 1.

fratris Thome, dixit quod audivit dici, quod ipse frater Thomas fuit homo magne honestatis, munditie et sanctitatis et cotidie dum erat sanus celebrabat et continuo vacabat studio et orationibus. Audivit (fol. 5[v].) etiam quod fuit virgo dum vixit sicut ab utero matris sue.

Interrogatus a quibus audivit predicta dici, dixit quod a predicto fratre Petro de Monte sancti Iohannis qui audiverat a confessore suo, et quod frater Petrus alias fuerat conversatus cum dicto fratre Thoma.

Item interrogatus super miraculis si qua (1) sciret facta fuisse propter merita dicti fratris Thome sive in vita sive post mortem ipsius, dixit, quod post mortem ipsius, dum corpus ipsius fratris Thome esset sepultum ante altare dicti monasterii, monachi eiusdem monasterii dubitantes, ne corpus ipsum raperetur, ab inde secreto transtulerunt ipsum corpus a dicto sepulcro ad quamdam cappellam que dicitur cappella sancti Stephani eiusdem monasterii. Et post spatium quasi septem menses apparuit in sompnis idem frater Thomas fratri Iacobo, tunc priori ipsius monasterii, sicut publice dicebatur in ipso monasterio, et adhuc dicitur, et dixit ei : « Reduc me ad locum pristinum ». Et sic factum est cum sollempnitate debita per monachos dicti monasterii.

Dixit etiam, quod in apertura ipsius sepulture exivit tanta fragrantia odoris, quod dicta cappella cum claustro dicti monasterii repleta est odore suavissimo. Dixit etiam quod totus conventus dicti monasterii tunc celebravit missam de ipso fratre Thoma tamquam de sancto confessore, cantando : « Os iusti meditabitur sapientiam, et cetera... », considerantes non esse congruum cantare pro ipso missam pro defunctis, cum haberent eum (2) pro sancto viro.

Interrogatus de causa scientie, dixit quod interfuit et vidit predicta. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit infra VII menses (3) vel circa post dicti fratris Thome obitum, ut supra, dixit tamen de mense et die se non recordari. Interrogatus quibus presentibus, dixit quod presenti-

(1) B : quæ. — (2) Ms : eam. — (3) B : unum mensem.

bus omnibus monachis dicti monasterii, de (B. p. 687, col. 2) quibus supradictus ipse testis et supradicti (1) frater Petrus et frater Octavianus. Interrogatus de loco, dixit ut supra deposuit. Interrogatus ad cuius vocationem ipse testis ivit videre et sentire predicta, dixit quod ipse ivit ad suavitatem odoris, quem sentiit in apertura sepulture predicte.

IX. — Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit quod audivit dici multa alia miracula, et specialiter dum dictus frater Thomas iaceret infirmus in dicto castro Magentie, et requireretur ut aliquid sumeret, dixit : « Si haberem arengas (fol. 6r.) recentes, comederem ». Contigit inde transire victuralem cum sardis, et dum quererentur ab ipso pisces, inventum fuit quod una cista ex ipsis piscibus erat plena arengis recentibus, que plena fuerat sardis, et quod, dum ipse arenge portarentur ad ipsum fratrem Thomam, noluit comedere.

Dixit etiam quod audivit dici de quodam, qui vocabatur magister Raynaldus, qui fuerat claudus et meritis dicti fratris Thome fuit liberatus, dum esset ad sepulcrum ipsius.

Interrogatus a quibus audivit dicta duo miracula, dixit quod dictum miraculum piscium audivit dici a fratre Guillelmo de Tocco, priore Beneventano fratrum Predicatorum, qui prior dixerat sibi (2), quod audiverat hoc a pluribus hominibus dicti castri Magentie (3), ubi dictum miraculum factum fuisse dicebatur ; et dictum alium miraculum de claudo dixit (4) se audivisse a fratre Octaviano predicto, qui dixit eidem testi se miraculum ipsum vidisse. Dixit etiam quod de predictis est vox et fama publica in monasterio supradicto.

---

(1) B : supradictus. — (2) B : eis. — (3) Ms : Magontie. — (4) B : dicit.

[Frater NICOLAUS DE FRESOLINO]

X. — Eodem die ibidem, frater Nicolaus de Fresolino (1), monachus dicti monasterii, testis iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum super vita et conversatione ac miraculis dicti fratris Thome dicere puram et meram (2) veritatem quam scit ex visu, auditu et credulitate, et etiam ad interrogata veraciter respondere, amore, odio, prece, pretio, favore et subornatione qualibet sublatis, et (3) interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se audivisse dici quod fuit homo sancte vite et conversationis, dum vixit : et ipse testis vidit quando dictus frater Thomas venit infirmus de castro Magentie ad dictum monasterium Fosse-Nove et ibidem in ipsa infirmitate cum magna (fol. 6v.) reverentia et devotione et lacrimis suscepit Corpus Dominicum et ecclesiastica sacramenta, et cum ipse testis esset tunc novitius in dicto monasterio, de aliis particularibus vite et conversationis ipsius fratris Thome dixit se notitiam non habuisse.

Dixit insuper se audivisse dici a supradicto fratre Petro de Monte sancti Iohannis quod dictus frater Thomas in ingressu dicti monasterii dixit : « Hec est requies mea, et cetera ». Interrogatus de tempore, mense et die adventus dicti fratris Thome ad monasterium supradictum, dixit (4) quod sunt anni quadraginta quinque et quod fuit de mense februarii et mortuus fuit nono (5) martii, dictum mensem februarii tunc immediate sequentis, quadragesimali scilicet tempore.

Item interrogatus (6) de miraculis dicti fratris Thome in vita vel post mortem ipsius, dixit quod dum corpus ipsius fratris Thome fuisset sepultum ante altare ecclesie dicti monasterii et frater Iacobus de Florentino (*sic*) (a), tunc prior dicti monas-

(1) Ms : Fresolono. — (2) B : veram. — (3) B. omitt. — (4) Ms. omitt. — (5) Sic Ms. et B. pro : nonis. — (6) B : interrogatus item.

(a) C'est par erreur que notre manuscrit et les Bollandistes ont écrit « *de Florentino* » au lieu « *de Fiorentino* » (cf. de même nos 17, 19, 52). Jacques, prieur de Fossanova, puis abbé du même monastère, était originaire de Ferentino (Fiorentinum), petit bourg du Latium, cf. Fedele, *op. cit.*, p. 118, n° 1.

terii, ipso et aliis monachis dicti monasterii dubitantibus, ne corpus ipsum auferretur abinde, fecit ipsum transferri de ipso sepulcro ad cappellam sancti Stephani eiusdem monasterii (1), et ibi iacuit per menses septem et postea dicti monachi reportaverunt ipsum corpus ad pristinum locum : et in apertura ipsius sepulcri tantus inde fragravit odor quod (2) dicta cappella et claustrum repleta sunt (3) odore predicto, ita quod ipse testis simul cum aliis monachis ipsius (4) monasterii cucurrit ad odorem predictum.

XI. — Item interrogatus si sciret alia miracula de (B. p. 688, col. 1) dicto fratre Thoma, dixit quod magister Raynaldus, medicus cirurgicus, habitator castri sancti Laurentii de Valle, dum claudicasset propter morbum pedum, ita quod sine substentatione baculorum (fol. 7r.) seu gambettarum stare et ambulare non poterat, venit ad dictum monasterium, vocatus ad curam cuiusdam infirmi, nomine fratris Iohannis de Amico, qui erat in ipso monasterio ; et dum esset ibi, audita fama dicti fratris [Thome], cum magna devotione accessit ad tumulum dicti fratris Thome et iacens per aliquam horam super sepulcro ipso et orans, subito dicte egritudinis consecutus est sanitatem, et sanus recessit a dicto monasterio sine (5) alicuius adminiculo substentationis ad propria.

Interrogatus de causa scientie, dixit quod interfuit et vidit predicta. Interrogatus de tempore, mense et die, quo factum fuit dictum miraculum, dixit se non recordari : dixit se tamen estimare quod fuerit quinto anno vel circa post obitum dicti fratris Thome. Interrogatus quibus presentibus factum fuit dictum miraculum, dixit quod fuerint presentes ipse testis, frater Petrus de Fundis, frater Martinus de Pastina, monachi, et frater Nicolaus de Paleario, monachus conversus dicti monasterii et multi alii monachi eiusdem monasterii. Interrogatus de loco, dixit ut supra. Interrogatus ad cuius vocationem ipse testis ac (6) predicti alii monachi iverunt ad videndum dictum miraculum, dixit quod interfue-

(1) B. omitt : eiusdem monasterii. — (2) B : ut. — (3) B : fuerint. — (4) B. omitt. — (5) Ms. omitt. — (6) B : et.

rat a principio cum ipso infirmo, et tam ipse quam alii monachi ipsius monasterii ad sonum campane congregati fuerunt in choro ecclesie ipsius monasterii, qui, viso ipso miraculo, cantaverunt sollempniter : « Te Deum laudamus... »

Item interrogatus que verba in orando interposuit dictus magister Raynaldus, quando liberatus fuit, dixit se non audivisse verba, per que oravit, set vidit ipsum orantem secreto super sepulcrum predictum (1). Interrogatus si cognovit (2) dictum magistrum Raynaldum et viderat (3) ipsum infirmum de pedibus ante ipsum miraculum, dixit quod sic. Interrogatus quanto tempore cognovit (4) et vidit (5) (fol. 7[v].) ipsum infirmum seu in ipsa infirmitate sistentem (6), dixit quod per annum et ultra. Interrogatus quanto tempore vidit (7) ipsum post dictum miraculum sanum, dixit se non aliud scire nisi quod vidit ipsum recedentem sanum statim facto ipso miraculo. Interrogatus qua infirmitate pedum detinebatur dictus magister Raynaldus, et si habebat pedes integros vel attractos, dixit quod integros tamen gravatos gutta. Interrogatus qua gutta, dixit podagrica. Interrogatus si dictos baculos deferebat ad eius sustentationem in manibus an sub ulnis, ita quod corpus sustentaretur super baculis ipsis, dixit quod portabat ipsos baculos sub ulnis seu brachiis. Interrogatus si solo subfragio baculorum vel alterius conductu sustentabatur (8), dixit quod utroque subfragio utebatur, nam aliter non poterat ambulare. Interrogatus si dictum miraculum fuit factum de die vel de nocte dixit quod de die. Interrogatus qua hora diei, dixit quod post tertiam et ante nonam (9).

Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit se nescire de visu, tamen audivit dici quod multi voventes se dicto fratri Thome (10) et accedentes ad tumulum eius consecuti sunt de eorum (11) infirmitatibus sanitatem. Dixit etiam quod de omnibus est publica vox et fama in dicto monasterio et locis vicinis et specialiter in Piperno.

---

(1) B : predictum sepulcrum. — (2) B : cognoverit. — (3) B : viderit. — (4) B : cognoverit.— (5) B : viderit.— (6) B: existentem.— (7) B : viderit.— (8) Ms : sustentabantur. — (9) Ms : notam. — (10) B. omitt. — (11) B : suis.

[Frater MARTINUS de PASTINA]

XII. — Eodem die, ibidem, frater Martinus de Pastina, sacerdos et monachus dicti monasterii, testis iuratus secundum formam superius annotatam, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod audivit dici quod ipse (fol. 8r.) frater Thomas fuit homo spiritualis, sancte conversationis et vite, et quod fuit virgo usque ad tempus mortis sue. (B. p. 688, col. 2) Interrogatus a quibus audivit hec dici, dixit quod communiter audivit dici a monachis dicti monasterii.

Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome factis in vita vel post mortem ipsius, dixit se audivisse dici quod, quando fuit translatum corpus dicti fratris Thome de cappella sancti Stephani dicti monasterii ad pristinum locum eius ante altare maius ecclesie dicti monasterii, de (1) sepulcro ipso, de quo translatum fuit, magna fragrantia odoris exibat. Interrogatus a quibus audivit dici, dixit quod a fratre Nicolao, nunc abbate dicti monasterii, et a fratre Petro de Monte sancti Iohannis et a fratre Blasio, magistro testis, monachis (2) ipsius monasterii, qui in apertura ipsius sepulcri fuerunt presentes, ut dixerunt ipsi testi. Et ipse etiam testis post quinquennium, dum sepulcrum ipsius fratris Thome, quod erat ante altare supradictum, iterato aperiretur, sensit suavem fragrantiam odoris quasi incensi ; et tunc idem testis perquisivit si esse appositum incensum et invenit quod non fuerat ibi appositum incensum, sed (3) quod de corpore ipsius fratris Thome exibat dictus odor (4).

XIII. — Item interrogatus, si sciret alia miracula eiusdem fratris Thome, dixit se scire quod magister Raynaldus (5), medicus cirurgicus (6) de sancto Laurentio de Valle, qui venerat ad curandum unum monachum ipsius monasterii infirmum, qui vocabatur frater Iohannes de Aynico (7), dum

(1) B : a. — (2) B : et a monachis. — (3) B : et. — (4) B : dictus odor exibat. — (5) B : Raynaldus Amicus. — (6) B. omitt. — (7) B : Amico.

esset gutta podagrica adeo gravatus quod per se non poterat stare vel ambulare, nisi ex substentatione et adminiculo aliorum. Audito ibidem quod Deus multa miracula fecerat (fol. 8v.) propter merita dicti fratris Thome, causa devotionis et sanitatis recuperande, fecit se portari ad tumulum dicti fratris Thome per duos homines, qui substentabant eumdem ; et dum fuisset ibi per horam, qua (1) ipsi forte potuissent « Septem Psalmi » concini (2), dictus medicus miraculose extitit liberatus. Interrogatus quomodo id sciret (3), dixit quod ipse presens fuit et vidit ipsum infirmum portari ad sepulcrum predictum et postea prosilientem (4) per se sanum et dicentem : « Sanus sum ». Vidit etiam eum per se libere equitantem quando recessit de dicto monasterio et dicentem : « Decem anni (5) sunt quod fui infirmus et modo sum sanus (6) ». Interrogatus de tempore quo factum fuit dictum miraculum, dixit quod sunt anni XXXVIII vel circa iam elapsi ; de mense, die et hora dixit se non recordari. Dixit tamen quod fuit factum de die et tali hora quod (7) potuit equitare dictus medicus per decem miliaria et quod fuit tempore quadragesime ut sibi videtur. Interrogatus qui fuerunt presentes quando dictum miraculum fuit factum, dixit quod multi fuerunt presentes tamen non recordatur de omnibus eorum, nisi de fratre Fidele qui mortuus est. Interrogatus de loco ubi factum fuit dictum miraculum (8), dixit quod in dicto monasterio ad sepulcrum dicti fratris Thome.

Interrogatus ad cuius vocationem ipse testis ivit ad videndum dictum miraculum, dixit quod, facto dicto miraculo, campane ipsius monasterii pulsate fuerunt, et tunc ipse et alii fratres dicti monasterii adcesserunt ad chorum ecclesie ipsius monasterii et inibi congregati « Te Deum laudamus » propter dictum miraculum cantaverunt. Interrogatus si alii convenerunt ad dictum miraculum videndum, dixit quod omnes familiares dicti monasterii cucurrerunt ad illud, coram quibus etiam equitavit et recessit sanus ut supra dicitur. Interrogatus que campane pulsate fuerunt propter sollempnitatem

(1) Ms : quam. — (2) Ms. omitt. — (3) Ms. omitt. — (4) Ms : prosilentem. — (5) Ms omitt. — (6) B : sanus sum. — (7) B : qua. — (8) B : dictum miraculum factum fuit.

dicti miraculi, dixit quod omnes campane magne et parve existentes in campanario ecclesie dicti monasterii. Interrogatus quibus verbis fuit usus dictus infirmus quando orabat iuxta seu super sepulcrum predictum, dixit se nescire : pro eo quod licet viderit (fol. 9r.) ipsum infirmum accedentem ad dictum sepulcrum et postea sanatum, non tamen audivit orationem eius. Interrogatus (B. p. 689, col. 1) si cognovit (1) dictum magistrum Raynaldum ante dictum miraculum, dixit quod sic. Interrogatus quanto tempore cognoverat dictum magistrum Raynaldum, dixit quod pluribus annis cognovit eum. Interrogatus quanto tempore fuerat infirmus dictus magister Raynaldus, dixit se non recordari de numero annorum nisi quantum audivit ab illo, quod decem annis fuerat infirmus et ipse pluribus et diversis vicibus et temporibus viderat ipsum infirmum dicto morbo. Interrogatus si postquam recessit sanus de dicto monasterio vidit eum sanum, dixit quod non vidit eum ulterius neque sanum neque infirmum.

XIV. — Item interrogatus si sciret aliqua miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod audivit a multis et specialiter a quodam demoniaco liberato ab ipso qui postea effectus est monachus conversus dicti monasterii. Interrogatus de nomine illius liberati (2), dixit quod vocatur (3) Petrus. Interrogatus de quibus audivit dici, dixit quod audivit a pluribus monachis dicti monasterii qui, ut dicebant, interfuerant dicto miraculo; de quorum monachorum nominibus dixit non recordari, cum fuerit ipse testis absens a dicto monasterio (4) annis quindecim et ultra. Interrogatus si de premissis est publica vox et fama in dicto monasterio (5) et locis vicinis, dixit quod sic de hiis (6) que deposuit.

[Frater OCTAVIANUS de BABUCO]

XV. — Die mercurii XXV dicti mensis, ibidem, frater Octavianus de Babuco de Campania, sacerdos et monachus dicti monasterii Fosse-Nove, testis iuratus iuxta formam superius (7)

(1) B : dictum Magistrum Raynaldum cognovit.— (2) B. omitt.— (3) B : vocabatur. — (4-5) Ms : monesterio. — (6) B : iis. — (7) B : supra.

annotatam et interrogatus (1) primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se hoc inde (fol. 9[r].) scire quod ipse frater Thomas fuit homo sancte vite, conversationis honeste, magne castitatis, abstinentie et sobrietatis in cibo et potu, et homo vacans orationibus, ieiuniis et studio (2) et ipsius (3) orationibus fundebat lacrimas, et quod fuit homo magne caritatis, compassionis et humilitatis, devotionis et sapientie erga Deum et proximum. Interrogatus in causa scientie, dixit quod ipse vidit ipsum fratrem Thomam et conversatus fuit cum eo, et servivit ei interdum, et vidit eum celebrantem et lacrimantem circa communionem. Interrogatus quanto tempore cognovit dictum fratrem Thomam ante eius obitum (4), dixit quod per annos quatuor vel circa.

Interrogatus in quibus locis vidit eum, et conversatus fuit cum ipso et servivit sibi (5), dixit quod vidit ipsum et conversatus fuit cum eo et servivit ei in castro Magentie, ad quodam castrum plerumque veniebat ad visitandum quandam dominam consenguineam suam et ad monasterium Fosse-Nove. Interrogatus (6) si cognovit eum sic (7) ipsum continuasse dictam sanctam vitam et conversationem usque ad mortem, dixit quod sic. Interrogatus quomodo scit, dixit ut supra (8). Interrogatus quantum tempus esset quod dictus frater Thomas decessit, dixit quod sunt anni quadraginta sex vel circa : dixit etiam quod ipse vidit (9) ipsum fratrem Thomam venientem de castro Magentie in quo fuerat infirmatus ad dictum monasterium Fosse-Nove. In cuius monasterii ingressu, convenit ante chorum ecclesie dicti monasterii et dixit hec verba : « Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam (10) ». Interrogatus de causa scientie, dixit quod interfuit et audivit verba predicta a dicto fratre Thoma prolata. Interrogatus qui fuerunt (11) presentes quando dixit predicta verba, dixit quod ipse testis et frater (fol. 10[r].) Petrus de Monte sancti Iohannis, monachus dicti monasterii, qui adhuc vivit, et plures alii monachi eiusdem monasterii, de quorum nominibus dixit se non recordari.

(1) B : primo interrogatus. — (2) B : studiis. — (3) B : in suis. — (4) Ms : obitu. — (5) B : illi. — (6) Ms. addit : quod. — (7) Ms : si. — (8) B : superius. — (9) B : viderit. — (10) B. *omitt.* a in seculum *usque ad* eam. — (11) B : fuerint.

Interrogatus si dictus frater Thomas fuit patiens in ipsa infirmitate, dixit quod sic, et fuit tante mansuetudinis quod non turbavit aliquem servientem sibi. Interrogatus si in ipsa infirmitate recepit (1) ecclesiastica (B. p. 689, col. 2) sacramenta, dixit quod audivit a monachis dicti monasterii quod sic et cum magna devotione et reverentia et lacrimarum effusione. Interrogatus si de dicta infirmitate dictus frater Thomas obiit, dixit quod sic.

Interrogatus in quo loco corpus ipsius fratris Thome fuit sepultum, dixit quod facta fuit sepultura ante altare magnum dicte ecclesie dicti monasterii et iacuit ibi per diem unam tantum ; sed nocte sequenti secreto sublatum fuit inde per aliquos monachos et sepultum in cappella sancti Stephani eiusdem monasterii ; et fuit ibi per menses septem vel circa et postea de sepultura ipsa fuit translatum ad pristinam sepulturam ante altare ; et dixit quod, pro eo (2) quod in ipsa translatione invenerunt ipsum corpus integrum et quod ex eo resultabat fragrantia magni odoris (3), portaverunt ipsum ad dictam primam sepulturam cum processione et cantu. Interrogatus si in translatione ipsius corporis fuit aliqua missa celebrata, dixit quod sic in mane sequenti post ipsam translationem. Interrogatus quam missam cantaverunt, dixit quod missam de uno confessore in qua cantatur : « Os iusti, et cetera... » Interrogatus quomodo scit, dixit quod interfuit dicte translationi et misse et cantavit in ipsa missa cum aliis. Interrogatus quis sacerdos cantavit (4) (fol. 10v.) missam ipsam, dixit se non recordari.

Interrogatus cuius stature fuit dictus frater Thomas, dixit quod fuit magne stature et pinguis et calvus supra frontem. Interrogatus cuius etatis erat tempore obitus sui, dixit quod erat, ut sibi videbatur, annorum quinquaginta vel circa.

XVI. — Item interrogatus de miraculis ipsius fratris Thome factis in vita vel in morte vel post mortem ipsius, dixit quod post mortem ipsius vidit quendam medicum, nomine magis-

(1) B : accepit. — (2) B. omitt : pro eo. — (3) B. addit : et quod. — (4) B : cantaverit.

trum Raynaldum de sancto Laurentio, venientem ad dictum monasterium, equestrem (1) in quodam asino, qui patiebatur morbum podagre in pedibus adeo quod per se non poterat stare (2) nec ambulare nisi ab aliis substentatus. Qui, audita fama sanctitatis ipsius fratris Thome, fecit se portari per duos homines causa recuperande sanitatis et devotionis ad sepulcrum ipsius fratris Thome : super quo sepulcro prostratus per aliquam horam in oratione surrexit tandem a dicta egritudine liberatus.

Interrogatus de causa scientie, dixit quod ipse interfuit et vidit omnia supradicta que deposuit et quod vidit ipsum sanatum (3) per se stantem et ambulamtem sine alicuius suffragio. Item [interrogatus] quo tempore, mense et die factum fuit dictum miraculum, dixit se non recordari de tempore, mense et die : tamen ipse scit quod fuit post translationem predictam. Interrogatus si factum fuit de die vel de nocte, dixit quod de die quasi circa horam (4) nonam. Interrogatus de loco, dixit ut supra. Interrogatus ad cuius vocationem ivit ad dictum miraculum videndum, dixit quod ad nullius, sed ipse videns dictum infirmum ire, ut supradixit, ad dictum (fol. 11r.) sepulcrum causa devotionis, ut videret finem rei, accessit illuc et perseverando illic vidit predicta. Interrogatus quibus presentibus, dixit quod presentibus se teste, fratre Petro de Monte sancti Iohannis, fratre Petro de Fundis et multis aliis monachis eiusdem monasterii de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus quibus verbis usus fuit (5) in oratione sua, dixit quod inter alia audivit ipsum infirmum dicentem : « Ego voveo Deo et sancto Thome de Aquino si me liberaverit facere sibi fieri (6) unam ymaginem de cera ».

Interrogatus si ante dictum miraculum cognovit (7) dictum magistrum Raynaldum, dixit quod sic per unum annum et ultra. Interrogatus si toto ipso (8) tempore quo cognovit eum ante dictum miraculum scivit (9) eum infirmum dicta

(1) Ms : equester. — (2) B : ut per se stare non posset. — (3) Ms : samatum. (4) B. omitt. — (5) B : fuerit. — (6) B : fieri sibi. — (7) B : cognoverit. — (8) B : isto. — (9) B : sciverit.

infirmitate, dixit quod pluries vidit eum et quotiescumque vidit eum (1), ipso (B. p. 690, col. 1) anno ante dictum miraculum, vidit eum infirmum dicta infirmitate. Interrogatus quot vicibus viderat eum sic infirmum, dixit se non recordari : dixit tamen quod pluribus vicibus per diversa temporum (2) intervalla vidit eum infirmum ut dixit. Interrogatus si aliqua sollempnitas fuit facta in dicto monasterio propter ipsum miraculum, dixit quod statim fuerunt pulsate ipse campane dicti monasterii et quod monachi ipsius monasterii « Te Deum laudamus... » sollempniter cantaverunt.

XVII. — Item interrogatus si scit alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod frater Iohannes de Florentino (*sic*), tunc (3) subprior dicti monasterii, qui (4) per plures menses fuerat passus in oculis ita quod non videbat, orans (5) ad pedem sepulcri dicti fratri Thome, eius meritis fuit in dicta infirmitate oculorum miraculose ac subito liberatus. Interrogatus quomodo sciebat, dixit quod vidit ipsum fratrem Iohannem non videntem propter morbum (fol. 11[v].) quem patiebatur in oculis et postea vidit eum liberatum ; et dum peteret ab ipso fratre Iohanne quomodo fuerat liberatus, dixit sibi quod dum oraret ad pedem sepulcri ipsius fratris Thome pro visu recuperando, fuit subito illuminatus. Interrogatus quo morbo viderat eum impeditum in oculis, dixit quod quodam morbo qui vocatur cataracta. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod sunt anni triginta vel circa, quod ipse audivit a dicto fratre Iohanne recitari predicta, et quod dictum miraculum fuerat factum in eo die, mense martii. Interrogatus si scit aliquos interfuisse dicto miraculo, dixit quod audivit a fratre Petro de Monte sancti Iohannis quod ipse interfuerat dicto miraculo. Interrogatus quanto tempore sciverat dictum fratrem Iohannem fuisse lumine privatum ante dictum miraculum, dixit quod per mensem et ultra ; set si maiori tempore fuerat lumine ipso (6) privatus, dixit se ignorare. Interrogatus quanto tempore fuit sanus et illuminatus post dictum miraculum, dixit quod usque ad diem obitus sui, qui

(1) B : eum vidit.— (2) Ms : tempora — (3) B : qui tunc erat.— (4) B. omitt.— 5) B : qui orans. — (6) B. omitt.

vixit per annos quatuor et ultra ; infra quos etiam fuit promotus ad episcopatum ecclesie umbraticensis. Interrogatus quomodo sciret, dixit [quod] pluries et frequenter vidit eum ut monachum dicti monasterii (1) et etiam postea promotum ad dictum episcopatum illuminatum et sanum, ut supradixit.

XVIII. — Item dixit quod quedam domina de Piperno cuius nomen ignorat (fol. 12r.) existens in partu dum non posset parere, ad invocationem nominis dicti fratris Thome et ad impositionem singuli quod (2) fuerat supra sepulcrum ipsius, peperit et extitit liberata. Interrogatus a quo hec audivit, dixit quod a viro dicte domine cuius nomen similiter ignorabat. Interrogatus si de premissis est publica vox et fama, dixit quod sic de hiis que supra deposuit tam in dicto monasterio quam in locis vicinis.

[Frater NICOLAUS de PIPERNO]

XIX. — Die iovis XXVI eiusdem mensis, ibidem (3), frater (B. p. 690, col. 2) Nicolaus de Piperno, alias dictus de Paleares, monachus conversus dicti monasterii, testis citatus et iuratus simili modo et forma superius annotata, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome de Aquino, dixit quod ipse vidit dictum fratrem Thomam de Aquino in monasterio Fosse-Nove infirmum, qui venerat illuc de castro Magentie ; ad quod castrum eundo ad concilium Lugdunense, ut ipse audivit, declinaverat, tempore Gregorii X, et ex tunc audivit dici quod dictus frater Thomas fuerat homo sancte vite, et quod fuit semper virgo ut ab utero matris sue : tamen ipse non viderat nec cognoverat eum ante ; et donec fuit in ipso monasterio, vidit ipsum humilem, benignum et patientem, sine aliqua turbatione vel iracundia, usque ad tempus obitus sui, et audivit quod sacramenta ecclesie suscepit in ipsa egritudine sua cum magna reverentia

(1) Ms : monesterii. — (2) Ms : qui. — (3) B. omitt.

et devotione ; et audivit dici quod ideo fuerat vocatus ad concilium, pro eo quod reputabatur unus de sapientibus (1) et santioribus (2) hominibus (fol. 12v.) de mundo.

Dixit etiam quod audivit dici quod quando dictus frater Thomas intravit chorum ecclesie dicti monasterii dixerat : « Hec est requies mea, et cetera... ». Interrogatus a quibus audiverat dici predicta, dixit quod de sancta vita et conversatione ipsius audivit dici a fratre Iacobo de Florentino (*sic*), tunc priore monasterii supradicti et a pluribus aliis monachis eiusdem monasterii de quorum nominibus dixit se non recordari : et quod dixerit : « Hec est requies mea in seculum (3) et cetera... » dixit quod audivit dici a quodam monacho ipsius monasterii, de cuius nomine dixit se non recordari. Interrogatus de tempore quo vidit eum in dicto monasterio infirmum, dixit quod sunt anni quadraginta quinque vel circa. Interrogatus cuius stature esset dictus frater Thomas, dixit quod fuit magne stature et calvus et quod fuit etiam grossus et brunus. Interrogatus cuius etatis erat, dixit quod secundum suam estimationem (4) videbatur sibi quod fuerit quinquagenarius (5) vel sexagenarius (6).

XX. — Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome si qua (7) sciret facta fuisse in vita vel in morte aut post mortem ipsius, dixit quod post longum tempus mortis sue quasi septem mensium quando corpus ipsius fratris Thome translatum fuit de cappella sancti Stephani ipsius monasterii ad sepulcrum ante altare maius ecclesie dicti monasterii, vidit corpus dicti fratris Thome integrum et magno odore et suavi (8) redolens. Et iterum spatio quasi annorum XIIII post ipsius obitum ad instantiam domine Theodore (a) comitisse (fol. 13r.) sororis sue, fuit aperta eius sepultura, et ipsa domina petente habere de reliquiis ipsius fratris Thome data

(1) B : sanctioribus et sapientioribus. — (2) B : sanctioribus. — (3) B. omitt in seculum. — (4) B : existimationem. — (5) Ms : quinquagenanus. — (6) Ms : sexagenanus. — (7) B. omitt. — (8) B : suavitatis.

(a) Sur Théodora de San-Severino, sœur de saint Thomas, cf. SCANDONE, *op. cit.*, pp. 57-61.

fuit sibi (1) una manus ipsius corporis fratris Thome ; et dixit quod corpus ipsum inventum fuit integrum et magna suavitate odoris (2) refragrans.

Item [interrogatus] de causa scientie, dixit quod ipse interfuit et vidit predicta et sentiit odores predictos utraque vice. Interrogatus de tempore, dixit ut supra. Interrogatus de mense et die, dixit se non recordari. Interrogatus qui fuerunt (3) presentes, dixit quod in dicta prima apertura et translatione fuit presens quasi totum collegium monachorum dicti monasterii (4) qui portaverunt ipsum corpus processionaliter cum cruce, aqua benedicta et aliis paramentis ; in secunda vero apertura quando data fuit dicta manus dixit quod (5) fuit presens frater Petrus de Monte sancti Iohannis, tunc abbas dicti monasterii.

XXI. — Item dixit quod quidam medicus qui vocabatur magister Raynaldus de sancto Laurentio, patiens infirmitatem in pedibus ita quod sine baculo seu alterius substentatione non poterat stare (6) nec ambulare, contulit se ad dictum monasterium audiens famam sanctitatis dicti fratris Thome et accessit ad tumulum ipsius, causa devotionis et recuperande sanitatis pedum suorum (7) (B. p. 691, col. 1) et orans ibi aliquandiu, consecutus (8) est subito dictorum pedum sanitatem.

Interrogatus quomodo scit, dixit quod ipse vidit ipsum medicum quando venit ad dictum monasterium claudicantem et ambulantem cum substentatione baculorum usque ad sepulcrum et, oratione (fol. 13[r] v.) facta per eum supra dictum sepulcrum, vidit ipsum sanatum et per se sine substentatione baculorum seu alterius aminiculo libere per ipsum monasterium ambulantem. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit se non recordari. Interrogatus si factum (9) fuit dictum miraculum de nocte vel de die, dixit quod de die

(1) B : illi. — (2) B : odoris suavitate. — (3) B : fuerint. — (4) Ms : monesterii. — (5) Ms. omitt. — (6) B : stare non poterat. — (7) B : sanitatis pedum suorum recuperandæ. — (8) Ms : cum secutus. — (9) B : dictum miraculum factum fuit.

circa horam tertiam, ut videtur sibi recordari. Interrogatus de loco, dixit ut supra. Interrogatus quibus presentibus, dixit quod presente se teste et pluribus aliis monachis ipsius (1) monasterii de quorum nominibus dixit se non recordari cum sit magnum tempus. Interrogatus ad cuius vocationem ivit (2) ad videndum dictum miraculum, dixit quod ad nullius vocationem (3) sed ex suo motu accessit. Interrogatus si fuit facta aliqua sollempnitas in dicto monasterio de dicto miraculo, dixit quod fuerunt (4) pulsate campane ad quarum pulsationem omnes monachi dicti monasterii in ecclesia ipsius monasterii convenerunt. Interrogatus quibus verbis interpositis, dixit quod non audivit verba orationis cum orasset secreto. Interrogatus si cognoverat et viderat ipsum (5) magistrum Raynaldum, infirmum, ante dictum miraculum, dixit quod nunquam nec ante nec post ipsum miraculum viderat et cognoverat (6) ipsum nisi tunc cum venit ad dictum monasterium occasione predicta.

Item interrogatus si alia miracula scit de eo, dixit quod audivit dici quod quidam puer infirmus, nescit tamen qua infirmitate, positus super sepulcrum ipsius fratris Thome fuit liberatus et quod (fol. 14r.) plura alia miracula diversis vicibus et temporibus dicuntur (7) esse facta meritis dicti fratris Thome, propter quod multa vota supersunt supra sepulturam (8) ipsius appensa.

Item interrogatus si de predictis est publica vox et fama, dixit quod de premissis que de vita et miraculis deposuit, est vox et fama publica in dicto monasterio et aliis locis vicinis.

Frater PETRUS FRANCISCI

XXII. — Eodem die, ibidem, frater Petrus Francisci de castro Piperni, monachus conversus dicti monasterii, testis citatus et iuratus secundum formam superius annotatam, et inter-

(1) B : dicti. — (2) B : iverit. — (3) B omitt. — (4) B : fuerint. — (5) B : dictum. — (6) Ms : congnoverat. — (7) B : esse dicuntur. — (8) B : sepulcrum.

rogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod audivit publice dici in dicto monasterio, in castro Piperni et locis aliis (1) vicinis, quod dictus frater Thomas solaria, ad serviendum ipsis monachis de ipsa arte calsolarie, et habetur et nominatur pro sancto in monasterio et locis predictis : aliud dixit se nescire de vita ipsius cum sit iuvenis, ita quod non potuit eum videre.

Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome, si qua (2) sciret, dixit cum ipse, antequam ingrederetur religionem, esset in quadam domo ipsius monasterii, que dicitur calsolaria, ad serviendum ipsis monachis de ipsa arte calsolarie et sciret, dum iaceret in loco de die, et vellet surgere et ire ad bibendum, apparuit sibi circa lectum quidam homo pilosus, qui cepit eum per pedes impingens (fol. 14v.) et reducens pedes ipsius ad lectum (3) ac dicens ei : « Non surgas quia ego deferam tibi aquam ». Et ipse dixit : « Vade et deferas mihi aquam », credens illum esse aliquem de sociis eidem monasterio servientibus ; et ille homo pilosus vadens et reddiens portavit sibi (4) aquam in palmis manuum, iunctis ipsis manibus, et dixit illi : « Bibe ». Et ipse testis respiciens effigiem ipsius deferentis aquam visum fuit sibi quod ille haberet staturam canis et faciem quasi hominis, pilosam et terribilem ; et ex eo exibat magnus et abominabilis fetor ex (5) quo (6) ipse testis territus abscondit faciem suam et dixit : « Vade, quia nolo bibere (7) ». Et tantus (8) timor invasit (B. p. 691, col. 2) eum (9) quod perdidit quasi omnem virtutem ad (10) quod loqui non potuit (11) usque ad (12) sequentem diem ; et manus et digiti eius fuerunt contracte et (13) contracti ita quod (14) polles manus sue dextre, contra naturam, brachio iungebatur (15), et manus sinistre digiti erant ita contracti quod non (16) ipsas manus et (17) digitos ipsarum aliquatenus extendere posset (18). Pedes vero eius facti fuerunt (19) ponderosi et insensibiles ita quod ambulare non poterat ; et gene-

(1) B : aliis locis. — (2) B : quæ. — (3) B : locum. — (4) B : illi. — (5) B. omitt. — (6) Ms. correct poster. — (7) Ms : liberare. — (8) B : tantusque. — (9) B : eum invasit. — (10) B : ut quasi virtutem omnem perdiderit ac. — (11) Ms. correct. post. — (12) Ms. *correct. post.* : in. — (13) B. omitt : contracte et. — (14) B : ut. — (15) Ms : iungebantur ; B : cingeretur. — (16) B : ut neque. — (17) B : nec. — (18) Ms. omitt. — (19) B : sunt.

raliter (1) in toto corpore impeditus quod non poterat se movere.

Et sic impeditus et contractus (2), fuit portatus ad domum matris sue apud Pipernum ubi sic iacuit per octo dies. Et dum infra (3) ipsos octo dies mater sua quereret remedia predicte egritudini, fuit ipsi (4) consultum matri sue ut ipsum testem faceret deportari ad sepulcrum fratris Thome supradicti. Iuxta quod consilium dicta mater sua (fol. 15r.) fecit ipsum ad dictum sepulcrum portari, et dum fuisset positus supra dictum sepulcrum (5) et esset ibi per aliquam modicam horam, surrexit statim erectus sanus factus et a dicta contractione egritudinis (6) et impedimento liberatus ad plenum, libere cepit ambulare et laudare Deum (7) quod (8) sanus erat, et stetit ab ea hora in antea in habitu laycali per annum serviens ipsi monasterio (9). Post ipsum vero annum, ingressus fuit religionem dicti monasterii et semper sanus fuit postea et nunc (10) est. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod sunt anni quinque elapsi vel circa, de mense et die, dixit quod non recordatur, nisi quod fuit tempore messium. Interrogatus quibus presentibus fuit liberatus, dixit quod presentibus fratre Gregorio de castro sancti Stephani, sacerdote et monacho dicti monasterii, et quodam gallico (11), nomine Perrotto, famulo eiusdem monasterii nunc defuncto, et matre sua, existente extra portam dicti monasterii cum intus nulla mulier ingredi audeat, que venerat cum ipso filio suo, que cum scivit liberationem et sanitatem ipsius filii sui, leta et Deo gatias agens, recessit et ivit Pipernum ; propter cuius miraculi beneficium, ad honorem Dei et reverentiam dicti fratris Thome, quolibet anno, illo tempore quo dictum miraculum factum fuit, dicta genitrix (12) sua ieiunabat tribus diebus continuis.

XXIII. — Item interrogatus si scit (13) alia miracula dicti fratris Thome, dixit quod (fol. 15v.) ipse vidit quondam (14) oblatum dicti (15) monasterii, qui vocatur magister Matheus

(1) B : taliter. — (2) B : attractus. — (3) B : intra. — (4) B : consultum ipsi. — (5) Ms. omitt. — (6) Ms : egritudines. — (7) B : Dominum. — (8) B : quoniam. — (9) B. *omitt. a* monasterio, *usque ad* et semper. — (10) B. addit : etiam. — (11) B : gallo. — (12) B : mater. — (13) B : sciret. — (14) B : quendam. — (15) Ms : dicto.

Iohannis Leonis de Piperno, euntem ad sepulcrum dicti fratris Thome in hora vespertina cum candela longa quasi longitudinis stature ipsius deferentis, et ipsam accensam ponentem in muro supra sepulcrum ; et dum ipse testis quereret ab eo, quare hoc faceret, respondit sibi (1) quod hoc faciebat et facere disposuerat et promiserat usque ad dies quindecim ad honorem et reverentiam Dei et dicti fratris Thome cui promiserat hoc ex voto in (2) die martis post festum Resurrectionis dominice nunc proxime preterite, apud Roccam-Sicam (3) ubi erat uxoratus et que distat a dicto monasterio per miliaria duo ; pro eo, quod ipsa die (4) ita valida tussis, que catarrus vocatur, eum plus solito invaserat ita quod vere mori credebat, propter quod emisit votum (5) in hec verba in mente, cum ore loqui non posset propter tussim predictam : « Beate Thoma de Aquino, adiuva me quod non moriar hic, et concede mihi quod possim reddire ad monasterium Fosse-Nove et mori ad pedes conventus (6) ipsius monasterii (7) Fosse-Nove cuius sum oblatus. » Qui statim, emisso voto predicto, liberatus fuit ab impetu dicte tussis, et (8) liberatus reversus fuit ad dictum monasterium sicut petiverat in ipso voto. Et hec recitata fuerunt eidem testi a dicto magistro Matheo, sicut ipse testis deposuit.

Interrogatus de tempore quo dictus magister Matheus hec sibi recitavit, dixit quod in eadem (fol. 16r.) hebdomada (9) Pasche (10). Interrogatus de loco, dixit quod in ecclesia dicti monasterii. Interrogatus qui fuerunt (11) presentes tunc (B. p. 692, col. 1) quando hec audivit a dicto magistro Matheo, dixit quod fuit presens quidam infans parvulus, filius dicti magistri Mathei, et nullus alius. Interrogatus si dictus (12) Matheus vivit, dixit quod non, immo mortuus fuit in dicto monasterio iuxta votum predictum, de mense iunii proxime preterito. Interrogatus si aliqui alii sciunt (13) predictum miraculum (14), dixit quod credit quod uxor condam dicti magistri Mathei sciat. Interrogatus cuius etatis erat dictus magister Matheus, dixit quod erat multum senex (15). Interrogatus si de premissis est publica vox et fama, dixit quod sic de hiis que supra deposuit, in dicto monasterio, in Piperno et aliis locis vicinis.

(1) B : illi. — (2) B. omitt. — (3) B : Rouam-bitam. — (4) Ms : correct. post. — (5) B : votum emisit. — (6) B : ipsius conventus. — (7) B : omitt. — (8) B : et sic. — (9) Ms : edomeda. — (10) Ms : Pasce. — (11) B : fuerint. — (12) B. addit : Magister. — (13) B : sciverint. — (14) B : miraculum predictum. — (15) Ms : senes.

[Frater GREGORIUS de SANCTO-STEPHANO]

XXIV. — Die veneris XXVII eiusdem mensis et indictionis, ibidem, frater Gregorius de Santo (1) Stephano, sacerdos et monachus professus (2) eiusdem monasterii Fosse-Nove, testis citatus et iuratus iuxta formam superius annotatam ; et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se nichil inde scire cum sit iuvenis, nec ipsum videre nec cognoscere potuerit (3).

Interrogatus de miraculis dicti fratris Thome factis in vita vel in morte vel post mortem ipsius, dixit se hoc scire quod frater Petrus Francisci de Piperno, monachus conversus dicti monasterii, antequam (4) assumeret habitum religionis ipsius, dum fuisset (fol. 16[v].) invasus in (5) maligno spiritu adeo quod (6) manibus et pedibus erat contractus et ore et facie tortus sine sensibus corporis, ita quod videbatur quasi mortuus ; et dum apponeretur ignis super membra sua non sentiebat. Idem testis simul cum quodam gallico (7), nomine Perrotto, qui mortuus est, portavit ipsum Petrum sic infirmum ad sepulcrum dicti fratris Thome ; et ipse testis et dictus Perrottus posuerunt ipsum Petrum extensum super sepulcrum dicti fratris Thome, et dum esset ibi per aliquam (8) horam surrexit sanus factus et liberatus ad plenum, restitutis sibi omnibus sensibus corporis et omnibus suis membris rectificatis et in pristinum statum reductis, ac si nunquam fuisset dictam invasionem et passionem passus.

Interrogatus in causa scientie et de loco, dixit ut supra, scilicet quod presens fuit et portavit eum simul cum dicto Perrotto ad dictum sepulcrum, ut supra dictum est, et stetit ibidem, donec vidit ipsum surgentem de dicto sepulcro liberum et sanum ad plenum, ut supra depositum. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod sunt (9) anni quinque quod (10) predictum miraculum factum fuit, de mense vero et

(1) B : sancto. — (2) Ms : profexus. — (3) B : potuit. — (4) Ms : ante qua. — (5) B : a. — (6) B : adeoque. — (7) B : gallo. — (8) Ms. correct. post. : aliquantulam. — (9) Ms. omitt. — (10) B : quibus.

die, dixit se non recordari. Interrogatus si dictum miraculum fuit factum de die vel de nocte, dixit quod de die et circa horam nonam. Interrogatus qui fuerunt presentes ipsi miraculo, dixit quod ipse (1) testis et dictus Perrottus, tamen omnes monachi morantes tunc in ipso monasterio, audito ipso miraculo, accesserunt ad ecclesiam ipsius monasterii (2) et invenerunt dictum Petrum sanum et liberatum (3) ad plenum. Interrogatus de nominibus illorum qui viderunt dictum fratrem (fol. 17r.) Petrum predicta invasione seu umbratione (4) detentum (5) et postea liberatum, dixit quod viderunt eum sic frater Nicolaus de Sectia, frater Iohannes de Sclavis et plures alii de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus ad cuius vocationem seu requisitionem ipse portavit dictum infirmum ad dictum sepulcrum et stetit cum eo donec fuit liberatus, dixit quod ad requisitionem dicti Perrotti.

Interrogatus si dictus infirmus iacens super dicto sepulcro oravit seu aliquod votum emisit pro sanitate recuperanda, dixit quod non, quia non poterat loqui, nec sciebat ; tamen ipse testis et dictus Perrottus oraverunt pro eo. Interrogatus quibus verbis usi fuerunt (6) in dicta eorum oratione, dixit quod quilibet eorum dixit ter « Pater » (7) cum trina salutatione virginis Marie ut Deus meritis dicti fratris Thome restitueret ipsum infirmum pristine (B. p. 692, col. 2) sanitati. Interrogatus si cognoverat ipsum fratrem Petrum ante dictum miraculum, dixit quod sic per biennum. Interrogatus (8) quot diebus ante dictum miraculum vidit eum sic infirmum, dixit quod per dies octo viderat eum infirmum. Interrogatus si alias viderat eum sic infirmum (8) dixit quod non, sed semper cognoverat eum sanum. Interrogatus si post dictum miraculum recidivavit aliquando in dicta infirmitate, dixit quod nunquam, immo semper fuit postea sanus et liber ab infirmitate predicta. Interrogatus si tempore dicti miraculi erat secularis an religiosus, dixit quod erat secularis, sed recuperata dicta sanitate ob devotionem dicti fratris Thome fecit

(1) B. omitt. — (2) B. omitt. — (3) B : liberum. — (4) B : turbatione. — (5) Ms : detentem. — (6) B : fuerint. — (7) B. addit : noster. — (8) Ms : *omitt a* interrogatus, *usque ad* infirmum.

se (1) monachum conversum dicti monasterii. Interrogatus si sciret causam dicte infirmitatis, dixit quod non, nisi quatenus dictus frater Petrus sibi narravit ut supra in depositione eiusdem fratris Petri continetur.

XXV. — Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit quod frater Iohannes de Sclavis olim passus fuit apostema cum febre ita quod medici (fol. 17v.) desperaverunt (2) de liberatione et vita ipsius ; et dum dictus infirmus voveret se dicto fratri Thome pro sanitate recuperanda extitit a dicta egritudine miraculose liberatus. Interrogatus de causa scientie, dixit quod vidit dictum fratrem Iohannem graviter patientem et audivit a medico, qui erat in cura ipsius, quod desperabat de liberatione et vita ipsius. Interrogatus de nomine ipsius medici, dixit quod vocatur magister Nicolaus (3) magistri Iohannis de Piperno, qui nunc vivit et postea vidit dictum infirmum sanatum a quo postea audivit quod propter votum quod fecit dicto fratri Thome ipse fuerat liberatus, qui etiam vivit adhuc. Interrogatus si de predictis est publica vox et fama, dixit quod sic de hiis (4) que deposuit in dicto monasterio et in locis vicinis et maxime in Piperno.

[Frater LEONARDUS de PIPERNO]

XXVI. — Eodem die, ibidem, frater Leonardus de Piperno, monachus conversus dicti monasterii, testis citatus et iuratus consimili (5) modo et forma quo supra, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod, dum erat in seculo, et postquam intravit religionem, audivit publice ab annis quadraginta et citra quod dictus frater Thomas fuit homo sancte conversationis et vite ; aliud dixit se nescire in specie de vita sua.

Item interrogatus de miraculis ipsius fratris Thome factis sive in vita sive post mortem ipsius, dixit quod dum frater

(1) Ms. correct. post. — (2) B : desperaverant. — (3) B. addit : filius. — (4) B : iis. — (5) Ms : non simili.

Guillelmus de Tocco et socius eius, ordinis fratrum Predicatorum, prosecutores negotii dicti fratris Thome, morarentur in dicto monasterio Fosse-Nove, et haberent ibi duos mulos pro equitaturis eorum, quos oportebat ferrari ; et ipse testis requireretur ut ferraret ipsos, quia ferrarius est, ipse, tedio (fol. 18r.) laboris affectus (1), concepit et dixit in mente sua : « Quantum infestant, et attediant nos isti fratres Predicatores occasione istius fratris Thome, si fuit ita santus (2) homo, faciat aliquod magnum miraculum, ita quod isti fratres Predicatores hinc recedant et hic amplius non morentur ». Et statim percussus est in brachio dextro tali dolore quod illud movere non poterat, nec ponere ad os suum nec aliquod ministerium facere cum ipso ; et talem dolorem quod impedimentum passus fuit (3) usque in sequentem diem. Ipso autem sequenti die, recordatur quod male conceperat contra fratrem predictum, et recognoscens et penitens se male fecisse, ivit ad sepulcrum ipsius (4) fratris Thome, et appodiato brachio impedito ad sepulcrum ipsius, stans ibi per horam et orans, statim consecutus fuit dicti brachii sanitatem, ita quod die lune sequenti laboravit de arte sua, et cum magno gaudio dictos mulos predictorum fratrum ferravit.

Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit hoc anno de mense iunii presentis secunde indictionis (5), videlicet (B. p. 693, col. 1) quodam die sabati post nonam et ante vesperas quo dictam infirmitatem incurrit, et postea die dominico de mane (6) sequenti (7) post missam accessit ad dictum sepulcrum ubi liberatus fuit, ut supra dicitur. Interrogatus qui fuerunt presentes dicto miraculo, dixit quod nullus, dixit tamen (8) quod discipuli eius (9) in ipsa arte ferrarie viderunt ipsum predicto morbo impeditum, et postea liberatum, quibus ipse revelavit dictum impedimentum et liberationem ipsius predictam. Interrogatus de nominibus dictorum discipulorum suorum, dixit quod unus (10) vocatur Iacobus de Sompnino et alter vocatur (11) Leo de Piperno.

(1) Ms : effectus. — (2) B : sanctus. — (3) B : fuit passus. — (4) B. *omitt. a* ipsius, *usque ad* stans. — (5) B : presenti secunda indictione. — (6) B : Maii. — (7) B : sequentis. — (8) Ms : tam. — (9) B : sui. — (10) Ms. addit : qui. — (11) B. omitt.

Item interrogatus si scit de aliis miraculis dicti fratris Thome, dixit se (fol. 18ʳ.) audivisse dici quod multa alia miracula fecit Deus meritis ipsius fratris Thome ; nescit tamen alia in specie quia ipse est novitius in dicto ordine et monasterio, dixit etiam quod de premissis que deposuit est publica vox et fama in dicto monasterio et locis vicinis.

[Frater IOHANNES de ADELASIA]

XXVII. — Eodem die, ibidem, frater Iohannes de Adelasia de Piperno, sacerdos et monachus dicti monasterii, testis citatus et iuratus simili modo et forma quo (1) supra, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se audivisse per vocem et famam publicam a multis religiosis quod ipse frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis quamdiu vixit, et quod fuit tante orationis et contemplationis quod videbatur totus a terrenis abstractus ad divina : audivit etiam quod fuit virgo quamdiu vixit, et quod omni die celebrabat, et quod in fine sua recepit corpus dominicum cum magna reverentia et devotione. In cuius susceptione dixit : « Multa scripsi (2) de Corpore (3) sanctissimo Christi, que omnia relinquo correctioni sancte romane Ecclesie » ; et quando etiam recepit (4) sanctam unctionem extremam, ipse frater Thomas respondebat in ipso officio unctionis. Interrogatus de nominibus illorum a quibus predicta audivit dici, dixit (5) quod a fratre Nicolao, nunc abbate dicti monasterii Fosse-Nove, a fratre Petro de Monte Sancti Iohannis, olim abbate eiusdem monasterii, et a fratre Riccardo ordinis Predicatorum, nepote fratris Raynaldi eiusdem ordinis, qui fuit socius dicti fratris Thome per longum tempus, et a multis aliis religiosis Predicatoribus et monachis dicti monasterii de quorum ad presens nominibus dixit se non recordari. Interrogatus (fol. 19ʳ.) de loco ubi audivit dici predicta, dixit quod in predicto monasterio, in civitate Anagnie et pluribus aliis locis.

(1) B : quæ. — (2) Ms : scripsa. — (3) B : sanctissimo corpore. — (4) B : recepit etiam. — (5) Ms. addit : dixit.

XXVIII. — Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome factis in vita et (1) post mortem ipsius, dixit quod dum hoc anno, de mense ianuarii presentis secunde indictionis (2), sentiret quadam nocte gravissimum dolorem in intestinis propter quem credebat vere mori : cepit invocare nomen dicti fratris Thome cum magna devotione ; et dum durasset sibi dictus dolor (3) usque ad medietatem noctis, dictus dolor cepit in tantum invalescere et vehementius eum affligere quod (4) perdidit (5) vires corporis et videbatur (6) spiritum exalare, et tunc ipse compunctus corde et mente cum maiori devotione et cum effusione lacrimarum cepit dicti fratris (7) Thome nomen invocare et eius auxilium implorare. Post quam vocationem contritam et lacrimosam subito per quemdam vomitum et secessum per quem nichil aliud quasi emisit nisi carnem et sanguinem fuit ab ipso dolore totaliter liberatus. Mane vero adveniente, medicus dicti monasterii videns ea que emiserat per vomitum et secessum, dixit quod fuit apostematis, ex quo quidem apostemate debuit naturaliter mori.

Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit de (8) presenti anno, de (9) mense ianuarii presentis secunde indictionis (10), et quodam die sabati, de nocte, adveniente die dominico. Interrogatus qui fuerunt (11) (B. p. 693, col. 2) presentes dicto miraculo, dixit quod fuerunt presentes frater Riccardus de Fundis, sacrista, frater Nicolaus de Rocca, tunc prior dicti monasterii et plures alii monachi dicti monasterii (12). Interrogatus de loco, dixit quod fuit in camera (fol. 19r.) infirmitorii dicti monasterii. Interrogatus quibus verbis interpositis et per que verba oravit, dixit sic orasse : « Beate Thoma de Aquino, adiuva et libera me de ista infirmitate ; quia ego ero devotus tuus toto tempore vite mee ». Interrogatus quamdiu passus fuit dictum dolorem, dixit quod a primo sompno dicte noctis usque ad medietatem noctis eiusdem. Interrogatus si credit et tenet quod meritis dicti fratris Thome fuerit miraculose liberatus, an beneficio nature, dixit quod firmiter tenet et tenuit, credidit et credit (13) quod secun-

(1) B : vel. — (2) B : mense Januario, presenti secunda Indictione. — (3) B. omitt : dictus dolor. — (4) B : ita ut. — (5) B : perdiderit. — (6) B : videretur. — (7) Ms : fratri. — (8-9) B. omitt. — (10) B : presenti secunda indictione.— (11) B : fuerint. — (12) B. omitt : dicti monasterii. — (13) B : credit et credidit

dum dispositionem corporis sui et vehementiam doloris et passionis ac acerbitatem dicte egritudinis, meritis dicti fratris Thome fuerit miraculose liberatus, et non beneficio nature ; et hoc idem iudicavit et tenuit medicus supradictus. Interrogatus de nomine dicti medici, dixit quod vocatur magister Nicolaus magistri Iohannis de Piperno.

XXIX. — Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit quod vidit Nicolaum Massimi (1) qui fuerat percussus in brachio ab inimicis suis. Ex qua percussione os ipsius brachii, quod iungitur cum humero, erat totaliter mosum (2) et fractum et ab invicem separatum, et licet opere medicorum caro super ipsum os solidata esset, tamen os remanserat divisum ita quod opere medici non potuit solidari; propter quod remansit ab ipso brachio debilitatus adeo quod non poterat ipsum movere. Tandem uno sero cum posuit se (3) in lecto, conversus ad devotionem dicti fratris Thome, oravit ut liberaret eumdem : de mane vero excitatus a sompno sentiit se totaliter liberatum, quod, dicto (4) osse sic remanente (5) diviso, habuit et nunc habet (6) potentiam et vires et usum in dicto brachio (7) sicut habuerat ante percussionem et cum eo operatur et exercet omne usus, sicut plene sanus.

Interrogatus de causa scientie, dixit quod, ipso Nicolao veniente ad monasterium predictum causa implendi (8) votum quod promiserat fratri (fol. 20r.) Thome, narrante ipsi testi ac (9) pluribus aliis monachis dicti monasterii dictum modum (10) sue liberationis, et ipse testis ad certificationem ipsius tetigit locum vulneris et invenit dictum (11) os divisum ; et hoc non obstante vidit ipsum Nicolaum dictum brachium movere hinc, inde, in altum et bassum, ac si nullam lexionem habuisset in eo. Interrogatus de tempore, die et mense quibus vidit predicta, dixit quod presenti anno secunde indictionis (12), de mense et die dixit se non recordari.

(1) B : Maximum. — (2) B : mossum. — (3) B : se posuit. — (4) Ms : dicte. — (5) Ms : remanere. — (6) B : habuerit et nunc habeat. — (7) B : dicti brachii. — (8) Ms : implorandi ; B : complendi. — (9) Ms : a ; B : et. — (10) Ms : modieum ; B : miraculum. — (11) B. omitt. — (12) B : secunda indictione.

XXX. — Item interrogatus si scit alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod vidit fratrem Petrum Francisci de Piperno, conversum dicti monasterii, quasi amentem et demoniacum sicut per signa oris (1), oculorum et gestis corporis demonstrabat, et mater eius venit (2) ad monasterium ad videndum ipsum (3) et ille non cognoscebat dictam matrem suam. Vidit ipsum (4) postea sanum, et dum peteret qualiter fuerat liberatus, audivit a fratre Gregorio de sancto Stephano et Perrotto, gallico (5), oblato dicti monasterii, quod, ipsi duxerant dictum fratrem Petrum ad sepulcrum dicti fratis Thome et posuerunt super ipsum sepulcrum et dum orarent pro illo iacente, et quasi dormiente super ipsum sepulcrum, subito evigilans, sanus surrexit, et sic vidit ipsum postea semper sanum. Interrogatus de tempore, mense et die (6), dixit quod non recordatur.

[Frater IOHANNES de SCLAVIS]

XXXI. — (B. p. 694, col. 1) Die sabbati XXVIII eiusdem mensis et (7) indictionis, ibidem, frater Iohannes de Sclavis, sacerdos et monachus dicti monasterii Fosse-Nove, testis citatus et iuratus secundum formam supradictam, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se audivisse dici a pluribus religiosis et secularibus quod dictus (fol. 20r.) frater Thomas fuit homo sancte conversationis et vite, ieiuniorum et orationum, et homo devotus Deo et maxime honestatis. Interrogatus de nominibus illorum a quibus audivit dici, dixit quod a fratre Nicolao de Sora, monacho dicti monasterii, avunculo suo, qui dictum fratrem Thomam cognoverat (8) et fuerat conversatus cum eo et a pluribus aliis de quorum nominibus dixit se non recordari.

Item interrogatus de miraculis (9) dicti fratris Thome factis in vita vel in morte vel post mortem ipsius, dixit quod vidit Petrum Francisci de Piperno, nunc monachum conversum

(1) B. addit : et. — (2) Ms : vovit. — (3-4) B : eum. — (5) B : gallo. — (6) B : die et mense. — (7) B. omitt : et indictionis, ibidem. — (8) B : agnoverat. — (9) Ms : miraculo.

dicti monasterii, a demoniis impeditum et vexatum, et vidit ipsum postea liberum et sanum ; et dum ipse peteret qualiter fuerat sanatus et liberatus, dictum fuit ei quod fuerat portatus (1) ad sepulcrum dicti fratris Thome et per merita ipsius fratris Thome (2) fuit ibi miraculose et subito sanatus et liberatus. Interrogatus a quibus audivit dici, dixit quod ab ipso fratre Petro liberato et a Perrotto gallico (3) et a fratre Gregorio de sancto Stephano qui ipsum portaverunt ad dictum sepulcrum et viderunt ipsum miraculum ita factum. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit se non recordari ; videtur tamen sibi quod sint anni quinque elapsi.

XXXII. — Item interrogatus si scit alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod ipse vidit Nicolaum de Maximo de Piperno, qui dicebat se fuisse percussum in brachio a quodam inimico suo ; ex qua percussione os ipsius brachii fuerat totaliter fractum et divisum ; et recitavit eidem testi et pluribus aliis monachis modum ipsius liberationis sue : videlicet quod ipse voverat se multis santis (4) pro sanitate ipsius (5) brachii recuperandi (6) et non fuerat consecutus sanitatem. Sed convertens se ad suffragium ipsius fratris (fol. 21r.) Thome et vovens se sibi (7), fuit liberatus miraculose et subito : hoc modo quod remanente osse diviso ducebat ipsum (8) brachium ac si in ipso nullam umquam habuisset lexionem. Quo miraculo audito, plures ex monachis dicti monasterii per certificationem eorum tetigerunt brachium ipsius in loco percussionis ; et invenerunt os ipsius brachii divisum ut ipsi tangentes referebant, et ipso teste presente, et vidente, prefatus Nicolaus ducebat ipsum brachium libere tanquam sanum, et poterat cum ipso libere operari. Interrogatus de nominibus illorum (9) monachorum qui tetigerunt dictum brachium, dixit se non recordari. Interrogatus de presentibus, dixit quod fuerunt presentes ipse testis, frater Riccardus, sacrista ipsius monasterii, et plures alii de quibus propter multitudinem existentium ibi non recordatur. Interrogatus de tempore, men-

(1) Ms : portatum. — (2) B. omitt : fratris Thome. — (3) B : gallo. — (4) B : sanctis. — (5) B : sui. — (6) B : recuperanda. — (7) B : illi. — (8) B : suum. — (9) B : monachorum illorum.

se et die, dixit quod fuit hoc anno presentis secunde indictionis, de mense et die dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in claustro (1) dicti monasterii. Interrogatus si de predictis est publica vox et fama, dixit quod sic in dicto monasterio, in Piperno et aliis locis vicinis de hiis (2) que supra deposuit.

[Frater IACOBUS de FRESOLINO]

XXXIII. — Eodem die, ibidem, frater Iacobus de Fresolino (3), dictus Rubeus, sacerdos et monachus dicti monasterii, testis citatus et iuratus secundum formam superius annotatam, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se publice audivisse (B. p. 694, col. 2) dici a pluribus religiosis et secularibus personis quod dictus frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis honeste, homo magne orationis, devotionis et reverentie et honestatis erga Deum.

Item interrogatus de miraculis ipsius fratris Thome, dixit quod dum ipse passus fuit quamdam febrem gravem per tres dies continuos — cuius febris accessio invadebat eum hora completorii et tenebat seu affligebat ipsum usque in horam nonam sequentis diei — tertia vero die de nocte circa horam (fol. 21v.) matutinalem dum a dicta febre detineretur graviter, ipse vovit se dicto fratri Thome (4) ut liberaret eum ab ipsa febre ; et modico intervallo facto seu elapso ante laudes ipsius matutini, a dicta febre fuit plene liberatus ita quod nunquam eum postea ipsa febris invasit.

Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit de (5) mense septembris proxime preterito ; de die, dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in dormitorio monachorum dicti monasterii ubi ipse iacebat. Interrogatus quibus verbis usus fuit in dicto voto, dixit quod inquit (6) : « Beate Thoma, corpus sanctum, libera me ab ista febre et ego promitto tibi facere unum votum de cera si liberabor a dicta febre ». Interrogatus si tenet et credit quod meritis dicti

(1) Ms : clastro. — (2) B : iis. — (3) Ms : Fresolone. — (4) Ms : Thomasio. — (5) B. omitt. — (6) B : dicebat.

fratris Thome fuit (1) liberatus vel per aliquam naturalem terminationem (2) ipsius febris, dixit quod firmiter credit et indubitanter tenet quod propter merita dicti fratris Thome miraculose fuerit liberatus et non propter beneficium nature : cum non intervenerit sudor nec aliquod aliud amminiculum per quod consueverunt infirmi ab huiusmodi infirmitatibus liberari. Interrogatus si aliqui fuerunt (3) presentes, dixit quod non, cum fuerit de nocte, tamen de (4) mane pluribus propalavit et specialiter fratri Riccardo, sacriste dicti monasterii.

XXXIV. — Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit quod scit miraculum factum in persona Nicolai de Maximo de Piperno qui habuit et habet os brachii ex quadam percussione cultelli fractum et totaliter divisum. Qui, veniens ad dictum monasterium Fosse-Nove, recitavit sibi testi et nonnullis aliis monachis dicti monasterii qualiter fuerat a quodam inimico suo percussus in dicto brachio et qualiter ex ipsa percussione habuerat et habebat (fol. 22r.) os ipsius brachii fractum et divisum licet caro supra (5) fracturam ipsius ossis, ministerio medicorum, fuisset solidata et integra ; et quod ipsum brachium ita debilitatum fuerat et factum inutile quod ipsum movere non poterat nisi per alium moveretur ; et quod vovens se quodam sero dicto fratri Thome pro recuperanda (6) sanitate et potentia ipsius brachii, de mane surrexit restitutus ad vires et potentiam et ad omne exercitium operandi cum ipso brachio, osse predicto nihilominus remanente diviso. Quo audito, ipse testis volens certificari de predictis, tetigit, manu propria, brachium predictum, nuda carne in fractura dicti ossis, ex quo tactu sentiit ipsum os divisum.

Interrogatus in quo loco erat fractura ipsius ossis, dixit quod quasi in medio ossis existentis inter cubitum et humerum. Interrogatus si fuit brachium dextrum vel sinistrum, dixit se non recordari. Interrogatus qui fuerunt (7) presentes : dixit quod presentibus fratre Iacobo de Piperno, qui etiam, modo

(1) Ms. omitt. — (2) Ms : determinationem. — (3) B : fuerint. — (4) B. omitt. — (5) Ms. omitt. — (6) Ms : reciperanda. — (7) B : fuerint.

simili, tetigit ipsum brachium reperiens ita os (1), et (2) pluribus aliis de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod in claustro ipsius monasterii. Interrogatus si vidit dictum Nicolaum movere dictum brachium sicut sanum et alia exercitia facientem cum ipso brachio, dixit quod vidit ipsum ducentem ipsum brachium hinc, inde, sursum et deorsum ac si nullam in eo habuisset lesionem. Interrogatus si ab alia (3) hora in antea vidit dictum Nicolaum cum dicto brachio operantem (B. p. 695, col. 1) aliquid, dixit quod ipse pluries ab illa ora citra vidit ipsum Nicolaum elevantem pondera, et onerantem sommarios frumento, et laborantem ac (4) cum furcis et palis revolventem et ventilantem frumentum in areis. Interrogatus quod votum emisisse dicebat dictus Nicolaus et quibus verbis usus fuerat in ipso voto, dixit quod, prout dictus Nicolaus recitavit, promisit facere brachium de cera et ponere ipsum ad sepulcrum ipsius fratris Thome, de forma vero verborum quibus (5) usus (6) (fol. 22ᵛ.) fuerit in ipso voto, dixit se non aliud inde scire. Interrogatus ad cuius vocationem ivit audire et videre predicta, dixit quod ad dictum monachorum aliquorum narrationem predictam ipse ivit, audivit et palpavit predicta ut supra dictum est. Interrogatus si ante dictam percussionem et miraculum cognovit dictum Nicolaum, dixit quod sic, quia pluries vidit ipsum in dicto monasterio. Interrogatus si de predictis est publica vox et fama, dixit quod sic de illis que supra deposuit tam in dicto monasterio quam in locis vicinis et specialiter in castro Piperni et castro Sompnini.

[Frater PETRUS de FUNDIS]

XXXV. — Die lune, penultima eiusdem mensis et indictionis, ibidem, frater Petrus de Fundis, sacerdos et monachus monasterii Fosse-Nove predicti, citatus (7) et iuratus

(1) Ms : osse. — (2) B ; cum. — (3) B : illa. — (4) B : et. — (5) Ms : quibus fuit usus fuerit. — (6) B : fuerit usus. — (7) B. addit : testis.

in forma super scripta, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se nichil aliud inde scire, pro eo quod dictum fratrem Thomam non vidit nec cognovit : nisi quod a quadraginta duobus annis circa quod (1) ipse fuit monachus dicti monasterii, quasi continue audivit dici in monasterio supradicto (2) et in castris et locis circumadiacentibus quod dictus frater Thomas quandiu vixit fuit (3) sancte vite et sancte (4) conversationis, homo (5) magne orationis, honestissime ac mundissime vite et magne (6) humilitatis et devotionis, et quod in fine vite sue cum magna reverentia et devotione recepit Eucharistie sacramentum et cetera (7) ecclesiastica sacramenta. Interrogatus a quibus predicta audiverat dici, dixit quod a fratre Nicolao, qui nunc est abbas predicti monasterii, a fratre Petro de monte Sancti Iohannis et a fratre Octaviano, monachis eiusdem monasterii, qui referebant ei se vidisse predicta et cognovisse predictum (8) fratrem Thomam, et asserentes se cum eo conversatos fuisse et qui (9) fuerant presentes quando dictus frater Thomas obiit (10) in monasterio supradicto.

XXXVI. — Item interrogatus super miraculis eiusdem fratris Thome, si qua (11) sciret facta (fol. 23r.) fuisse in vita et in morte vel post mortem ipsius, dixit quod quidam puer paraliticus qui vocatur Iacobus, filius Iacobi Romani de Piperno, fuit subito liberatus et sanatus ab ipso morbo paralisis, cum fuisset positus super sepulcro dicti fratris Thome. Interrogatus quomodo sciret, dixit quod ipse fuit presens quando pater dicti paralitici, qui vocatur Iacobus Romanus, portavit ipsum paraliticum ad dictum monasterium et posuit eum cum devotione super dicto sepulcro et oravit ibi pro restitutione sanitatis dicti filii sui. Qui puer, dum staret super dicto sepulcro per horam, donec missa, que tunc dicebatur in ecclesia dicti monasterii, duceretur ad finem, in fine vero (12) ipsius misse fuit ad plenum restitutus pristine sanitati. Interrogatus de

(1) Ms : que. — (2) B : prædicto. — (3) B. addit : homo. — (4) B. omitt : et sancte.— (5) B. omitt.— (6) B : magnæque.— (7) Ms : certa.— (8) B : dictum.— (9) B : quod.— (10) B : in monasterio supradicto obiit.— (11) B : quæ.— (12) B. omitt.

tempore, anno et (1) mense et die, dixit quod fuit tempore quo ipse erat novitius in dicto monasterio, qui sunt anni XLII vel circa ; de mense et die certo dixit se non recordari ; tamen dixit se recordari quod fuit prima dominica quadragesime illius anni (2) circa horam tertiam : in qua quidem hora missa consuevit in dicto monasterio celebrari. Interrogatus qui fuerunt presentes dicto miraculo, dixit quod ipse fuit (3) presens, et pater dicti pueri et frater Blasius de Florentino (*sic*), monachus eiusdem monasterii, qui tunc erat magister ipsius testis tunc novitii, qui mortuus est, et (B. p. 695, col. 2) plures etiam alii monachi de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod fuit super dicto sepulcro ut supra dixit. Interrogatus que verba protulit et interposuit in oratione, quam fecit pater (4) dicti pueri paralitici pro sanitate (5) recuperanda ipsius (6) filii sui, dixit se non audivisse quia illic oravit plane ita quod non potuit intelligere, tamen dixit quod statim posito filio suo predicto (7) super dicto sepulcro apposuit ibi votum de cera in modum ymaginis unius pueri. Interrogatus si vidisset et cognovisset dictum puerum ante quam (fol. 23r.) fuisset ibi tunc portatus, dixit quod non. Interrogatus quomodo sciret quod dictus puer fuisset paraliticus, dixit quod tunc quando fuit portatus ad dictum sepulcrum, vidit ipsum trementem manibus, brachiis et aliis membris suis et propter debilitatem nervorum hinc inde agitatum (8) ita quod per se sine substentatione non poterat firmus stare. Interrogatus (9) si sciret quanto tempore fuerat paraliticus dictus puer, dixit se nescire. Interrogatus si sciret quanto tempore permansit sanus post dictam sanitatem recuperatam, dixit quod ab eo tempore quo fuit sanatus et circa permansit sanus, et nunc sanus est et conversus dicti monasterii. Interrogatus ad cuius vocationem iverat ipse testis ad videndum predicta, dixit quod ad nullius vocationem set stabat tunc in choro ecclesie dicti monasterii unde vidit omnia supradicta.

(1) B. omitt. — (2) B. addit : MCCLXXVI. — (3) B : fuerit. — (4) B : dicti pueri paralytici pater. — (5) B : recuperanda sanitate. — (6) B : dicti. — (7) B. omitt. — (8) Ms : agitantem. — (9) B. *omitt a* interrogatus *usque ad* nescire.

XXXVII. — Item interrogatus si sciret alia miracula predicti fratris Thome, dixit etiam scire quod quidam medicus, nomine magister Raynaldus de santo (1) Laurentio de Valle, qui patiebatur in pedibus graviter morbum podagre, fuit ad sepulcrum dicti fratris Thome subito et miraculose liberatus. Interrogatus quomodo sciret, dixit quod ipse vidit dictum magistrum Raynaldum, quando venit ad dictum monasterium super quodam asino, dicto morbo detineri ; et ipsum dicto morbo taliter gravatum quod non poterat per se ambulare set substentatione baculorum ambulabat, et postea vidit ipsum post modicum intervallum bene sanum ita quod per se ipsum sine aliqua (2) substentatione currendo ambulabat et discurrebat per dictum monasterium : qui asserebat se fuisse sanatum meritis predicti fratris Thome asserens se ivisse ad sepulcrum ipsius et cum devotione orasse ibidem pro sanitate recuperanda et plures alii monachi dicti monasterii qui presentes fuerunt et predicta viderant hoc idem similiter asserebant. Interrogatus de (fol. 24r.) causa propter quam dictus magister Raynaldus venerat tunc ad dictum monasterium, dixit quod venerat ad curandum fratrem Iohannem de Anico (3), monachum et tunc cellararium monasterii supradicti, qui patiebatur. Interrogatus qua arte medicine utebatur dictus magister Raynaldus, dixit quod chirurgia (4). Interrogatus de tempore scilicet de anno, mense et die, quibus factum fuit dictum miraculum, dixit se non recordari propter diuturnitatem temporis ; dixit tamen quod iam sunt anni XXXVII (5) vel circa quod fuit factum dictum miraculum et dixit quod fuit tempore messium, quadam die circa horam nonam.

Interrogatus quibus presentibus fuerat factum dictum miraculum, dixit quod presentibus fratre Petro de Monte sancti Iohannis, monacho, tunc abbate dicti monasterii, fratre Nicolao de Fresolone, fratre Octaviano, fratre Martino, fratre Nicolao de Palearis, monachis monasterii supradicti. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in loco sepulcri predicti, ut supradixit. Interrogatus ad cuius vocationem ipse (6) ivit (7) ad videndum

(1) B : sancto. — (2) B : ulla. — (3) B : Amico. — (4) Ms : ciragia. — (5) B : XXXVIII. — (6) B. omitt. — (7) B : iverit.

dictum magistrum Raynaldum sanatum, dixit quod ad sonum campanarum pro eo quod, facto dicto miraculo, omnes campane tam magne quam parve dicti monasterii fuerunt pulsate ; propter quam pulsationem ipse et multi monachi ad sonum dictarum campanarum convenerunt ad audiendum et videndum dictum miraculum et cetera (B. p. 696, col 1) supradicta. Dixit etiam quod monachi predicti monasterii propter dictum miraculum cantaverunt cum magna solempnitate « Te Deum laudamus... » in choro ipsius ecclesie (1). Interrogatus si sciret quibus verbis usus fuerat dictus magister Raynaldus ad sepulcrum dicti fratris Thome, dixit se nescire quia non audivit. Interrogatus si sciret dictum magistrum Raynaldum emisisse votum aliquod super sepulcro eiusdem fratris Thome pro sanitate recuperanda, dixit se audivisse dici ab ipso (2) quod inter alia voverat (fol. 24v.) idem magister Raynaldus ad ordinem Minorum, de quo ordine ipse fuerat religiosus, reddire si Deus meritis dicti fratris Thome a dicta infirmitate liberaret eundem. Interrogatus si cognoverat (3) dictum magistrum Raynaldum prius quam veniret ad dictum monasterium, dixit quod non. Interrogatus quot diebus vidit dictum magistrum Raynaldum (4) infirmum ante dictum miraculum, dixit quod illo die quando venit (5) tantum usque ad horam recuperate sanitatis predicte. Interrogatus quanto tempore vidit eum sanum post dictum miraculum, dixit quod pluribus diebus quibus permansit in dicto monasterio pro cura supradicti monachi pro quo venerat ad ipsum (6) monasterium ; set postquam de ipso (7) monasterio recessit, ulterius non vidit eum nec de eo quesivit. Interrogatus de quo loco fuerat oriundus dictus magister Raynaldus, dixit se nescire, set audiverat dici quod erat habitator castri Sancti Laurentii de Valle. Interrogatus cuius stature et temporis erat dictus magister Raynaldus, dixit tunc (8), quando vidit eum infirmum et postea sanatum (9), quod erat mediocris stature et etatits L annorum vel circa ut eius effigies demonstrabat.

(1) B. omitt : ipsius ecclesie. — (2) B : eo. — (3) Ms : congnoverat.— (4) B : illum. — (5) B. omitt : quando venit. — (6) B. omitt. — (7) B : monasterio ipso. — (8) B : tum. — (9) Ms : sanatum dixit.

Interrogatus quibus pannis erat indutus quando venit ad dictum (1) monasterium, dixit quod desuper erat indutus quadam capa rubei coloris.

XXXVIII. — Item interrogatus si sciret alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod audivit dici a fratre Petro Francisci de Piperno, nunc converso dicti monasterii Fosse-Nove, quod (2) antequam efficeret (3) ipsius monasterii conversus dum staret ut serviens in ipso monasterio, fuerat vexatus et impeditus a demonio et meritis dicti fratris Thome fuerat ad sepulcrum ipsius subito et miraculose liberatus ; et hec eadem dixit se audivisse a fratre Gregorio de Sancto Stephano, monacho eiusdem monasterii, qui adhuc vivit, et a quodam gallico (4) nomine Perrotto, modo defuncto, qui fuerat serviens in dicto monasterio : qui ambo (fol. 25^{r}.) asserebant se portasse dictum fratrem Petrum, a demonio vexatum et impeditum, ad sepulcrum dicti fratris Thome quando fuit ibi subito et miraculose sanatus et liberatus ; et a pluribus monachis se audivisse quod viderant dictum fratrem Petrum a demonio vexatum et impeditum, et postea viderant ipsum meritis dicti fratris Thome super ipsius sarcophago liberatum, et ipse testis dixit se vidisse ipsum fratrem Petrum plene sanum et nunc sanus est conversus monasterii supradicti.

XXXIX. — Item interrogatus si sciret alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit se scire quod Nicolaus Maximi de Piperno, qui ex quadam percussione, quam habuit in brachio, habuit incisum et separatum sive divisum os brachii sui, solidata carne et ipso osse remanente diviso, ex devotione, quam habuit ad dictum fratrem Thomam, et ex voto quod fecit sibi (5), miraculose fuit restitutus ad potentiam ipsius brachii, ita quod tunc ipso brachio, quod (6) ducebat tanquam sanum, laborabat et faciebat quidquid volebat ac si os ipsius brachii esset sanum, sicut facere poterat antequam

(1) B : monasterium prædictum. — (2) Ms : con. — (3) B : fieret monachus conversus dum. — (4) B : gallo. — (5) B : illi. — (6) Ms : quem.

fuisset percussus, et dictum os esset separatum. Interrogatus quomodo sciret, dixit quod ipse vidit dictum Nicolaum venientem ad dictum monasterium cum quodam voto seu brachio de cera, quod portavit ad sepulcrum dicti fratris Thome. Quod brachium de cera (B. p. 695, col. 2) idem Nicolaus asserebat se vovisse (1) portare ad dictum sepulcrum si Deus meritis ipsius fratris Thome restitueret sibi sanitatem et potentiam dicti sui brachii ; quod quidem votum cereum portavit ad dictum sepulcrum postquam fuit reassecutus (2) potentiam in dicto brachio, et dictum votum cereum adhuc pendet super dicto sepulcro. Ac etiam vidit fratrem Iohannem Adelasie de Piperno et fratrem Riccardum de Fundis, sacristam (fol. 25v.), monachos dicti monasterii, tangentes brachium dicti Nicolai quod fuerat percussum. Qui monachi, postquam tetigerunt dictum brachium in loco percusso, retulerunt publice ipsi testi et pluribus aliis quod ipsi invenerunt (3) carnem solidatam et os ipsius brachii divisum et separatum.

Interrogatus de tempore, scilicet anno, mense et die quo ipse audivit (4) et vidit predicta, dixit se non recordari, tamen dixit quod iam est annus unus vel circa sicut (5) credit. Interrogatus qui fuerunt presentes quando ipse audivit et vidit predicta, dixit quod ipse (6) et predicti duo monachi et plures alii monachi de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus de loco in quo audivit et vidit predicta, dixit quod fuit in curti (7) sive platea que est inter portam ecclesie dicti monasterii (8) et portam introitus dicti monasterii. Interrogatus ad cuius vocationem accesserat ad audiendum et videndum predicta, dixit quod ad nullius vocationem accessit, set a (9) casu dum ambularet per monasterium invenit dictum Nicolaum dicentem et referentem supradicto modo dictum miraculum quod receperat (10) in persona sua meritis dicti fratris Thome, et sic ipse substitit (11) et stetit ad videndum predicta. Interrogatus si sciret per que verba dic-

(1) Ms : voluisse. — (2) B : assecutus. — (3) B : invenerint. — (4) B : vidit et audivit. — (5) B : ut. — (6) B. omitt. — (7) B : curtili. — (8) B. omitt : dicti monasterii. — (9) B. omitt. — (10) B : recepit. — (11) Ms : subsistit.

tus Nicolaus se vovit et recommendavit (1) dicto fratri Thome, dixit se nescire nisi quatenus vidit dictum votum sive brachium cereum ut supra dixit. Interrogatus si cognoverat dictum Nicolaum antequam esset percussus et antequam fuisset, ut supra dicitur, sanatus, dixit quod sic. Interrogatus quanto tempore cognoverat eum ante, dixit quod fere per viginti annos. Interrogatus quanto tempore steterat dictus Nicolaus impeditus de dicto brachio et quot diebus vidit eum impeditum, dixit quod audiverat dici quod quasi per mensem steterat impeditus, set ipse non vidit eum ex quo fuit percussus et impeditus, nisi illo die quo venit ad monasterium predictum, et asserebat se predicto modo miraculose sanatum (fol. 26r.). Interrogatus quanto tempore viderat eum postea sanum et potentem de dicto brachio, dixit quod multotiens vidit ipsum, et quotiens contingit eum videre, vidit eum sanum et vidit ipsum (2) laborantem cum dicto brachio de arte mortelle de qua consueverat laborare in dicto monasterio et ducere somarios oneratos ac etiam ipsum brachium libere ducere (3) sicut sanum prout volebat, et adhuc est sanus et cum ipso brachio operatur tanquam cum sano. Interrogatus si dictus Nicolaus erat homo iuvenis vel senex, dixit quod poterat esse, ut credebat, etatis XXX annorum vel circa.

XL. — Item interrogatus si sciret alia miracula eiusdem fratris Thome, dixit quod ipse recepit in se beneficium miraculosum meritis dicti fratris Thome : videlicet quod ipse, tempore quo dictus episcopus Viterbiensis venit ad supradictum monasterium pro exequenda inquisitione sibi ab apostolica sede commissa super vita et miraculis ipsius fratris Thome, fuerat passus et (4) patiebatur in pede sinistro morbum podagre cum dolore vehementi ; et ipse, dolens in corde suo si non posset interesse ad testificandum de miraculis dicti fratris Thome, rogavit fratrem Guillelmum de Tocco, ordinis Predicatorum, tunc in dicto monasterio presentem,

(1) B : commendavit. — (2) B. omitt : vidit ipsum. — (3) B : duceret. — (4) Ms. omitt.

ut rogaret predictum sancte memorie fratrem Thomam ut liberaret eum ab ipso morbo ut posset accedere Neapolim cum aliis monachis (B. p. 697, col. 1) dicti monasterii ad testificandum de predictis miraculis (1) coram domino archiepiscopo Neapolitano et episcopo supradicto : cum ipse testis se reputaret indignum ad impetrandum gratiam supradictam a tam preclarissime vite viro, videlicet fratre Thoma predicto. Et dictus frater Guillelmus ad preces ipsius, ut ipse frater Guillelmus retulit ipsi testi, rogavit dictum santum virum ut dictum testem, scilicet fratrem Petrum de Fundis, liberaret a morbo predicto et sic ipse testis statim fuit plene sanatus de morbo predicto.

Interrogatus de tempore, scilicet anno, mense et die quibus dictum miraculum in se factum fuit, dixit quod fuit de presenti anno millesimo CCC° XVIIII° (fol. 26ᵛ.), de (2) mense iulii, die martis XVII eiusdem mensis, quo predictus dominus episcopus Viterbiensis venerat ad predictum monasterium pro negotio supradicto. Interrogatus per quot dies fuerat passus dictum morbum tunc antequam dictus episcopus applicaret dicto monasterio, dixit quod per tres dies. Interrogatus si dictus frater Guillelmus fecit orationem dicto fratri Thome pro restitutione dicte sanitatis, dixit quod sic, prout sibi dictus frater Guillelmus retulerat. Interrogatus quo die et (4) qua hora fecerat dictam orationem, dixit quod supradicto die martis, de mane ante tertiam. Interrogatus si statim fuit consecutus sanitatem, dixit quod sic, quia cum ipse non posset ambulare propter dictum morbum (5), ipso die fuit liberatus ita quod libere ambulavit et venit et interfuit in cena dicti domini episcopi cum aliis monachis monasterii supradicti. Interrogatus per que verba oravit dictus frater Guillelmus pro ipso dictum fratrem Thomam, dixit se nescire : sed ipse frater Guillelmus scit, qui oravit. Interrogatus si alias ante habuerat dictum morbum, dixit quod pluribus vicibus habuerat. Interrogatus quanto tempore stetit (6) sanus post predictam sanitatem recuperatam, dixit quod a

(1) Ms : miraraculis. — (2) B : testis plene fuit sanatus.— (3-4) B. omitt.— (5) B : miraculum. — (6) B : steterit.

predicto die circa semper fuit sanus, et sperat semper esse sanus de ipso morbo meritis predicti fratris Thome. Interrogatus si est publica vox et fama de predictis omnibus que deposuit, dixit quod sic tam in predicto monasterio quam in Piperno et in pluribus aliis locis circumadiacentibus.

[HENRICUS de CARACCHULIS]

XL. — Eodem die, ibidem, nobilis vir Dominus Henricus de Caracchulis (1), de Neapoli, miles, testis citatus et iuratus in forma supradicta super (2) dicta inquisitione dicere veritatem ; et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod multotiens audivit recitare (3) vitam et conversationem (fol. 27r.) dicti fratris Thome fuisse honestam, puram et sanctam, et quod fuit homo magne contemplationis et orationis et quod quolibet die dicebat missam et aliam missam audiebat, et quando non poterat ipse dicere missam audiebat duas missas et postea vacabat studio ita quod toto tempore vite sue, preter usus naturales, aut legebat aut scribebat aut orabat. Interrogatus a quibus audiverat, dixit quod a fratre Iohanne de Neapoli (a), magistro in theologia, ordinis Predicatorum, a fratre Guillelmo de Tocco et a domino Bartholomeo de Capua et a pluribus aliis.

Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome, dixit quod dum ipse iret Romam peregre cum domino Nicolao de Filimarino et domino Petro Grasso et aliis Neapolitanis, ipse, causa devotionis et causa (4) videndi sepulcrum dicti fratris Thome et etiam monasterium Fosse-Nove cum dictis domino Nicolao et domino Petro, declinavit ad dictum monasterium, ubi dictus dominus Petrus Grassus supra dicto sepulcro oravit, prostratus super ipso, et post orationem sur-

(1) B : Carrahulis. — (2) B : inquisitione supra dicta. — (3) Ms : recitari. — (4) B. omitt.

(a) Pour la bibliographie concernant Jean de Naples, cf. la déposition de ce dominicain, n° XLVIII.

rexit et retulit ipsi (1) testi quod ipse ibidem senserat bonum adiuvamentum a dicto fratre Thoma quia sentiebat se liberatum de brachio, ut dicebat. Et tunc ipse testis ymaginatus et coniecturatus est infra se perpendisse, et commemorabat (B. p. 697, col. 2) quodam modo se vidisse dictum dominum Petrum non libere usum fuisse dicto brachio tanquam sano, set post verba predicta dicti domini Petri vidit ipsum dominum Petrum libere uti dicto brachio sicut sano et adhuc eo tanquam sano utitur. Interrogatus in causa scientie, dixit quod ipse fuit presens quando dictus dominus Petrus dedit se in orationem super dicto sepulcro et audivit ab ipso domino Petro recitari predicta. Interrogatus de tempore dixit quod fuit tempore quadragesimali (2), anno proximo preterito, prime indictionis, de mense et die dixit se non recordari (fol. 27v.). Interrogatus quibus verbis usus fuerat dictus (3) dominus Petrus in sua oratione, dixit se nescire, quia secrete oraverat. Interrogatus si ipse cognoverat ante dictum dominum Petrum, dixit quod sic per magnum tempus tanquam concivem et amicum suum. Interrogatus quanto tempore vidit eum infirmum, dixit de coniectura ut supra. Interrogatus quanto tempore vidit eum postea sanum, dixit quod, ab illo tempore circa, semper (4) vidit eum sanum. Interrogatus si sciret alia miracula, dixit quod non, tamen dixit se audivisse publice quod Deus multa miracula fecerat meritis ipsius fratris Thome, dixit etiam quod publica vox et fama erat Neapoli de omnibus que ipse (5) deposuit.

[Frater IACOBUS de CAIATIA]

XLII. — Die martis, ultimo mensis predicti, ibidem, frater Iacobus de Caiatia (a), ordinis fratrum Predicatorum, testis citatus et iuratus in forma supradicta super (6) dicta inquisitione dicere veritatem ; et primo interrogatus super vita

(1) Ms : ipi. — (2) Ms : quatragesimali. — (3) B. omitt. — (4) B : vidit eum semper. — (5) B. omitt. — (6) B : inquisitione supra dicta.

(a) Sur Jacques de Caiazzo, cf. *Catalogo degli uomini illustri... di san Domenico Maggiore*, Naples, 1777, p. 8 ; TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, p. 178.

et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod ipse vidit dictum fratrem Thomam, hominem contemplativum et totaliter abstractum a terrenis ad celestia, solitudinis amatorem : quoniam libenter solitarius morabatur, et erat magne honestatis et pudicitie et magne sobrietatis, nunquam petens speciales cibos, set tantum contentus erat hiis (1) que apponebantur sibi, et illis temperate et sobrie utebatur ; et omni die celebrabat missam et aliam audiebat, deinde vacabat sine otio orationibus, studio et scripture. Interrogatus quomodo hoc sciebat, dixit quod cognoverat et viderat eum. Interrogatus in quibus locis viderat eum, dixit quod Neapoli et Capue in locis et conventibus Predicatorum. Interrogatus cuius stature erat dictus frater Thomas, dixit quod erat magne stature et calvus in fronte. Interrogatus quantum tempus est quod vidit eum, dixit quod, prout sibi viderat (2), sunt (fol. 28r.) anni quatraginta quinque vel circa. Interrogatus cuius etatis erat frater Thomas quando vidit eum, dixit quod quando primo vidit eum poterat esse quatraginta sex annorum vel circa.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome si qua (3) sciret, dixit se pluries audivisse dici quod Deus propter merita dicti fratris Thome multa miracula fecerat, et plures in diversis locis de diversis infirmitatibus curaverat. Interrogatus ubi predicta audivit dici, dixit quod in civitatibus Neapolitana et Capuana et in pluribus aliis locis ultramontanis et citramontanis. Interrogatus a quibus predicta audiverat dici, dixit quod a multis religiosis et secularibus et specialiter (B. p. 698, col. 1) a domino Bartholomeo de Capua. Interrogatus si erat publica vox et fama de predictis que deposuerat, dixit quod sic. Interrogatus in quibus locis erat publica dicta (4) vox et fama (5), dixit quod Neapoli, Capue et in multis locis citramontanis et ultramontanis.

---

(1) B : iis. — (2) B : videtur. — (3) B : quæ. — (4) B. omitt. — (5) B. addit : prædicta.

[NICOLAUS de FILIMARINO]

XLIII. — Eodem die, ibidem, nobilis vir dominus Nicolaus de Filimarino (1), testis citatus et iuratus in forma supradicta super (2) dicta inquisitione dicere veritatem, et primo interrogatus de vita et conversatione supradicti (3) fratris Thome, dixit se audivisse dici (4) quod fuerat sancte vite et conversationis honeste, homo (5) magne castitatis, humilitatis et sobrietatis et excellentissime sanctitatis (6). Interrogatus a quibus predicta audiverat dici, dixit quod a domino Marino, patre suo et a domino Marino (a), patruo suo quondam archiepiscopo Capuano, qui dictum fratrem Thomam cognoverant et viderant, et diu conversati fuerant cum eo et quem habuerant in maxima devotione et reverentia, adeo quod quando (7) predictus patruus suus (8) nominabat dictum (fol. 28ᵛ.) fratrem Thomam propter sanctam vitam (9) ipsius semper quasi lacrimabatur.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome (10), si qua sciret, dixit se hoc scire quod dum ipse una cum domino Petro Grasso et domino Henrico [de] Caracchulis (11), domino Iacobo Capuano, militibus de Neapoli et pluribus aliis dudum in anno prime indictionis proxime preterite, tempore quadragesimali, causa peregrinationis, iret ad Urbem, declinavit ad monasterium Fosse-Nove cum predictis domino Petro et domino Henrico, ubi ipse testis vidit dictum dominum Petrum inclinantem et prostrantem se super sepulcro (12) dicti fratris Thome, et oravit ibidem per modicam horam. Dictus dominus Petrus surgens a dicta oratione statim asseruit et dixit ipsi testi et aliis ibi presentibus : « Audite magnum miraculum, quia ego patiebar magnum dolorem in brachio et

(1) Ms : Filmarino. — (2) B : inquisitione supra dicta. — (3) Ms: supradicta. — (4) Ms. omitt. — (5) B. omitt. — (6) Ms : sancte. — (7) B. omitt. — (8) B. addit : quando.— (9) B : ipsius vitam. (10) Ms. omitt.— (11) Ms : Caracchulo ; B : Carrathulo et. — (12) B : sepulcrum.

(a) Sur Marino d'Eboli, archevêque de Capoue, cf. Ughelli, *op. cit.*, t. VI, col. 335-340 ; Eubel, *op. cit.*, t. I, p. 164.

modo super isto sepulcro, postquam oravi, sum sanatus. » Et hoc affirmabat cum adiuratione sanctorum.

Interrogatus qui fuerunt (1) presentes quando dictus dominus Petrus predicta retulit, dixit quod ipse testis, dominus Henricus [de] Caracchulis (2) et dominus Iacobus Capuanus supradicti. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit in anno prime indictionis proxime preterite, de mense dixit se non recordari, tamen dixit quod fuit die iovis inter dominicam de Passione et dominicam Palmarum, hora vesperarum. Interrogatus ad cuius vocationem accessit ad predictum (3) locum ad videndum predicta, dixit quod ipse et alii supradicti accesserunt ad supradictum (4) locum ob devotionem quam habebant ad beatum Thomam predictum, predicto domino Petro primo movente verba quod declinarent ad locum predictum. Interrogatus per que (fol. 29r.) verba oraverat dictus dominus Petrus super dicto sepulcro, dixit se nescire quia ille secrete (5) oravit et ipse non advertit. Interrogatus si ante cognoverat dictum dominum Petrum, dixit quod longo tempore ante cognovit eum tanquam civem Neapolitanum. Interrogatus si scivit quanto tempore dictus dominus Petrus fuerat passus dolorem in dicto brachio, dixit se nescire ; nisi quod ipse dominus Petrus dixit quod fuerat passus longo tempore. Interrogatus de quo loco est oriundus dictus dominus Petrus, dixit quod credebat eum esse oriundum de (6) Neapoli. Interrogatus quanto tempore vidit eum postea sanum, dixit quod ex tunc vidit eum sanum quotienscumque vidit eum.

XLIV. — Interrogatus si scit alia miracula dicti fratris Thome, dixit se hoc scire, scilicet quod quando ipse una cum supradicta societate accessit ad dictum monasterium et supradictus dominus Iacobus Capuanus similiter oravit super sepulcro dicti fratris Thome, et postquam surrexit ab oratione ipsi testi et predicto (B. p. 698, col. 2) domino Petro asseruit se esse sanatum per dictum fratrem Thomam a quo-

(1) B : fuerint. — (2) B : Carrathulus. — (3) B : dictum. — (4) B : prædictum — (5) B : secreto. — (6) B. omitt.

dam dolore quem se passum fore (1) asserebat in oculis. Interrogatus quibus verbis interpositis oravit dictus dominus Iacobus, dixit se nescire, quia licet viderit eum super dicto sepulcro prostratum ad orandum non tamen audivit verba que proferebat. Interrogatus si cognoverat dictum dominum Iacobum ante, dixit quod sic et per longum tempus. Interrogatus si scivit eum ante patientem in oculis dolorem, dixit quod ipse nescivit eum patientem in oculis, nisi quatenus dictus (2) dominus Iacobus dixit eidem testi et predicto domino Petro quod ipse fuerat passus dolorem in oculis, et tunc predicto modo fuerat sanatus. Interrogatus si (fol. 29ʳ) vidit postea dictum dominum Iacobum sanum de oculis, dixit quod ex tunc vidit eum semper sanum. Interrogatus de qua terra esset oriundus predictus dominus Iacobus, dixit quod de (3) Neapoli. Interrogatus si erat publica (4) vox et fama (5) de predictis que deposuit, dixit quod de vita et conversatione predicta erat publica vox et fama Neapoli et in multis diversis locis, de miraculis vero predictis scitur inter personas superius nominatas.

[Frater PETRUS de SANCTA-FELICE]

XLV. — Eodem die, ibidem, frater Petrus de Sancta Felice (a), ordinis fratrum Predicatorum, testis citatus et iuratus in forma supradicta super dicta inquisitione dicere veritatem ; et (6) primo interrogatus de vita et conversatione predicti fratris Thome, dixit quod dictus frater Thomas fuit homo magne munditie quoad se et quoad alios, cupiens eos esse ut se ipsum et mire humilitatis et patientie, adeo quod nunquam aliquem corruscavit (7) aliquo verbo ampulloso aut contumelioso. Item quod erat homo magne contemplationis, et continue aut orabat aut scribebat aut studebat, et quod quolibet die ipse celebrabat missam et aliam missam (8)

(1) B : fuisse. — (2) B : ipse. — (3-4) B. omitt. — (5) B. addit : publica. — (6) B. omitt : et primo interrogatus. — (7) B : contristaverit. — (8) B. omitt.

(a) Sur Pierre de San Felice, cf. TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, pp. 178-179.

audiebat et erat taliter a terrenis abstractus ad divina : et quod nunquam petebat speciales cibos, sed contentus erat hiis que apponebantur ; et quod etiam in mensa sepe contemplabatur ita quod homo poterat sibi (1) auferre ea que erant ante ipsum et non perpendebat. Dixit etiam quod non fuit curiosus in vestimentis (a). Interrogatus quomodo sciebat predicta, dixit quod ipse vidit eum et fuit discipulus eius et per annum conversatus fuit cum eo in ordine ; et etiam audivit predicta recitari a pluribus fratribus Predicatoribus et (fol. 30r.) specialiter a fratre Raynaldo (2) de Piperno, qui fuit socius dicti fratris Thome longo tempore, et a fratre Benedicto de Monte sancti Iohannis de (3) ordine fratrum Predicatorum.

Interrogatus in quo loco vidit eum, dixit quod in conventu Neapolitano in cella sua, in choro ecclesie conventus predicti et in cathedra legentem et etiam predicantem. Interrogatus cuius stature fuit dictus frater Thomas, dixit quod fuit magne stature et fuit grossus et calvus in fronte.

Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit se audivisse relatione multorum, fide dignorum, quod post mortem dicti fratris Thome Deus fecit et facit multa miracula propter merita dicti fratris Thome et multi de diversis locis et diversis infirmitatibus meritis ipsius santi (4) sanati (5) sunt. Interrogatus si de supradictis (6) omnibus que deposuit erat publica vox et fama, dixit quod sic in tota provincia Terre Laboris et multis aliis locis.

---

(1) B : illi. — (2) Ms, B : Riccardo. — (3) B : ejusdem ordinis. — (4) B. omitt. — (5) Ms. omitt. — (6) B : prædictis.

(a) Allusion au chapitre des Constitutions Dominicaines sur les vêtements : DENIFLE (H.), *Constitutiones antique ordinis fratrum Predicatorum*, dans *Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte des M.-A.*, t. I, 1885, p. 204 ; cf. de même les ordonnances des chapitres généraux de 1248 à 1300, dans *Monumenta Ord. Prædicat. Historica*, t. II, Rome, 1898, pp. 42, 297.

[THOMAS de MATHIA]

XLVI. — Eodem die, ibidem, abbas Thomas de Mathia, canonicus Salernitanus, testis citatus et iuratus super dicta inquisitione dicere veritatem secundum formam superius annotatam ; et primo interrogatus de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod audivit per famam publicam dici quod dictus frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis honeste, aliud nescit.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome, dixit quod cum ipse, olim, ad laudem Dei et sancte Crucis, inciperet edificare quamdam (B. p. 699, col. 1) cappellam in loco Crucis et cum magna sollicitudine quereret reliquias sanctorum (fol. 30r.) ad collocandum eas in cappella predicta, accessit ad cappellam Sancti Severini, Salernitane diocesis, et invenit ibi dompnum Mattheum de Adiutorio, cappellanum ipsius cappelle, petiitque ab eo ut reliquias sanctorum, si quas haberet, sibi ostenderet. Qui cappellanus ostendit eidem primo pluries reliquias sanctorum quas reverenter vidit. Postmodum vero dictus cappellanus dixit eidem abbati Thome quod pretiosiores reliquias habebat. Et interrogatus quas, respondit quod habebat manum fratris Thome de Aquino, de ordine Predicatorum. Qui testis, derisive et truffatorie recipiens, dixit quod ipse frater Thomas non est santus, sed fuit quidam predicator ; et respuit eam videre : et incontinenti eum arripuit quidam tremor et videbatur ei quod haberet caput grossum ad modum unius magne ciste et valde ponderosum.

Deinde ipse penitens se de hiis (1) que dixerat et de incredulitate sua predicta, cepit plorare et petiit a sacerdote ipsius cappelle veniam et penitens de contemptu et verbis per eum dictis de dicto fratre Thoma petiit veniam a sacerdote predicto. Qua obtenta, accessit cum devotione ad orandum et osculandum manum predictam ; in cuius manus (2) osculatione et adoratione fuit dictus testis a tremore et inflatione

(1) B : iis. — (2) B. omitt. —

capitis subito liberatus et sanus factus (1), et sentiit odorem maximum ex dicta manu progredientem, et (2) ex tactu manus predicte in caputio suo quod tenebat in collo, ipse et caputium adeo redolebant quod per magnum tempus videbatur illis inter quos conversabatur quod ipse secum portaret muscum ; et ex hoc oportebat eum predicta omnia et miraculum (3) recitare.

Dixit etiam quod tunc sentiit tantam consolationem cum perfusione lacrimarum, et tantam fidem ex tunc habuit in dicto fratre Thoma et habet (fol. 31r.), quod temptatus aliquando de peccato carnali, et cum plena deliberatione cogitans ducere ad effectum peccare carnaliter, recommendans dicto fratri Thome sentiit in se cogitationes predictas extinctas, et ex tunc pluries in huiusmodi temptationibus invocans nomen dicti fratris Thome sentiit iuvamen et extingui in se stimulos temptationum huiusmodi.

Interrogatus de tempore, mense et die dicti miraculi et dicte sue liberationis, dixit quod fuit in anno septime indictionis proxime preterite ; de mense vero et die dixit se non recordari. Interrogatus qui fuerunt tunc presentes cum ipso dicto miraculo, dixit quod dictus cappellanus, qui mortuus est, et Maffeus Acconzaiocus (4) de Ravello et quidam famulus ipsius Maffei cuius nomen ignorat. Interrogatus de loco, dixit quod in castro Sancti Severini et in ecclesia ipsius castri. Interrogatus quibus verbis usus fuit in oratione quam fecit dicto fratri Thome, dixit quod per hec verba : « O beate Thoma, ego habeo te pro sancto et penitet me de hiis (5) que dixi et mentitus fui, recommendo me tibi, adiuva me ». Qua oratione dicta, dixit se incontinenti fuisse liberatum et sanum factum. Interrogatus quanto tempore fuit passus dictum tremorem et grossitiem et ponderositatem capitis, dixit quod donec confessus fuit, et reddiit ad altare et fecit orationem predictam. Interrogatus quanto tempore postea fuit sanus, dixit quod semper postea sanus (6) fuit. Interrogatus quomodo dicta manus dicti fratris Thome pervenerat ad dictam

(1) B : effectus. — (2) B. omitt. — (3) B : miracula. — (4) B : Aconziaceus. — — (5) B : iis. — (6) B : fuit sanus.

ecclesiam Sancti Severini, dixit quod supradictus cappellanus narravit ipsi testi quod domina comitissa, uxor quondam domini Rogerii, comitis Sancti Severini, soror dicti fratris Thome ob devotionem et amorem quem habuit ad dictum fratrem Thomam procuravit sibi dari ipsam manum ab abbate et conventu monasterii Fosse-Nove. Quam manum postea dicta domina posuerat in ecclesia supradicta. Interrogatus si dicta manus (B. p. 699, col. 2) erat integra (fol. 31v.), dixit quod vidit eam cum pelle, carne, ossibus, nervis et unguibus integram, police tamen carente. Interrogatus si de predictis miraculis est publica (1) vox et fama, dixit quod sic in dicto castro post relationem per eum de ipso miraculo factam.

[Frater CONRADUS de SUESSA]

XLVII. — Eodem die, ibidem, frater Corradus de Suessa, sacerdos ordinis Predicatorum antiquus, testis citatus et (2) iuratus super dicta inquisitione dicere veritatem secundum formam superius annotatam ; et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod ipse frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis honeste, pacificus, sobrius, humilis, quietus, devotus, contemplativus et castus ita quod reputabatur virgo ; et in cibo et potu fut tante sobrietatis quod singularitates ciborum non petebat, nec etiam curabat de cultu vestimentorum et omni die cum magna devotione aut ipse celebrabat aut audiebat unam aut duas missas ; et preter naturalis quietis horas semper vacabat aut (3) lectioni, aut scripturis aut orationi aut predicationi. Item interrogatus quomodo scit predicta, dixit quod cognovit et vidit eum facientem predictam vitam et conversatus fuit cum eo pluribus annis Neapoli, Rome et in Urbe Veteri, tempore felicis recordationis domini Urbani pape, ubi de mandato suo idem

(1) B : vox et fama publica. — (2) Ms. omitt. — (3) Ms : aud.

frater Thomas fecit expositiones super quatuor evangeliis (a). Interrogatus si predictus frater Thomas continuavit (1) dictam vitam dum cognovit eum, dixit quod sic immo semper de bono in melius proficiscebatur (2) et de virtute in virtutem crescebat. Interrogatus quanto tempore conversatus fuit cum eo et habuit notitiam de dicta vita sua, dixit quod pluribus annis et diversis temporibus. Interrogatus quantum tempus est (fol. 32r.) quod ipse primo vidit et cognovit eum, dixit quod sunt elapsi sexaginta duo (b) anni. Interrogatus quot (3) annorum esset ipse testis, dixit quod erat annorum LXXVII : quam etatem eius effigies et aspectus corporis etiam demonstrabat.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris, dixit quod audivit dici quod Deus multa miracula meritis suis fecit. Interrogatus si de predictis est publica vox et fama, dixit quod sic de hiis (4) que supra deposuit in dicto ordine inter illos qui cognoverunt eum.

(1) B : continuaverit. — (2) Ms : proficiscebat. — (3) B : quod. — (4) B : iis.

(a) C'est sur la demande d'Urbain IV que saint Thomas composa ses gloses sur les Evangiles, ainsi que l'atteste le prologue placé en tête des gloses sur saint Matthieu (*Opera omnia* (édit. Vivès) t. XVI, p. 2), sur cette œuvre cf. MANDONNET (P.), *Chronologie des Ecrits scripturaires de saint Thomas d'Aquin*, dans *Revue Thomiste*, n. s., t. XII (1929), pp. 140-145.

(b) L'indication chronologique donnée ici par frère Conrad de Sessa est inexacte : En 1257 (soixante-deux ans avant août 1319) Thomas d'Aquin enseignait à Paris. Ce n'est qu'en 1259 (durant l'été) qu'il rentra en Italie. Après avoir enseigné deux ans (1259-1261) à Anagni, où se trouvait la Curie Pontificale, il gagna Orvieto, où il professa de 1261 à 1265, date de son départ pour Rome. Pour la chronologie de ces années, cf. MANDONNET (P.), *Thomas d'Aquin, lecteur à la Curie Romaine*, dans *Xenia tomistica*, t. III, Rome, 1925, pp. 9-40 ; les dernières pages de cet article doivent être rectifiées d'après une note de DESTREZ (J.), *A propos d'un répertoire des maîtres en théologie de Paris au* XIIIe *siècle*, dans *Recherches de Théologie ancienne et médievale*, t. III (1931), pp. 412-422.

[Frater IOHANNES de NEAPOLI]

XLVIII. — Die mercurii primo mensis augusti, secunde indictionis, Neapoli in palatio archiepiscopali, frater Iohannes de Neapoli (a), ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie doctor, testis citatus et iuratus in forma supradicta super dicta inquisitione, dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod audivit dici a multis fratribus ordinis Predicatorum antiquis qui fuerunt in diversis conventibus cum eo, quod fuit homo sancte vite et conversationis, contemplationis exemplaris, et quod omni die communiter celebrabat unam missam et aliam audiebat vel duas (1) audiebat si non celebrabat ; sed primum erat frequentius scilicet quod unam celebrabat et aliam audiebat.

Item quod in nullo videbatur affectus ad temporalia quecumque, honores scilicet et divitias huius mundi. Item quod totum quasi tempus suum in bono opere occupabat, scilicet in studio, lectione (2), scriptura vel oratione, et quod pertinentia ad recreationem corporis ut comestionem et dormitionem et huiusmodi naturalia transitorie faciebat ita quod parum de tempore (fol. 32[v].) in talibus occupabat. Interrogatus a quibus predicta audiverat dici, dixit quod a multis antiquis fratribus dicti ordinis qui dicebant sibi se fuisse conversatos cum dicto fratre Thoma ; tamen de omnibus (3) eorum determinate non recordabatur. Interrogatus si ipse audivit dici a predictis vel aliis quod dictus frater continuaverit dictam vitam suam quandiu (B. p. 700, col. 1) vixit, dixit quod sic et nunquam audivit contrarium.

(1) B : si non celebrabat, duas audiebat : sed. — (2) B. addit : et. — (3) B : eorum omnibus.

(a) On trouvera une abondante bibliographie sur ce théologien dans Ueberweg-Geyer, *op. cit.*, p. 772, cf. de même la préface du récent ouvrage de Balic (C.), *Johannis de Polliaco et Johannis de Neapoli quæstiones disputatæ de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis*, Sibenik, 1931.

Item interrogatus super miraculis dicti fratris Thome si qua (1), sciret dixit quod audivit dici et recitari sibi a fratre Landulfo (2) de Neapoli (a), ordinis Predicatorum, qui fuit in ordine (3) ipso lector gratiosus, et prior et inquisitor heretice pravitatis, et postea episcopus Equensis et tandem archiepiscopus Acherontinus : quod (4) cum quadam vice declinasset ad monasterium Fosse-Nove ut ibi hospitaretur, vadens versus Romanam (5) provinciam, subito arripuerunt eum magni dolores yliaci quos frequenter alias habere consueverat, propter (6) quos prorupit in magnos clamores et eiulatus ; ad quos occurentes (7) monachi ipsius monasterii et causam clamorum petentes et ab eo audientes, dixerunt quod consulebant ei quod uteretur medicina qua ipsi utebantur in suis infirmitatibus et doloribus et sanabantur frequenter : corrigiam scilicet, qua accinctus erat, super sepulcro bone memorie fratris Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, qui in ipso monasterio sepultus (8) erat, extendendo, et tandem toto corpore se super idem sepulcrum prosternendo. Qui frater Landulfus (9), devotione concepta propter verba audita, respondit quod libenter vellet uti tali medicina quia ipse noverat fratrem Thomam predictum dum viveret et sciebat eum fuisse multum (10) sancte (11) et religiose vite et magni meriti apud Deum ; et surgens ivit ad dictum sepulcrum et iuxta consilium (fol. 33[r].) sibi datum primo corrigiam suam super ipsum extendit et postea se super illud (12) prosternens cum devotione predictum fratrem Thomam oravit, et statim surrexit perfecte sanatus, sic quod nunquam postea tales dolores sentiit (13). Interrogatus de loco in quo dictus Landulfus (14) sibi (15) dixerat predicta, dixit se non recordari, tamen dixit quod pro certo constat sibi quod hoc ab eo immediate audivit.

(1) B : quae. — (2) Ms., B : Leonardo. — (3) B : dicto ordine. — (4) B : qui. — (5) B : Romam. — (6) B : propterea prorupit. — (7) B : accurentes. — (8) B : erat sepultus. — (9) B : Leonardus. — (10) B. omitt. — (11) B : sanctissimæ et religiosissimæ. — (12) Ms : eum. — (13) B : senserit. — (14) B : Leonardus. — (15) B : illi.

(a) Sur Landolfe de Naples, cf. CAVALIERI (G.-M.), *Galleria de' Summi Pontifici, Patriarchi..... dell'Ordine de' Predicatori*, t. I, Bénévent, 1696, p. 67 ; UGHELLI, *op. cit.*, t. VI, col. 632 ; t. VII, col. 44.

[Frater PETRUS de castro MONTIS SANCTI-IOHANNIS]

XLIX. — Eodem die, ibidem, frater Petrus de castro Montis sancti-Iohannis, sacerdos et monachus antiquus monasterii Fosse-Nove, testis citatus et iuratus in suprascripta forma, super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se scire dictum fratrem Thomam fuisse hominem sancte vite et conversationis honeste, contemplativum ad Deum, purum, humilem, pacificum et modestum, abdicatum a terrenis et abstractum ad celestia seu divina, continue quasi oculis elevatis ad celum, et sobrium in cibo et potu, et quod (1) quasi semper vacabat studio aut lectioni aut scripture (2) aut orationi ; et quod omni die celebrabat missam cum lacrimis, et aliam audiebat cum devotione. Interrogatus quomodo sciret predicta, dixit quod vidit et cognovit eum et conversatus fuit cum eo per longum tempus et in diversis locis. Interrogatus in quibus locis, dixit quod in castro (B. p. 700, col. 2) sancti-Iohannis Marsici, in civitate Neapolitana, in castro Magentie et in monasterio Fosse-Nove, in quibus locis dixit quod viderat eum facere predictam vitam et ipsum esse, ut superius dixit. Interrogatus quanto tempore cognovit eum et conversatus fuit cum eo, dixit quod per annos decem, infra quos annos per diversa et crebra temporum intervalla fuit conversatus cum eo, et vidit eum semper facere (fol. 33ᵛ.) predictam vitam quam continuavit et continuasse communiter et publice dicitur usque ad ultimum finem vite eius, cui dictus frater Petrus interfuit ministrando eidem.

Dixit etiam quod dum dictus frater Thomas iret ad concilium Lugduni, vocatus a felicis recordationis domino Gregorio papa X, et faceret transitum per castrum Magentie, Terracinensis (3) diocesis, et ibi per aliquos dies moram traheret pro (4) eo quod erat aliquantulum discrasiatus (5), frater Iaco-

(1) B : qui. — (2) B : scripturis. — (3) B : Tranensis. — (4) B : eo quod esset. — (5) B : defatigatus.

bus de Florentino (*sic*), tunc prior dicti monasterii Fosse-Nove, una cum ipso teste, fratre Iohanne de Pede Montis et fratre Fidele, monachis eiusdem monasterii, ivit ad visitandum dictum fratrem Thomam ad dictum castrum Magentie, ubi ipsi (1) prior et monachi steterunt cum eo per dies quatuor vel quinque, infra quos vidit eum celebrantem cum magna devotione et effusione lacrimarum, ut supradixit.

In quo quidem loco, dum dictus prior sollicitatus esset secrete a fratre Raynaldo, socio dicti fratris Thome, ut quereret ab eo quod acciderat (2) sibi (3) quando recepit magisterium in theologia et supplicaret ipse eidem fratri Thome ut diceret ista sibi (4), ipse frater Thomas ad magnam instantiam dicti prioris narravit sibi (5) quod cum iniunctum fuisset sibi (6) per priorem suum Parisiensem de mandato cancellarii Parisiensis ut pararet se ad recipiendum magisterium in theologia, et ipse reputaret se inhabilem ad hoc propter iuventutem, et positus in perplexitate quodam (7) quid ageret, dedit se in oratione (8) circa quoddam altare ubi sibi obdormienti apparuit in sompnis quidam frater Predicator, canus et antiquus, qui dixit sibi (9) : Quid cogitas, frater Thoma ? » Et ipse respondit : « Mandatum est mihi ut preparem me ad recipiendum conventum et cogito quid debeam proponere (fol. 34r.) ». Et ille dixit ei : « Hoc verbum proponas et non aliud : Rigans montes de superioribus suis de fructu operum tuorum satiabitur terra (a). » Et hanc auctoritatem dixit se proposuisse in dicto suo conventu (b), et illam (10) fuisse prosecutum.

Transactis vero dictis (11) diebus quatuor, predictus frater

(1) B : ipse. — (2) B : acciderit. — (3) B : illi. — (4) B : ipsi. — (5) B : illi. — (6) B. omitt. — (7) B : quidnam. — (8) B : orationi. — (9) B : illi. — (10) B : illamque. — (11) B. omitt.

(a) Ps. CIII, 13.

(b) Le discours inaugural de saint Thomas a été publié pour la première fois par SALVATORE (D.), *Due sermoni inediti di S. Tommaso d'Aquino*, Rome, 1912. Il a été réimprimé depuis par exemple par BERTHIER (J.), *Doctor Communis*, t. I, Rome, 1914, pp. 11-14 ; PÈGUES-MAQUART, *Saint Thomas d'Aquin*, Toulouse-Paris, 1925, pp. 364-377 (avec traduction française du P. L. DUMESTE).

Thomas equitavit cum dictis priore et monachis et aliis sociis suis ab dicto castro Magentie ad dictum monasterium Fosse-Nove, et cum intrasset dictum monasterium in loco parlatorii dixit hec verba. « Hec est requies mea in seculum seculi (1), et cetera (a). » Et stans in ipso monasterio cepit infirmitate gravari, quam quidem infirmitatem cum magna patientia supportans reverenter (2) et devote recepit (3) ecclesiastica sacramenta, et specialiter Corpus Christi cum lacrimis multis et devotione magna suscepit (4). Et ante susceptionem ipsius Corporis Christi, multa decora verba dixit de ipso Corpore Christi coram toto conventu dicti monasterii et multis de ordine Predicatorum et Minorum. Inter que inseruit ista verba : « Ego de isto santissimo Corpore et aliis sacramentis multa docui et scripsi, in fide Christi et sancte romane Ecclesie cuius correctioni omnia subicio et expono. » Et recepto ipso Corpore, vixit per tres dies et ipso tertio die obdormivit in (5) Domino.

In cuius funere quidam frater (b) Predicator qui fuerat longo tempore ipsius fratris Thome confessor, predicavit publice coram omnibus ibi adstantibus dicens : « Ego confessionem generalem istius (6) sancti viri audivi de quo testificor quia ita (7) inveni eum purum sicut puerum V annorum quia nunquam sue carnis sentiit corruptelam ».

Post hec, corpus ipsius fratris (B. p. 701, col. 1) Thome cum solempnitate debita fuit (8) sepultum in monasterio supradicto.

L. — (fol. 34v.) Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome facta (9) in vita, in morte vel post mortem ipsius, dixit in vita sua hoc miraculum accidisse : videlicet

(1) B. addit : hic habitabo quoniam elegi eam. — (2) B : cum reverentia et devotione. — (3) B : suscepit. — (4) B. omitt. — (5) Ms. addit : in. — (6) B : ipsius. — (7) B : quia inveni eum ita purum. — (8) B : sepultum fuit. — (9) Ms : factis.

(a) Ps. CXXXI, 14.

(b) Nous savons par Guillaume de Tocco (édit. *Fontes Vitæ S. Thomæ*, pp. 136-137) que ce discours fut prononcé par Raynald de Piperno.

quod dictus frater Thomas dum viveret et esset in dicto castro Magentie et cepisset aliquantulum infirmari et propter debilitatem requireretur a socio suo ut sumeret cibum, dictus frater Thomas dixit eidem (1) socio : « Credis quod invenirentur arenge recentes ». Et socius respondit : « Credo quod in partibus ultramontanis anglicanis et gallicanis inveniuntur (2) ». Et dum hec ad invicem conferrent quidam piscarolus (3), Bordonarius nuncupatus, veniens de Terracena (4) Magentiam cum sardis, sicut consueverat, dictus (5) socius dicti fratris Thome, qui vocatur frater Raynaldus de Piperno, interrogavit ipsum piscarolum (6) quos pisces haberet ; et ille dixit sardas. Et dum fecisset discoperiri cistas in quibus portabantur dicti pisces, invenit unam de ipsis cistis plenam arengis recentibus. Quo viso, omnes hoc videntes gavisi et mirati sunt, pro (7) eo quod in partibus Italie nunquam invente fuerunt arenge recentes, et dictus mercator piscium vehementius admirabatur et affirmabat omnino, quod emerat sardas et non arengas, et predictus frater Raynaldus currens ad dictum fratrem Thomam (8) dixit ei : « Deus adimplevit voluntatem vestram, et habetis quod desideratis, quia arenge, quas nominatis, invente sunt ». Et ille dixit : « Unde venerunt et quis portavit eas huc ? » Et ille dixit : « Deus misit vobis ».

Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quod hoc fuit et accidit infra illos quatuor dies superius dictos, quibus ipse testis fuit cum supradictis suo priore et aliis monachis in predicto castro Magentie, et fuit presens et vidit predicta, ac etiam (9) (fol. 35r.) ipse comedit ; de quibus etiam arengis comedit dictus frater Thomas cum tota sua societate et multi alii religiosi et seculares comederunt ; et domina comitissa (10) Franscisca, uxor domini Annibaldi de Ceccano, domini (11) dicti castri, et neptis (12) dicti fratris Thome, similiter comedit de ipsis arengis. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit

(1) B : ad eum. — (2) B : invenirentur. — (3) Ms : pissarolus. — (4) B : trateo. — (5) B. omitt. — (6) Ms : pissarolum. — (7) B. omitt. — (8) Ms. addit : et. — (9) Ms. addit : ac etiam. — (10) B : Francisca comitissa. — (11) B. omitt. — (12) B : nepotis.

quod fuit supradicto tempore, quando felicis recordationis dominus Gregorius papa X erat Lugduni. et convocabat concilium, ad quod concilium dictus frater Thomas vocatus ibat ; de mense et die certa, dixit se non recordari, tamen dixit quod fuit tempore quatragesimali et infra supradictos quatuor dies. Interrogatus qui fuerunt (1) presentes et videntes predicta, dixit quod fuit ipse testis et supranominatus prior, frater Iohannes de Pede Montis (2), et frater Fidelis de Tuscia, monachi supradicti, et frater Raynaldus de Piperno, socius fratris Thome supradicti, et quidam famulus dicti fratris Thome qui vocabatur Iacobus de Salerno. Interrogatus si predicti vivant ad presens, dixit quod non quia omnes mortui sunt, ipso teste dumtaxat excepto. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in dicto castro Magentie. Interrogatus ad cuius vocationem iverat ad videndum predicta, dixit quod ad dictum castrum Magentie accessit cum dicto suo priore ad mandatum ipsius ad visitandum dictum fratrem Thomam, et dum esset ibi occurit dictus casus miraculosus, ita quod vidit et comedit, ut dixit. Interrogatus si sciret que verba fuerunt (3) interposita per dictum fratrem Thomam postquam (4) secutum fuit dictum miraculum, dixit quod illa que dixit supra, que verba dixit se audivisse fuisse prolata a dicto fratre Thoma dicto socio suo, et ab eo socio suo ipsi fratri Thome.

Interrogatus quomodo sciret quod predicti pisces essent arenge, dixit quod ipse viderat in curia Romana apud Viterbum (fol. 35v.) arengas salitas, ita quod per illas recognovit istas esse arengas, quia erant eis similes, et predictus frater Raynaldus (B. p. 701, col. 2), socius dicti fratris Thome, qui viderat et comederat de arengis recentibus in partibus ultramontanis, testificabatur et affirmabat eas esse arengas. Interrogatus qualiter ipse et alii, qui comederunt de dictis arengis, comederunt eas paratas, dixit quod elissitas in brodio et etiam assatas.

(1) B : fuerint. — (2) B ; Pedemonte. — (3) B : fuerint. — (4) Ms postque.

LI. — Item interrogatus si sciret aliquod miraculum ipsius fratris Thome factum in mortem vel post mortem ipsius, dixit quod dicto fratre Thoma mortuo iacente adhuc in lecto in camera in qua obiit, antequam eius corpus lavaretur (a), frater Iohannes de Florentino (*sic*), tunc supprior dicti monasterii, qui perdiderat lumen oculorum cum oscularetur cum devotione pedes ipsius fratris Thome, sicut ceteri monachi, propter santam vitam ipsius, fuit ipsi fratri Iohanni consulendo dictum : « Iungatis et supponatis oculos vestros oculis huius santi viri. » Et tunc ipse frater Iohannes cum devotione superposuit (1) et iunxit oculos suos super (2) oculis dicti fratris Thome. Qui statim et subito lumen pristinum recepit et fuit plene liberatus et (3) illuminatus. Interrogatus quomodo sciret predicta, dixit quod ipse fuit presens et vidit ac etiam fuit unus de illis qui dederunt dicto fratri Iohanni consilium supradictum. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit in die mortis sue, alias (4) de mense et die determinate dixit se non recordari, sed recordatur quod fuit tempore concilii supradicti. Interrogatus qui alii fuerunt (5) presentes quando dictus frater Iohannes predicto modo recuperavit lumen oculorum, dixit quod fuerunt presentes bone memorie Franciscus (b), episcopus Terracinensis (6), frater Raynaldus supradictus, quinque aut quatuor fratres Minores et fratres Predicatores plures et monachi

(1) B : supposuit. — (2) B. omitt. — (3) Ms. omitt. : et. — (4) B : at. — (5) B : fuerint. — (6) Ms : Terrecensis.

(a) Les funérailles de saint Thomas furent faites selon le cérémonial alors en usage dans les abbayes et monastères de saint Benoît, on trouvera décrites les différentes phases de ces pieuses cérémonies dans un intéressant article de Dom GOUGAUD, *La mort du moine*, dans *Revue Mabillon*, 2e s., n° 36, 19e ann. (1929), pp. 281-302.

(b) Sur François, évêque de Terracine qui, en 1295, fut transféré au siège d'Avellino : cf. UGHELLI, *op. cit.*, t. I, col. 1297. — La présence de cet évêque, lors de ce miracle, est confirmée par le fait que Tocco (*edit. cit.* p. 135) a noté sa participation aux funérailles de Thomas d'Aquin. Appartenant à l'ordre de saint François, l'évêque de Terracine avait dû obtenir du Souverain Pontife la permission de garder auprès de lui quelques religieux de son ordre, religieux qui accompagnèrent François au monastère de Fossa-Nova et dont la présence nous est signalée dans divers passages du même Procès et dans Tocco.

et (fol. 36r.) conversi predicti monasterii quasi numero centum.

Interrogatus in quo loco fuit factum dictum miraculum, dixit quod in supradicto monasterio in camera et in lecto in quo dictus frater Thomas iacebat mortuus. Interrogatus ad cuius vocationem ipse testis accessit ad videndum dictum miraculum, dixit quod non ivit ad vocationem alicuius, sed (1) ipse continue morabatur et assistebat dicto fratri Thome dum iaceret infirmus in dicto monasterio et in morte ipsius similiter astitit obsequiose, ita quod ipse frater Thomas mortuus fuit iuxta latus ipsius testis assistentis sibi (2) in serviendo ; et postquam fuit (3) mortuus permansit et lavit cum aliis monachis corpus eius et propterea (4) vidit presentialiter omnia supradicta.

Interrogatus quibus verbis usus fuit dictus frater Iohannes in oratione quando superposuit (5) oculos suos super oculis dicti fratris Thome, dixit se non audivisse quia mentaliter oraverat. Interrogatus si ante dictum miraculum cognoverat dictum fratrem Iohannem, dixit quod sic quia erat socius suus in dicto monasterio. Interrogatus per quantum tempus vidit eum ante dictum miraculum patientem defectum in visu oculorum, dixit quod per XX dies. Interrogatus quomodo sciret quod dictus frater Iohannes careret lumine, dixit quod vidit eum non discernentem nec cognoscentem homines visu, nec etiam legere poterat. Interrogatus quanto tempore scivit dictum fratrem Iohannem sic sanatum de lumine, dixit quod ex tunc in antea per triginta annos vidit et scivit eum esse sanum de lumine. Interrogatus de quo loco fuerat oriundus dictus frater Iohannes, dixit quod de Florentino (*sic*) de Campania.

LII. — Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome facta post mortem ipsius, dixit quod post septem menses postquam fuit sepultus in capella sancti Stephani dicti monasterii, fuit exhumatum corpus ipsius de ipsa ca-

(1) Ms : se. — (2) B : illi. — (3) B : mortuus fuit. — (4) B : præterea. — (5) B : supposuit.

pella et translatum et sepultum ante altare magnum ecclesie (fol. 36v.) ipsius monasterii, et in apertura ipsius sepulcri tanta manavit inde fragrantia odoris quod replevit totam ipsam cappellam et etiam claustrum ; et vestimenta ipsius cum quibus (B. p. 702, col. 1) sepultus fuerat adhuc erant sana et integra, et etiam totum corpus ipsius (1) erat integrum et inllesum excepto quod modica ruptura apparebat in puncta (2) nasi eius (3). Et nonnulli ex monachis dicti monasterii, volentes certiorari unde manabat tantus odor, appropinquaverunt et posuerunt nasum eorum (4) super corpus ipsius et odorantes senserunt in ipso odoratu dictam suavitatem odoris prodire de corpore et vestimentis ipsius (5), propter quod assumpta maiori (6) devotione per monachos dicti monasterii, prior dicti monasterii (7) et duo alii ministri ex dictis monachis paraverunt se paramentis seu vestimentis sericis, et ipsi sic parati et totus conventus processionaliter transtulerunt ipsum corpus de ipsa (8) sepultura in qua erat ad quamdam sepulturam aliam que est ante altare predictum.

De quo quidem sepulcro post annos septem, cum ipse testis esset assumptus in abbatem dicti monasterii, iterato fecit ipsum corpus exumari et transferri in alium locum honorabiliorem : videlicet ad sinistram partem altaris, cum itur ad illud, in sepulcro lapideo super terram. In cuius apertura sepulcri, similis odor emanabat ex ipso corpore, sicut in prima translatione iam dicta ; et tam corpus ipsum quam etiam (9) vestimenta sua predicta erant integra et illesa, ut supra in prima apertura predicta, excepto quod deficiebat modicum de puncta (10) policis manus destre. Et tam in dicta prima translatione quam in secunda fuit cantata missa de uno confessore per monachos ipsius monasterii, pro (11) eo quod reputabant ipsum fratrem Thomam sanctum, nec (fol. 37r.) reputabant congruum et bene agere si cantarent missam de « Requiem eternam... » (12), tanquam pro defuncto.

(1) B : ejus. — (2) B : puncto. — (3) B : ipsius. — (4) B : suum. — (5) B : ejus. — (6) Ms. addit : maiori. — (7) B. omitt : dicti monasterii. — (8-9) B. omitt. — (10) B : puncto. — (11-12) B. omitt.

Interrogatus quomodo sciret predicta, dixit quod, in prima et in (1) secunda translatione prefata, fuit presens et vidit et sentiit predicta, et etiam predictam secundam translationem ipse fecit fieri tanquam abbas dicti monasterii.

Interrogatus de tempore, mensibus et diebus utriusque translationis ipsius, dixit quod prima translatio facta fuit quasi septem mensibus elapsis post obitum ipsius fratris Thome ; secunda vero translatio facta fuit septem annis iam elapsis post ipsam primam translationem ; de mensibus et diebus distinctis et certis dixit se non recordari propter longitudinem temporis.

Interrogatus qui fuerunt (2) presentes ipsis prime et secunde translationibus, dixit quod tam prime quam secunde translationibus fuerunt presentes frater Leo de santo Stephano, frater Girlandus (3) de Castro Novo, supradictus frater Iacobus, prior, frater Petrus Francisci de Piperno, frater Mauritius, monachi dicti monasterii et generaliter totus conventus monachorum et conversorum dicti monasterii. Interrogatus de loco dixit ut supra. Interrogatus ad cuius vocationem, dixit quod in prima translatione, ipse ivit (4) simul cum aliis monachis ipsius (5) monasterii ad mandatum et vocationem prioris dicti monasterii ; in secunda vero translatione (6), ipse ut abbas dicti monasterii vocavit ad hec (7) alios, non ipse fuit vocatus ab ipsis.

LIII. — Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit quod post mortem ipsius, pluribus annis elapsis, quidam medicus chyrurgicus, qui (8) vocatur magister Raynaldus de santo Laurentio, cum pateretur morbum podagre in pedibus adeo graviter quod sine substentatione aliorum non poterat ambulare, ob devotionem recuperande sanitatis, audita fama sanctitatis dicti fratris Thome, venit equester ad dictum monasterium et (fol. 37v.) postquam intravit dictum monasterium fecit se portari ad sepulcrum ipsius (9) fratris Thome super quo prosternens se (10) et orans

(1) B. omitt. — (2) B : fuerint. — (3) B : Grilardus. — (4) B. omitt. — (5) B : dicti. — (6) B. omitt. — (7) B : hec. — (8) B : nomine. — (9) B : istius. — (10) B. omitt.

surrexit statim perfecte sanatus, ita quod statim cucurrit et ambulavit per se tanquam sanus clamando et dicendo : « Sanus sum meritis fratris (1) Thome de Aquino. » Propter quod miraculum conventus monachorum qui erant (2) tunc presentes in ecclesia dicti monasterii ad horas canonicas dicendas, viso ipso miraculo, pulsatis campanis ipsius (B. p. 702, col. 2) monasterii (3), « Te Deum laudamus » sollempniter cantaverunt.

Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quod fuit presens, et vidit ipsum infirmum dicta infirmitate portari ad dictum sepulcrum et recumbentem super ipso sepulcro ac orantem et surgentem sanum, ambulantem et currentem ut sanum ; et audivit eum clamantem et dicentem : « Benedictus Deus quia sanus factus sum meritis santi Thome de Aquino ». Et ipse testis qui tunc erat abbas ipsius monasterii simul cum aliis fratribus eiusdem (4) monasterii cantavit propter ipsum miraculum dictum ymnum « Te Deum laudamus ». Interrogatus de tempore, mense et die, dixit se non recordari. Interrogatus de hora, dixit quod miraculum ipsum factum fuit circa horam vesperarum ut sibi videtur, tamen non ad plenum recordatur. Interrogatus qui fuerunt (5) presentes, dixit quod monachi et (6) conventus qui erant tunc in ipso monasterio, qui convenerant tunc in ipsa Ecclesia ad cantandum vesperas.

Interrogatus de loco, dixit ut supra. Interrogatus ad (7) cuius vocationem ipse ivit (8) ad videndum predicta, dixit quod tam ipse quam alii monachi convenerant in ipsa ecclesia ad horas canonicas dicendas. Interrogatus quibus verbis usus fuit (9) in oratione sua dictus magister Raynaldus, dixit se non audivisse quia secrete oravit. Interrogatus quanto tempore cognoverat eumdem magistrum Raynaldum ante dictum miraculum, dixit quod annos (10) XII ver circa. Interrogatus quanto tempore fuerat dicta infirmitate detentus et quot diebus viderat eum infirmum (fol. 38r.), dixit quod infra dictum tempus duodecim annorum multoties per diversa inter-

(1) B : S. — (2) B : tunc erant. — (3) Ms. omitt. — (4) B. omitt : eiusdem monasterii. — (5) B : fuerint. — (6) B. omitt. — (7) B : cujus ad vocationem. — (8) B : iverit. — (9) B : fuerit. — (10) B : annis.

valla temporis (1) vidit eum et quotiens vidit eum totiens vidit eum dicta infirmitate detentum. Interrogatus quanto tempore vidit eum post dictum miraculum sanum, dixit quod per plures annos et scivit eum sanum usque ad obitum suum. Interrogatus de (2) qua terra fuit oriundis dictus magister Raynaldus, dixit quod de castro sancti Laurentii predicto. Interrogatus cuius etatis (3) et stature erat dictus magister Raynaldus, dixit quod erat stature et etatis mediocris.

LIV. — Item interrogatus si sciret alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit se scire quod quedam mulier, nomine Margarita de Piperno, dum esset subarrata et tradenda nuptui, supervenit sibi (4) infirmitas in gutture ita quod habebat ipsum guttur scrufulosum et valde inflatum, propter quam infirmitatem et deformationem recusabat eam traducere ille qui eam subarraverat. Unde mater dicte Margarite et ipsa Margarita, audita fama sanctitatis dicti fratris Thome, cum devotione magna venerunt usque (5) ad portam magnam dicti monasterii Fosse-Nove, et cum ipsa non posset ingredi dictum monasterium ex (6) eo quod nulla mulier permittitur (7) intrare (8) ipsum monasterium, rogaverunt multum et efficaciter dictum fratrem Petrum, testem, ut pro Deo faceret eis apportari aliquid de reliquiis dicti fratris Thome, ut possent superponere (9) gutturi dicte Margarite, sperantes ex hoc, meritis dicti fratris Thome, ut ipsa Margarita consequeretur sanitatem. Ad quarum mulierum preces, dictus frater Petrus (10) fecit portari eisdem mulieribus caput dicti fratris Thome per sacristam dicti monasterii, quod caput erat separatum a corpore dicti fratris Thome et custodiebatur (fol. 38^{v}.) et custoditur in sacristia ipsius monasterii. Et ipsum caput dictus sacrista posuit super guttur dicte Margarite (11) ubi patiebatur ; quo facto dicta (12) Margarita cum dicta (13) matre sua recedens ab ipso monasterio Pipernum, quod distat ab ipso monasterio per (14) duo miliaria (15), in via dum recede-

(1) Ms : temperoris. — (2) B. omitt. — (3) B : staturæ et ætatis. — (4) B : illi. — (5-6) B. omitt.— (7) B : permittatur. — (8) B : ingredi in illud. — (9) B : supponere. — (10) B. addit : testis. — (11) B : mulieris. — (12) B : præfata. — (13-14) B. omitt. — (15) B : duobus milliaribus.

ret, vomit de ore quasi frustrum carnis, et sanata fuit ad plenum de ipso gutture, post ipsum vomitum in ipso recessu, sicut ipsa Margarita retulit ipsi testi et retulit (1) multis de Piperno, et adhuc fatetur et testatur publice quod meritis dicti fratris Thome, predicto (B. p. 703, col. 1) modo, fuit sanata.

Interrogatus quomodo scit, dixit quod ipse interfuit quando dictum caput (2), ut supra dixit, fuit dicte mulieri portatum et appositum gutturi suo ; et postea vidit ipsam mulierem de dicta infirmitate plene sanam, que profitebatur fuisse sanata meritis dicti fratris Thome. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit se non recordari. Interrogatus qui fuerunt (3) presentes, dixit quod ipse testis et predictus sacrista, frater Petrus dictus de Morrone, monachus dicti monasterii, frater germanus dicte Margarite et mater dicte Margarite et plures mulieres de Piperno que ipsam mulierem secute fuerunt. Interrogatus quibus verbis fuit (4) usa dicta mulier quando superpositum (5) fuit gutturi suo dictum caput, dixit quod dicta mulier inclinavit se et genuflexit (6) cum devotione, sed non audivit ipsam verba proferentem. Interrogatus si habuerat notitia dicte mulieris, dixit quod sic per longum tempus ante. Interrogatus si sciret quanto tempore fuerat passa dictum morbum, dixit quod per magnum tempus, et pluries per intervallum vidit dictam mulierem cum dicto gutture suo (7) grosso et inflato. Interrogatus quanto tempore dicta mulier fuit postea sana, dixit quod ex tunc pluribus vicibus vidit eam sanam et adhuc est sana. Interrogatus si post dictam sanitatem restitutam sibi in dicto gutture ipsa mulier consumaverat (8) (fol. 39^{v}.) et perfecerat matrimonium cum viro cui ante (9) fuerat subarrata, dixit quod sic, et ex eo habuit et habet prolem. Interrogatus unde esset oriunda dicta mulier, dixit quod de castro Piperni.

LV. — Interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit de visu alia se nescire, nisi predicta ; tamen audivit dici a fratre Petro Francisci de Piperno, converso

(1) B. omitt. — (2) Ms : capud. — (3) B : fuerint. — (4) B : usa fuit. — (5) B : suppositum. — (6) B : genua flexit. — (7) B. omitt. — (8) B : confirmaverat. — (9) B : antea.

dicti monasterii, quomodo fuerat a demonio vexatus et impeditus et virtutibus naturalibus destitutus, et quod meritis dicti fratris Thome, dum fuisset portatus ad sepulcrum ipsius, extitit miraculose et subito liberatus, et quod vidit eundem fratrem Petrum predicta narrantem sanum ; qui etiam nunc est sanus in dicto monasterio ; adiciens quod predictum miraculum fuit et est notorium in dicto monasterio.

Item dixit se audivisse a patre Nicolai de Maximo de Piperno quod ipse Nicolaus, filius suus, ex quadam percussione cultelli habuerat os brachii sui fractum totaliter et divisum, et quod vovens se dicto fratri Thome recuperavit potentiam et sanitatem ipsius (1) brachii, ita quod ipso osse existente diviso faciebat cum ipso brachio omnia sicut cum sano. Interrogatus si de predictis est publica vox et fama, dixit quod sic in dicto monasterio, castro Piperni et aliis locis vicinis.

[Frater PETRUS de PIPERNO]

LVI. — Die veneris, III dicti mensis augusti, secunde indictionis, frater Petrus de Piperno, dictus de Morrone, monachus supradicti monasterii, testis citatus et iuratus in simili forma, dicere veritatem super dicta inquisitione, et primo interrogatus de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod publice intellexit (2) et audivit dici quod dictus frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis, et multa bona dicuntur de santitate sua, aliter ipse nescit cum ipse non sit etatis quod potuerit eum videre.

(fol. 39v.) Item interrogatus si sciret aliqua miracula dicti fratris Thome, dixit se scire quod soror sua, nomine Margarita de Piperno, que ab annis pueritie sue habuerat guttur grossum et inflatum ex congregatione humorum, accedens cum ipso teste et matre sua ad monasterium Fosse-Nove ob devotionem quam conceperat ex auditu magne fame santitatis dicti fratris Thome et quomodo Deus meritis ipsius

(1) B :.sui. — (2) B. omitt.

multa miracula faciebat, cum pervenit ad portam dicti monasterii quod nulla mulier ingredi potest, rogavit (1) humiliter fratrem Petrum de Monte sancti Iohannis, monachum dicti monasterii (B. p. 703, col 2) ut sibi faceret portari aliquid de reliquiis dicti fratris Thome et poni faceret super dicto gutture suo (2). Qui frater Petrus annuens petitioni sue (3) fecit per sacristam dicti (4) monasterii (5) portari caput (6) dicti fratris Thome, quod erat in sacrario (7) dicti monasterii et poni super gutture dicte mulieris. Que mulier in recessu suo vomens humores congluttinatos ad instar frusti carnis fuit ad plenum sanata in via de dicta infirmitate gutturis.

Interrogatus quomodo scit, dixit quod ipse interfuit et vidit superponi (8) dictum caput super gutture dicte sororis sue, et eo remanente in dicto monasterio infra tres dies ivit Pipernum et invenit dictam sororem suam sanam de dicta infirmitate ; et ipsa narravit sibi (9) quod predicto modo fuerat (10) in via, quando redibat a dicto monasterio, sanata (11). Interrogatus de tempore, dixit quod iam est quasi annus unus elapsus, de mense dixit se non recordari, tamen dixit quod fuit quodam die dominico post prandium.

Interrogatus de presentibus, dixit quod fuerunt presentes ipse testis et supradicti frater Petrus et sacrista et mater sua. Interrogatus de nomine sacriste et si vivat (12), dixit quod vocatur frater Riccardus de Fundis, qui vivit et exercet (fol. 40r.) officium sacriste (13) in dicto monasterio. Interrogatus de loco, dixit quod ante portam primam dicti monasterii fuit superpositum (14) dictum (15) caput gutturi dicte mulieris, sed sanata fuerat in via in dicto suo reditu. Interrogatus ad cuius vocationem ipse ivit ad videndum predicta, dixit quod ad petitionem matris sue et dicte sororis sue. Interrogatus per que verba dicta mulier oravit et se recommendavit (16) dicto fratri Thome, dixit non se (17) audivisse verba, tamen vidit quod

(1) Ms : roravit. — (2) B. omitt. — (3) B : ejus. — (4-5) B. omitt. — (6) Ms : capud. — (7) Ms : sagario. — (8) B : supponi. — (9) B : illi. — (10) B. addit : sanata. — (11) B. omitt. — (12) B : viveret. — (13) Ms : sacristie. — (14) B : suppositum. — (15) B : dictæ mulieris gutturi caput Fr. Thomæ : quæ mulier postea sanata fuerat in via in suo reditu prædicto. — (16) B : commendavit. — (17) B : se non.

dicta soror sua humiliter et cum devotione genuflexit, quando dictum caput fuit positum super gutture suo. Interrogatus quanto tempore fuerit (1) passa et quot diebus vidit eam patientem dictam infirmitatem, dixit quod a tempore sue pueritie habuerat guttur grossum et inflatum, et viderat eam sic.

Interrogatus quanto tempore dicta mulier fuit et permansit sana de dicta infirmitate, dixit quod a die dicti miraculi circa fuit et est sana. Interrogatus de (2) quo loco dicta soror sua et ipse fuerunt (3) oriundi, dixit quod de Piperno. Interrogatus si dicta soror sua sit nupta, dixit quod ante dictum miraculum erat subarrata viro qui eam propter dictam deformitatem recusabat traducere, set post dictum miraculum consumavit matrimonium cum ipsa et ex ea habet prolem. Interrogatus de nomine matris sue et de nomine viri dicte (4) sororis sue, dixit quod mater vocatur Bellicia, et dictus vir vocatus Nicolaus.

LVII. — Item interrogatus si scit alia miracula dicti fratris Thome, dixit se audivisse a patre suo, quod ipse fuerat sanatus miraculose de dolore yliaco meritis dicti fratris Thome cui se devote recommendaverat (5).

Item dixit se publice audivisse dici in monasterio supradicto quod Nicolaus Maximi de Piperno qui, ex quadam percussione quam habuerat in brachio, habuit et habet os brachii ipsius (6) incisum et separatum ita quod omnem virtutem, actum (fol. 40v.) et potentiam ipsius brachii perdiderat et a nemine poterat curari, meritis dicti fratris Thome cui devote se commendavit, fuit miraculose plene restitutus (7) ad omnem virtutem, potentiam et actum dicti brachii sui, etiam osse dicti (8) brachii remanente diviso et hoc miraculum dixit esse publicum in dicto monasterio et castro Piperni.

Item dixit se publice audivisse dici in dicto monasterio quod frater Petrus Francisci de Piperno, conversus dicti monasterii, qui a spiritu maligno fuit vexatus et impeditus,

(1) B : fuerit. — (2) B. omitt. — (3) B : fuerint. — (4) B. omitt. — (5) B : commendavit. — (6) B : sui. — (7) Ms : restuutus. — (8) B. omitt.

portatus ad sepulcrum dicti fratris Thome fuit ibi miraculose, subito liberatus et hoc miraculum dixit similiter esse publicum in dicto monasterio et in castro Piperni predicto.

[Frater GUILLELMUS de TOCCO]

LVIII. — (B. p. 704, col. 1) Die sabbati, IV mensis augusti, eiusdem secunde indictionis, ibidem, frater Guillelmus de Tocco (a), ordinis fratrum Predicatorum, sacerdos et antiquus religiosus, prior loci Predicatorum in Benevento, testis citatus et iuratus simili modo quo supra super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod vidit eum scribentem super librum « De generatione et corruptione » (b) quod credit fuisse ultimum opus suum in philosophia ; et audivit eum predicantem et legentem, et magnus populus confluebat cum devotione ad audiendum (1) predicationem suam. Dixit etiam quod fuit homo dulcis, mitis (2), humilis, despectivus temporalium honorum, purissimus et castus adeo quod communiter dicebatur esse virgo sicut ab utero matris sue : et hoc affirmavit frater Petrus de Sectia, procurator Predicatorum in Anagnia (3), qui predicavit in funere dicti fratris Thome, in ipsa predicatione qua dicebat se audivisse in morte sua generalem confessionem ipsius (c) ; et tota vita eius fuit

(1) B : audiendam. — (2) B. omitt. — (3) B : Anglia.

(a) Sur Guillaume de Tocco : cf. CHEVALIER (U.), *Répertoire des Sources du Moyen-Age* (*Bibliographique*), Paris 1905-1907, col. 1982 ; MANDONNET (P.), *Les écrits authentiques*, pp. 63-72 ; PRÜMMER, *Fontes Vitæ S. Thomæ*, pp. 57-64 ; TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, pp. 148-155.

(b) *Opera omnia*, édit. Vivès, t. XXIII, pp. 267-386. — Sur cet écrit inachevé : cf. MANDONNET (P.)-DESTREZ (J.), *Bibliographie Thomiste*, Kain, 1921, pp. XIX-XX.

(c) Dans sa monographie de saint Thomas, Tocco rapporte les mêmes événements, mais fait prononcer le sermon par Raynald de Piperno (*edit. cit.*, pp. 136-137), je suis fort porté à croire que Tocco a confondu ici entre deux discours et a attribué à Pierre de Sessa ce qui fut la part de Raynald lors de la mort de notre Saint.

aut orare et contemplari, aut legere, predicare et disputare, aut scribere aut dictare, et quod fuit adeo sobrius quod nunquam curabat de (fol. 41r.) delicantia et singularitate ciborum nec de cultu vestimentorum.

Item dixit se audivisse a fratre Raynaldo de Piperno, socio dicti fratris Thome, de scientia ipsius fratris Thome quod scientia (1) ipsius (2) fratris Thome non fuerat a naturali ingenio acquisita set per revelationem et infusionem Spiritus Sancti, quia nunquam ponebat se ad scribendum aliquod opus nisi premissa oratione (3) et effusione lacrimarum, et quando in aliquo dubitabat, recurrebat ad orationem et perfusus lacrimis de ipso dubio revertebatur clarificatus et doctus : et hoc testimonium retulit ipsi testi et multis aliis publice in scholis dictus frater Raynaldus cum lacrimis asserendo quod ipse fuerat prohibitus a dicto fratre Thoma quod in vita sua hoc nemini revelaret.

LIX. — Item dixit quod audivit frequenter ab ore domini Franscisci de Amore, de Alatro, vicario domini episcopi Nolani, quod ipse dominus Fransciscus frequenter audivit ab ore fratris Raynaldi, socii predicti fratris Thome, quod quando scribebat (a) dictus frater Thomas super Ysaiam venit ad quendam passum scripture quem non poterat intelligere plene, et multis diebus afflixit se orationibus et ieiuniis, rogans Deum ut revelaret sibi secretum dicte scripture. Post aliquos vero dies dictus frater Raynaldus audivit noctis tempore dictum fratrem Thomam in camera sua loquentem cum aliis cum quibus vel quo nesciens. Post quam locutionem statim predictus frater Thomas rogavit dictum socium suum ut accenderet sibi candelam. Qua accensa dixit ei : « Scribatis in quaterno super Ysaiam ». Et cum diu scripsisset et expedivisset (4) dictum passum dubium dixit ei : « Fili, vade ad quiescendum. » Qui genuflexus, petivit cum lacrimis et adiuravit eum quod (5)

(1) B : ejus scientia.— (2) B. omitt : ipsius fratris Thome.— (3) Ms : ratione. — (4) Ms : expendivisset. — (5) B : ut.

(a) Sur cet événement rapporté aussi par Tocco dans sa monographie (*edit. cit.*, pp. 105-106), cf. MANDONNET (P.), *Chronologie des Ecrits Scripturaires*, dans *Revue Thomiste*, n. s. XI (1928) p. 133.

revelaret sibi cum quibus vel quo fuerat locutus. Qui, ne videretur contempnere nomen Domini, per quod adiuratus erat, (fol. 41r.) prorupit in lacrimas et dixit quod Deus misertus eius (B. p. 704, col. 2) misit ei beatos apostolos Petrum et Paulum qui ipsum locum dubium illum (1) et secretum plenissime docuerunt, et addidit : « Ex parte Dei, tibi precipio quod hec in vita mea non audeas revelare ».

Interrogatus quomodo ipse sciret supradicta que dixit de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod ipse vidit et cognovit dictum fratrem Thomam, et conversatus fuerat cum eo pluribus vicibus Neapoli, et audivit etiam dici et referri predicta a pluribus religiosis et secularibus antiquis, qui eum cognoverunt et conversati fuerunt cum eo, et specialiter a supradicto fratre Raynaldo et a domino Bartholomeo de Capua.

LX. — Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome si qua sciret facta fuisse sive in vita, sive in morte sive post mortem ipsius, dixit quod communiter narrantur inter fratres Predicatores miracula facta in vita dicti fratris Thome eius meritis. Primum scilicet de dente superfluo quem Parisius surgens de sompno, invenit supercrevisse (2) sibi qui eum impediebat in locutione. Qui cum deberet determinare de mane (3) unam questionem, nesciens quod remedium adhiberet ad consuetum orationis locum accessit et orando dens in eius manu cecidit, quem socio suo ostendit et ad recolendum beneficium Dei secum magno tempore portavit dentem eumdem.

Hoc predictus deponens dixit se frequenter audivisse a domino Thomasio de sancto Severino, comite Marsici, dicti fratris Thome nepote, et a fratre Tholomeo (a), episcopo Tor-

(1) B. omitt. — (2) B : supervenisse. — (3) B. omitt.

(a) Je donnerai sur Ptolemée des Fiadoni, plus connu sous le nom de Ptolemée de Lucques, une petite bibliographie en publiant les fragments qu'il a consacrés à Thomas d'Aquin dans son *Historia ecclesiastica* (cf. fasc. VIe). Le lecteur pourra consulter l'excellent article de Rivière (J.), dans *Dictionnaire de théologie catholique* (Vacant-Mangenot), t. IX, 1e p., Paris, 1926, col. 1062-1067, et la bibliographie donnée par cet auteur.

cellensi, qui est in curia cum domino Sabinensi (a), qui (1) fuit studens (b) fratris Thome et multa de eius sanctitate scripsit (c).

Interrogatus de tempore quo predicta audivit, dixit quod audivit predicta a dicto fratre Tholomeo de mense augusti proxime preteriti anni prime indictionis, quo ipse testis fuit in curia Romana ; sed a domino comite predicto dixit se audivisse, ut credit, de mense novembris anni XV indictionis proxime preterite.

(fol. 42r.) Item dixit predictus deponens quod audivit a dicto fratre Tholomeo quod cum socius dicti fratris Thome, supradictus frater Raynaldus (2), infirmaretur febre continua, dictus frater Thomas reliquias sancte Agnetis quas ad collum pro devotione gestabat, posuit super pectus infirmi, orans pro ipso beatam Agnetem, et immediate curatus est. Interrogatus de tempore, dixit quod audivit eodem tempore et mense quo fuit in curia Romana.

Item dixit quod audivit communiter dici a fratribus antiquioribus dicti ordinis Predicatorum et a domino comite predicto quod quando dictus frater Thomas fuit factus magister in theologia, cum oraret, missus fuit ad eum frater quidam de Caputio senex, qui ei dixit quod secure reciperet magisterium et nichil aliud proponeret pro suo principio nisi hoc : « Rigans montes de superioribus suis (3), de fructu operum

(1) Ms : qui qui.— (2) Ms., B. : Riccardus. — (3) B. omitt. *usque ad :* terra.

(a) La présence de Guillaume de Pierre Godin, cardinal-évêque dominicain de Sabine, à Avignon, lors de l'ouverture du procès de canonisation, est aussi indiquée par Tocco (*edit. cit.* p. 148). Sur ce cardinal dominicain, qui fut l'un des promoteurs de la glorification de Thomas d'Aquin, cf. Laurent (M.-H.), *Le testament et la succession du cardinal dominicain Guillaume de Pierre Godin*, dans *Archivum Ordinis Prædicatorum*, t. II, Paris-Rome, 1932, pp. 84-231 et l'essai bibliographique placé en appendice de ce travail (pp. 221-229).

(b) Ptolemée de Lucques fut l'étudiant de Thomas d'Aquin à Naples durant les années (1272-1274) que notre saint enseigna au *Studium generale* de la Province Romaine, cf. Taurisano (I.), *I Domenicani in Lucca*, Lucques, 1914, pp. 60-61.

(c) Cf. au fascicule VIe des *Fontes* les fragments de l'*Historia ecclesiastica* de Ptolemée concernant saint Thomas.

tuorum satiabitur terra ». Quod dictus dominus comes audivit ab ore dicti fratris Thome, sicut retulerat ipsi testi. Interrogatus de tempore, dixit ut prius.

LXI. — Item dixit idem deponens quod cum rediens de curia proximo preterito anno circa finem decembris, transiret per Anagniam et esset ibidem in conventu Predicatorum audivit a fratre Roberto de Sitia (a), qui magnus frater est in ordine et lector et solempnis predicator, quod ipse cum fratre Stephano, avunculo suo, viro ad modum religioso, quod quando frater Thomas predictus fuit in carcere (b) in castro Montis sancti Iohannis, extractus de ordine per fratres suos cum nullo modo vellet deponere habitum nec mutare propositum sue voluntatis ; volentes ipsum omnino extrahere, miserunt ad ipsum iuvenculam pulcherrimam et ornatam que ipsum induceret ad peccandum : quam cum ipse frater Thomas vidisset et sensisset in se carnis stimulum excitari, assumpto de camino ardente titione, ipsam cum indignatione (B. p. 705, col. 1) expulit, et accedens ad angulum (1) camere signum crucis cum sumitate titionis in pariete impressit, et diu orans cum lacrimis (fol. 42ʳ.) petivit a Deo ut nunquam sentiret carnis stimulum, quod eius integritatem mentis et corporis violaret. Et sic orans obdormivit, et ecce ad ipsum in visione missi fuerunt duo angeli, qui ei revelaverunt a Deo esse exauditum, et de pugna, quam habuit, habuisse triumphum : et hinc inde strinserunt ipsum in renibus et dixerunt « Ecce ex parte Dei cingimus (2) te cingulo castitatis quod nulla possit temptatione dissolvi ». Qui in illa strictura sensibilem sentiens dolorem clamavit et excitatus est, quod excitatus noluit revelare ad quid clamasset. Postmodum vero hec et alia multa revelavit predicto socio suo pro eius consolatione.

(1) Ms : angelum. — (2) B : cingulo castitatis cingimus te.

(a) Sur Robert et Etienne de Sessa, cf. TAURISANO (I.), *Biografi e Discepoli*, p. 180.

(b) Sur les événements qui ont marqué la détention de Thomas d'Aquin à Mont Saint-Jean et au château de Rocca-Secca, cf. MANDONNET (P.), *Thomas d'Aquin, novice Prêcheur, 1244-1246*, t. à p. de la *Revue Thomiste*, 1924-1925, pp. 109-135.

LXII. — Item dixit quod, cum dictus deponens esset in Marsico cum dicto domino comite Marsici et inquireret (a) miracula que Deus meritis dicti fratris Thome de Aquino fecerat tam in vita quam post mortem, de mandato provincialis Regni Sicilie qui hoc mandaverat ad intimandum Summo Pontifice, domina Catharina (1), neptis (b) dicti fratris (2), mater domini Rogerii (c) de Morra (3), domina antiqua et ad modum devota, coram ipso deponente, iudice et notario publico et testibus iuratis ad sancta Dei evangelia, dixit se audivisse a domina Theodora (d), matre fratris Thome predicti, quod cum esset in castro suo Rocce Sicce, venit ad ipsam quidam heremita, frater Bonus nomine, qui in monte dicte Rocce Sicce cum multis aliis vitam heremitam duxerat et santus reputabatur ab omnibus regionis illius, et dixit ei : « Gaude Domina, quia tu es pregnans et paries filium quem vocabis Thomam ; et (4) tu et vir tuus cogitabitis ipsum facere monachum in Monte Casino, set Deus de illo aliter ordinabit (5) quia erit frater ordinis Predicatorum, tante sanctitatis et scientie quod similis suo tempore non posset inveniri ». Dixit etiam quomodo fuit nutritus (e) in monasterio predicto, inde missus Neapolim ubi intravit (f) ordinem fratrum Predicatorum, et quomodo mater voluit ipsum videre et fratres fugaverunt ipsum Romam ad conventum sancte Sabine ;

(1) Ms : Cathaquina. — (2) B. addit : Thomæ. — (3) Ms : Marra. — (4) B : omitt. — (5) B : ordinavit.

(a) Pour les démarches faites par la Province de Sicile en vue de la canonisation de Thomas d'Aquin, cf. MANDONNET (P.), *La canonisation*, pp. 19-23.

(b) Caterine, ou peut-être mieux Gaitegrime, de Morra était nièce de Thomas d'Aquin par sa mère Marie d'Aquin, sœur de notre saint et épouse de Guillaume de Sanseverino.

(c) Il ne faut pas confondre ce Roger de Morra avec un autre Roger membre de la même famille et oncle de celui-ci ; sur les Morra, cf. SCANDONE (F.), *La vita e la famiglia*, pp. 64-67 ; et MANDONNET (P.), *Thomas d'Aquin, novice Prêcheur*, pp. 174-175.

(d) Sur Théodora, mère de Thomas d'Aquin, cf. SCANDONE (F.), *La vita e la famiglia*, pp. 51-55.

(e) Pour l'oblature de saint Thomas au Mont-Cassin, cf. MANDONNET (P.), *La date de naissance de saint Thomas d'Aquin*, dans *Revue Thomiste*, t. XXII (1914), pp. 658-663.

(f) MANDONNET (P.), *Thomas d'Aquin, novice Prêcheur*, pp. 14-46.

(fol. 43r.) et quomodo inde (1) dictus frater (2) fuit captus a fratribus suis qui erant cum imperatore Frederico, et missus cum habitu dicti ordinis ad matrem suam, et quomodo servatus fuit in carcere usque ad reditum fratrum (3) et quod in ipso carcere habuit impugnationem (4) ut dimitteret habitum quem nunquam dimittere voluit, et quomodo in carcere sorores suas docuit litteras, et ipse etiam multa didicit, et quod tandem victi parentes et fratres sui eius constantia restituerunt ipsum ordini, et tunc missus fuit in Coloniam (a) ad studium. Interrogatus coram quibus facta fuit dicta depositio, dixit quod fuit coram dicto domino comite et domina Suana (5), consorte eius, comitissa et multis de sua familia quorum non (6) recordatur. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit in proxime preterito anno prime indictionis de mense februarii, ut credit, de die dixit se non recordari.

LXIII. — Item dixit deponens quod cum ipse (7) esset in monasterio Fosse-Nove et expectaret ibi predictum dominum episcopum Viterbiensem, inquisitorem dictorum miraculorum dicti fratris Thome per Summum Pontificem constitutum, pridie eius scito adventus (8), dominus Petrus de Fundis, monachus dicti monasterii, qui erat unus de testibus miraculorum dicti fratris Thome, dixit dicto deponenti : « Attende, frater Guillelme, quia ego non potero venire Neapolim, quia patior podagram in pedibus ; rogo tamen dictum santum quod suis meritis Deus me liberet ». Qui promisit santum

(1) B. omitt. — (2) Ms. omitt , B. addit : inde. — (3) B. addit : suorum. — (4) Ms : impugnationis. — (5) B : Suena. — (6) Ms : vero. — (7) B. omitt. — (8) B : pridie ejus diei.

(a) La déposition de Tocco pourrait, à première vue, paraître en contradiction avec ce que cet auteur a écrit dans sa monographie (*edit. cit.*, p. 77) : *duxit ipsum Parisius deinde Coloniam ;* mais ainsi que l'a relevé le P. Mandonnet (*Th. d'A., novice Prêcheur*, p. 143), « la manière de parler de Tocco semble indiquer que dans sa pensée Thomas n'a guère fait que passer par Paris en se rendant à Cologne. » Sur ce point controversé de la vie de notre saint, cf. MANDONNET (P.), *op. cit.*, pp. 137-178, et en faveur d'une venue directe de Thomas à Cologne, cf. DE SCHEEBEN (H.), *Albert der Grosse und Thomas von Aquin in Köln*, dans *Divus Thomas* (Fr.), t. IX (1931), pp. 28-34.

rogare, qui cum adhuc gravaretur, predictus (1) deponens cum lacrimis rogavit. Et rediens ad locum ubi patiens sedebat in claustro secundo invenit (B. p. 705, col. 2) ipsum liberum et sanum incedentem ; et secundo die equitavit cum aliis et venit Neapolim. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit de mense iulii, XVII die (2) eiusdem. Interrogatus coram quibus, dixit quod solum ipsum patientem invenit et querentem, set sua infirmitas fuit nota omnibus de monasterio et similiter curatio : nescit tamen si adverterunt.

Item dixit quod cum esset in monasterio Fosse-Nove, quedam mulier venit ad ipsum, nomine Stephania de Rocca, habitatrix castri Sompnini, ydropica et toto corpore tumida, venit ad portam dicti monasterii, rogans quod portarentur ei reliquie fratris Thome de Aquino, quia ad ipsum conceperat devotionem et credebat eius meritis curari. Ad quam (3), cum dictus deponens cum multis monachis detulisset (fol. 43v.) aliquid de reliquiis predictis, quia mulier dictum monasterium non audebat (4) intrare, facta ibi oratione ab ipsa infirma et monachis et applicatis ad pectus infirme reliquiis, recessit et in via recedendo curata est, et misit filium suum hoc intimare dicto deponenti et monachis ; quod etiam dictus deponens a multis aliis audivit quod (5) perfecte curata fuit a die quo ipsas reliquias vidit et venarata est. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit de mense iunii, die XII eiusdem mensis, presentis anni IIe indictionis.

LXIV. — Item dixit quod eodem anno et mense, die XIII mensis (6) eiusdem, cum dictus deponens esset in ostio dicti monasterii, venit quedam paupercula de Carpeneto (7), nomine Maria de Nicolao, et asseruit coram multis quod cum diu (8) fuisset paralitica, venit tremens, ut potuit, colligendo (9) spicas, ut paupercula, ad scartias dicti monasterii. Quam cum conversi illius (10) monasterii vidissent trementem, consuluerunt ei ut voveret se dicto fratri Thome, qui pro certo eam (11)

(1) B. addit : eumdem. — (2) B : euisdem die. — (3) Ms : quem. — (4) Ms : audiebat. — (5) B : quia. — (6) B : eiusdem mensis. — (7) B : Campeneto. — (8) Ms : dotem. — (9) Ms : colligendum. — (10) B : dicti. — (11) Ms. omitt.

liberaret. Que cum votum fecisset deferre candelam accensam et mittere ad sepulcrum dicti fratris Thome, immediate curata est. Interrogatus coram quibus, dixit se ignorare nomina conversorum illorum.

Item dixit quod Nicolaus de Leone de Sompnino cum esset in agro solus, subito, gravus dolor ipsum apprehendit in anca tam forte (1) quod non credebat posse redire (2) ad domum suam. Tunc recolens se vidisse quod multa miracula faciebat Deus ad sepulcrum dicti fratris Thome eius meritis, cum magna devotione vovit ipsum sepulcrum visitare (3), discalciatis pedibus cum lapide suspenso ad collum, et confestim liberatus est plene, et sequenti die venit ad dictum deponentem et narravit ei miraculum. Interrogatus coram quibus factum (4) fuit dictum miraculum, dixit quod nullum testem miraculi habuit cum fuisset solus, set de solutione voti (5) dixit quod interfuit dompnus Riccardus de Fundis, monachus et sacrista dicti monasterii cui narravit miraculum ipsum cum lapide suspenso ad collum. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit de mense iulii, die XVI eiusdem, presentis anni secunde indictionis.

Item dixit quod Iacobus, filius Petri de Thibaldo de Piperno, venit ad dictum (fol. 44r.) deponentem et narravit ei quod cum ipse pateretur dolorem vehementissimum brachii destri in die quo actualiter patiebatur febrem et dolorem, vovit se dicto fratri Thome de Aquino quod si eius meritis a Deo curaretur, iret ad sepulcrum eius discalciatus et portaret candelam et faceret ibi cantari unam missam. Quo voto facto, statim dimisit eum febris et dolor, et nunquam postmodum sentit. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit de presenti anno secunde indictionis, de mense februarii, die dominica LXXa (6). Interrogatus de tempore, dixit quod fuit de presentibus, dixit quod interfuerunt domina Thomasia, mater sua, cum tota (7) familia eius, et Naldus frater eiusdem Iacobi.

(1) B : fortiter. — (2) B : reverti in. — (3) Ms : visitasse. — (4) B : dictum miraculum factum fuit. — (5) Ms : nati. — (6) B : xx. — (7) Ms : Vona.

LXV. — Item dixit quod Nicolaus Maximi de Piperno (B. p. 706, col. 1) cum fuisset percussus in brachio destro et os fuisset fractum, remediis medicine curatus fuit a (1) vulnere, osse fracto remanente, qui cum brachium movere non posset, ad inductionem aliorum vovit se (2) dicto fratri Thome parcere inimicis et brachium cere ad eius sepulcrum portaret. Qui, facto voto, dormivit et excitatus innovit (3) se plene curatum, et cepit plicare dictum brachium sicut sanum et de ipso operari. Quod miraculum volens videre dictus deponens fecit dictum Nicolaum rogari ut ad ipsum veniret. Qui venit usque ad sepulcrum et ibi expolians brachium ut ostenderet miraculum, dictus deponens manu ipsius (4) brachium tetigit et ut visum est ei os fractum invenit, ut ex tactu perpendere potuit. Interrogatus de tempore, dixit quod hoc anno presentis secunde indictionis de mense martii, de die vero non recordatur. Interrogatus qui interfuerunt, dixit quod sola uxor dicti Nicolai interfuit quando dictus Nicolaus fecit votum.

Item dixit quod Petrus Balie de Piperno, cum multis annis incepisset perdere lumen fere per annos decem, ultimo totaliter perdidit ; et tunc faciens se duci ad sepulcrum dicti fratris Thome et ibi votum faciens et orans surrexit plene illuminatus. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit illo anno quo (5) mortuus fuit frater Thomas predictus, nescivit tamen dicere de mense nec de die. Interrogatus coram quibus, dixit quod non recordabatur, qui monachi fuerunt (6) tunc presentes vel seculares (fol. 44ᵛ.) ; hoc miraculum narravit dictus Petrus predicto deponenti cum occurrisset ei in porta Piperni.

Item dixit predictus deponens quod veniens ad dictum (7) monasterium Fosse-Nove intrans sacristiam, fecit sibi ostendi per dompnum Riccardum de Fundis, sacristam, scrineum in quo aliquid de ossibus corporis dicti fratris Thome erat repositum. Ad que ossa cum debitam fecisset reverentiam, aperiens scrineum, sentit magnum odorem dissimilem odori-

(1) Ms. omitt.— (2) B. omitt.— (3) B : cognovit.— (4) B : sua.— (5) B : cum. — (6) B : tunc fuerint. — (7) B. omitt.

bus aliarum rerum naturalium. De quo odore cum interrogasset dictum sacristam, iuravit super altare quod nichil odoriferum unquam apposuit ; sed dixit quod sic redolent omnia ossa dicti fratris Thome, et dixit idem deponens quod secundum dispositionem devotionis sue et aliorum aliquando redebant (1) dicta ossa odorem plus vel minus. Interrogatus de tempore quo ipse vidit ipsas reliquias, dixit quod hoc anno presentis (2) secunde indictionis, in octava Pasce et deinde usque ad diem XV mensis iulii, quo inde recessit, pluries vidit reliquias predictas.

[Frater ANTONIUS de BRIXIA]

LXVI. — Eodem die, ibidem, frater Antonius de Brixia (a), ordine Predicatorum, sacerdos studens in conventu Neapolitano, testis citatus et iuratus in forma supradicta super eadem inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod audivit dici et recitari, in insula Cipri (b), a quodam fratre Nicolao de Marsiliaco, dicti ordinis Predicatorum, antiquo capellano et consiliario regis Cipri, qui fuerat discipulus dicti fratris Thome et conversatus fuerat per longum tempus cum eo Parisius, quod dictus (3) frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis honeste, et inter alia fuit precipuus paupertatis amator, adeo quod dum scriberet Summam contra Gentiles non habebat cartas de papirro, in quibus illam scriberet, ita quod illam scripsit in cedulis minutis et fuit homo magne honestatis et semper fugiebat consortia mulierum.

(1) B : redolebant. — (2) B : præsenti. — (3) B : hic.

(a) Sur Antoine de Brescia, cf. TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, p. 179.

(b) Pour la présence des Prêcheurs à Chypre au XIII[e] siècle, cf. ALTANER (B.), *Die Dominikanermissionen des* XIII. *Jahrhunderts*, Habelschwerdt, 1924, pp. 21-22, et les indications bibliographiques fournies par cet auteur.

(fol. 45r.) Item dixit quod audivit dici quod dictus frater Thomas fuit contemptor bonorum temporalium et inter alia audivit dici quod dictus frater Thomas ingressus civitatem Parisius dixit : « Potius habere vellem Chrysostomum (1) super Matheum quam istam civitatem ».

Item interrogatus si scit alia miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod audivit frequenter a fratre Alberto de Brixia (a), viro maximo (2) sanctitatis et (B. p. 706, col. 2) lectore Brixiensi, quod dictus frater Thomas tante fuit sanctitatis quod multis miraculis claruit, et dictus frater Albertus (3), existens specialis imitator doctrine dicti fratris Thome, frequenter legendo asserebat dictum fratrem Thomam sanctum esse quasi sibi de (4) eius sanctitatis (5) gloria (6) constaret, dicens : « Ego scio, fratres carissimi, quod ipse est magnus sanctus in celo ». De cuius assertione frequenter audita, dictus deponens cum alio suo (7) socio dictum fratrem Albertum diu rogaverunt et tandem adiurationibus constrinxerunt (8) ut eis diceret quomodo tam certitudinaliter dictum fratrem Thomam assereret esse santum in vita eterna. Qui ne videretur nomen Dei (9) contempnere per quod fuerat adiuratus dixit : « Carissimi (10) filii, vos scitis quomodo secutus (11) sum in omnibus doctrinam fratris Thome de Aquino et frequenter admiratus sum quomodo potuit in tam parvo tempore quo vixit ad tantam sanctitatem et scientiam pervenire (12). Unde cum super hoc mirabili Deum, beatam Virginem et beatum Augustinum frequentius exorassem ut ostenderetur mihi (13) eius gloria quam habebat, quadam vice me ad (14) orationem proieci ante altare beate Virginis et cum instensius cum lacrimis diu orassem (15), vigilanti

(1) Ms : Casostomum. — (2) B : maximæ. — (3) Ms : Robertus. — (4) Ms : ad. — (5) Ms : sancitatis. — (6) B : constaret gloria. — (7) B : socio suo. — (8) B : compresserunt. — (9) B : Domini.— (10) B : Filii carissimi.— (11) Ms : secatus.— (12) Ms : pervenit.— (13) B. omitt.— (14) B : in.— (15) B : exorassem.

(a) Sur Albert de Brescia, cf. GRABMANN (M.), *La scuola tomistica italiana nel secolo* XIII *e principio del* XIV *secolo*, dans *Rivista Neo-scolastica*, 1923, p. 153 ; Id. Auct. *Miscellanea Dominicana*, Rome, 1923, p. 154.

mihi in oratione aparuerunt due reverende persone cum splendore mirabili et ornatu ; quarum una mitram portabat in capite, alia erat in habitu ordinis fratrum Predicatorum qui coronam portabat in capite auream (1), intextam (2) lapidibus pretiosis, et habebat circa collum duas (3) annulas argenteam et auream et in pectore habebat magnum lapidem pretiosum qui Ecclesiam illuminabat, cappam vero gestabat insertam per totum lapidibus pretiosis, tunicam vero et capucium candors nivei ». Qui frater Albertus (fol. 45^{v}.) stupefactus de visione mirabili proiecit se ad pedes eorum, orans ut ei indicarent qui essent qui ei tam mirabiles apparerent, et tunc ille qui mitram gestabat respondit : « Quid, frater Alberte, sic admiraris, exaudite sunt preces tue, et ecce nunc manifesto tibi quod ego sum Augustinus, doctor Ecclesie, qui missus sum ad te, ut indicarem (4) tibi doctrinam et gloriam fratris Thome de Aquino qui mecum est ; ipse enim est filius meus qui doctrinam apostolicam et meam in omnibus est secutus, et Ecclesiam Dei sua doctrina illuminavit, quod designant lapides pretiosi et precipue lapis quem gestat in pectore, qui designat (5) intentionem rectam quam ad defentionem fidei habuit et declarationem (6) ostendit. Qui lapides pretiosi libros multos et opera scripture sue que composuit significant, qui mihi in gloria est equalis excepto quod ipse in virginitatis aureola me excedit ».

Post que dictus frater Albertus prohibuit dicto deponenti et socio ne in vita sua predicta alicui revelarent nisi fieret inquisitio de eius miraculis et canonizatione. Interrogatus qui fuerunt (7), presentes quando predicta revelavit, dixit quod non alius nisi ipse deponens et frater Ianinus eius socius de Brixia qui mortuus est. Interrogatus de tempore, dixit quod sunt iam novem anni quod (8) predicta audivit, de mense ianuarii, de die dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod hec eis revelavit dictus frater Albertus in cella sua.

(1) Ms : anteam. — (2) Ms : in testam. — (3) B : duos annulos argenteum et aureum. — (4) B : tibi indicarem. — (5) Ms : desistat. — (6) Ms : declarationem. — (7) B : fuerint. — (8) B : quibus.

LXVII. — Item dixit quod audivit a dicto frater Alberto quod quando mortuus fuit dictus frater Thomas, dominus Albertus Teotonicus (a), cum esset in mensa, in quatragesima, subito prorupit in lacrimas. Qui, querenti priori quare lacrimasset (1), dixit dicto (2) fratre Alberto et priori conventus : « Ego dico vobis graves rumores, quia frater Thomas de Aquino, filius meus in Christo, qui fuit lumen Ecclesie mortuus est, et mihi revelatum est a Deo ». Et tunc prior notavit et compertum est (3) tunc fuisse mortuum quando hoc fuit revelatum. De tempore, socio et loco, dixit (B. p. 707, col. 1) ut prius.

Item dixit quod audivit a domino Gratia de Brixia, ordinis sancti Benedicti (fol. 46r.), qui erat homo magne sanctitatis et scientie, imitator doctrine fratris Thome, qui dixit predicto deponenti cum mentio esset de fratre Thoma predicto : « Fili, ego vidi et mihi (4) Deus revelavit quod beatus Augustinus et frater Thomas sub eodem iugo erant ambulantes in gloria paradisi, et scio quod sanctus frater Thomas fuit maxime puritatis ». Interrogatus de tempore, dixit quod fuerunt (5) decem anni, de mense novembris, in festo beate Cecilie. Interrogatus qui fuerunt cum eo quando hoc audivit, dixit quod de socio non recordatur. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in camera dicti fratris Gratie, iuxta ecclesiam sancti Clementis de Brixia.

Item dixit quod audivit a fratre Nicolao de Marsiliaco (6), consiliario et capellano regis Cipri, ordinis fratrum Predicatorum, qui fuit Parisius discipulus dicti fratris Thome, magne sanctitatis et scientie, qui dixit (7) dicto deponenti cum lacrimis : « Frater Antoni (8), ego fui cum fratre Thoma Parisius et coram Deo, dico quod numquam vidi hominem tante puritatis et paupertatis amatorem, quia cum scriberet et componeret librum contra Gentiles, non habebat cartas set in

(1) B : lacrymatus fuisset. — (2) B : supradicto. — (3) Ms. omitt. — (4) B : Deus mihi. — (5) B : sunt. — (6) Ms : Marsiliaaco. — (7) B : dicto deponenti dixit. — (8) Ms : Antonii.

(a) Saint Albert le Grand ; sur cet événement de la vie du saint, cf. infra n° 82.

cedulis scribebat ipsum, cum tamen certum erat quod potuisset habere set de temporalibus non curabat ». Interrogatus de tempore, dixit quod sunt anni XIII, de mense septembris, de die dixit se non recordari. Interrogatus de hiis (1) qui interfuerunt, dixit quod fuit frater Petrus Mantuanus, et quam plures alii de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in conventu Nicosiensi insule Cipri, in scolis conventus.

[MAFFÆUS ACONZAIOCUS]

LXVIII. — Eodem die, ibidem, Maffeus (2) Aconzaiocus de Barello, testis citatus et iuratus in forma prescripta super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se ex certa scientia nichil inde (3) scire, set ex auditu dixit quod publice audivit dici pluries (fol. 46v.) a religiosis et laycis antiquis quod dictus frater Thomas fuit homo sancte vite et conversationis, et quod Deus fecerat et faciebat multa miracula meritis ipsius (4) fratris Thome.

Item interrogatus si sciret aliqua miracula ipsius fratris Thome, dixit quod ipse una vice accessit cum abbate Thomasio (5) de Marchia, canonico Salernitano, ad castrum sancti Severini ad ecclesiam sancti Severini, que est in ipso castro, secundum quod ipse alias consueverat accedere ad videndum certas reliquias sanctorum, que sunt in ipsa (6) ecclesia, inter quas est una manus dicti fratris Thome ; et presente dicto abbate Thomasio (7) adoravit dictas reliquias et dictam manum dicti (8) fratris Thome sicut homo qui habebat et habet magnam devotionem in (9) dicto fratre Thoma, sicut (10) in sancto. Et predictus abbas Thomasius (11) fuit truffatus de ipso pro eo quod adorabat dictam manum dicti (12) fratris Thome. Qui abbas Thomasius (13) incontinenti post ipsam

(1) B : iis. — (2) B : Maphæus. — (3) B : scire inde.— (4) B : fratris ipsius. — (5-6) B : Thomassio. — (7) B : dicta. — (8) B : prædicti. — (9) B. omitt. — (10) B : sicuti sancto. — (11) Ms : Thomas. — (12) B. omitt : dicti fratris Thome. — (13) B : Thomassius.

derisionem incepit totus tremere (B. p. 707, col. 2) et dicere : « Ego non video ». Et statim vocavit sacerdotem cui confessus fuit cum magna contritione et cum magno planctu. Post quam confessionem et absolutionem receptam adoravit dictam manum, et (1) incontinenti et subito cessavit tremor (2) ipsius et recuperavit visum, sicut ipse abbas Thomasius (3) tunc publice asseruit.

Interrogatus quomodo ipse sciret predicta, dixit quod ipse vidit dictum abbatem Thomasium (4) post dictam derisionem totum trementem ; et post confessionem, absolutionem et adorationem (5) predictas factas per eumdem abbatem Thomasium (6), ipso teste presente, vidit ipsum liberatum a dicto tremore ; sed carentiam visus et restitutionem ipsius visus dixit se nescire, nisi per confessionem dicti abbatis Thomasii (7) qui predicta sibi et dicto cappellano predicte ecclesie asseruit. Interrogatus de presentibus, dixit quod non fuerunt presentes cum dicto abbate Thomasio (8) nisi ipse testis et cappellanus dicte ecclesie qui nunc defunctus est. Interrogatus cui sacerdoti fuit confessus dictus abbas Thomasius (9), dixit quod a (10) cappellano predicto. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit se non recordari. Interrogatus [si] ex tunc semper fuit sanus de dicta infirmitate, dixit quod sic.

[IACOBUS CAPUANUS]

LXIX. — (fol. 47r.) Die lune, VI dicti mensis augusti secunde indictionis, ibidem, dominus Iacobus Capuanus de Neapoli, miles, testis citatus et iuratus in infrascripta forma dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se nichil inde scire ex certa scientia, set audivit dici per vocem publicam quod fuit homo magne scientie et sancte vite et conversationis honeste.

(1) B : et statim cessavit. — (2) Ms : tremer ; B : tremere caput suum. — (3-4) B : Thomassius.— (5) B : prædictæ manus, a prædicto clam factam per. — (6-9) B : *ut* 3-4. — (10) B : quod prædicto capellano.

Item interrogatus si sciret aliqua miracula de dicto fratre Thoma, dixit quod ipse in se recepit beneficium miraculosum ex meritis ipsius fratris Thome : videlicet cum ipse haberet in oculis humorem sanguineum ex quo patiebatur gravem dolorem in ipsis oculis et accederet peregre ad Urbem, audita in via fama sanctitatis dicti fratris Thome, devotione assumpta, declinavit ad monasterium Fosse-Nove supradictum, in quo corpus dicti fratris Thome quiescit ; et cum magna devotione ante sepulcrum ipsius fratris Thome genuflexit et inclinavit caput suum, apponens super ipso sepulcro et cum (1) oculis suis tangens sepulcrum ipsum ; et (2) oravit ad Deum ut meritis ipsius (3) fratris Thome liberaret eum a dicta egritudine oculorum, et dixit ibi : « Pater noster » ; et statim exurgens antequam (4) ad alios actus diverteret et ecclesiam exiret, fuit liberatus a morbo oculorum predicto. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit olim in anno prime indictionis proxime, tempore quatragesimali, in quinta feria post dominicam de Passione. Interrogatus qui fuerunt presentes, dixit quod dominus D. Petrus Grassus, dominus Nicolaus Filimarinus (5), dominus Henricus Carracculus (6), abbas Raynaldus Magnotia et duo alii clerici de Neapoli de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus quibus verbis usus fuit in dicta oratione sua, dixit ut supra. Interrogatus quanto tempore fuerat passus dictam infirmitatem oculorum, dixit quod per (7) plures dies antequam tunc recederet de Neapoli. Interrogatus quanto tempore post dictam liberationem fuit sanus a dicto morbo, dixit quod semper.

[IOHANNES BLASII]

LXX. — Eodem die, ibidem, dominus Iohannes Blasii, iudex de Neapoli, familiaris excellentissime domine D. (fol. 47ʳ.) Marie, regine Sicilie, testis citatus et iuratus super dicta inquisi-

(1-3) B. omitt. — (4) Ms : ante antequam. — (5) B : Filmarinus. — (6) Ms : Graculus ; B : Carrattulus. — (7) Ms. omitt.

tione in infrascripta (1) forma dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod ipse fuit homo sancte vite et conversationis et magne honestatis et sobrietatis et semper commedebat in refectorio fratrum et semel in die tantum. Interrogatus (B. p. 708, col 1.) in causa scientie, dixit quod ipse vidit eum predicantem per annos decem et ultra et conversatus fuit cum eo per annos V et ultra in refectorio et in cella sua ; quo tempore semper videbat ipsum celebrantem omni die et vidit ipsum per totam unam quatragesimam predicantem oculis clausis, contemplativis et directis ad celum ; et predicatio sua fuit in ipsa quatragesima super « Ave Maria gratia plena, Dominus tecum » (a).

Et dum esset cum eo quadam (2) die in cella et egrederetur dictus frater Thomas de ipsa cella sua ad quoddam solarium discopertum apparuit sibi (3) visibiliter demon in figura cuiusdam hominis nigri et inducti pannis nigris : et dum idem frater Thomas adverteret et videret illum esse demonem cucurrit contra eum cum pugno elevato, et cum percuteret cum ipso pugno dicendo : « Quare venisti huc ad tentandum me ». Et dum (4) appropinquaret ad eum, dictus demon evanuit nec ibi ultra apparuit. Interrogatus quomodo scit illum fuisse demonem, dixit quod alias viderat ipsum demonem in quodam (5) cristallo, dum fieret quedam coniuratio demonum pro inveniendo quodam libro furto substracto cuidam scolari, quem tunc recognovit in illa apparitione quam fecit dicto fratri Thome. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit se non recordari. Interrogatus de hora, dixit quod fuit circa horam tertiam. Interrogatus qui fuerunt presentes, dixit quod

(1) B : prædicta. — (2) Ms : quandam.— (3) B : illi.— (4) B : cum.— (5) B : quadam.

(a) Sur la valeur de ce témoignage cf. DESTREZ (J.), *Le Commentaire de S. Thomas sur l' « Ave Maria » et la doctrine de l'Immaculée Conception*, I, dans *Bulletin Thomiste*, 1932, pp. [563 et sq.], et, dans un sens contraire, MANDONNET (P.), *Les « Collationes » sur l' « Ave Maria » et la critique récente*, dans *Bulletin Thomiste*, 1933. pp. 155* et sq. ; ROSSI (G. F.), *La « Expositio Salutationis Angelicæ » di S. Tommaso d'Aquino*, dans *Divus Thomas* (Pl.) t. XXXVI, 1933, pp. 280 et sq.

non alius (1) erat presens, nisi ipse testis et dictus frater Thomas et ipse demon. Interrogatus de loco, dixit in civitate Neapoli in loco fratrum Predicatorum, in quodam solario seu terratia discoperta iuxta cellam in qua dictus frater Thomas habitabat.

[Frater NICOLAUS de ROCCA SICCA]

LXXI. — Die martis, VII dicti mensis et eiusdem indictionis, ibidem, frater Nicolaus de Rocca Sicca, monachus et sacerdos monasterii Fosse-Nove, testis citatus et iuratus super dicta inquisitione in forma predicta dicere veritatem, (fol. 48ʳ.) et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se ex certa scientia nichil inde scire quia iuvenis est et dictum fratrem Thomam non vidit ; set asseruit se pluries audivisse dici et recitari ab antiquis monachis dicti monasterii, qui dictum fratrem Thomam (2) viderunt et cognoverunt, quod fuit sancte conversationis et vite et homo adeo magne castitatis quod videbatur fuisse virgo, quamdiu vixit, sicut ab utero matris sue, et quod continue vacabat in legendo (3), scribendo, studendo et orando, et quod talem vitam continuavit usque ad mortem, et dixit quod de predicta santa vita et conversatione (4) fuerat et erat publica vox et fama in dicto monasterio et in castro Piperni et in aliis locis circumadiacentibus.

Item interrogatus si sciret aliqua miracula dicti fratris Thome, dixit se scire quod frater Iohannes Adelasia, monachus dicti monasterii, quadam nocte, de sero existens sanus, subito fuit magnis doloribus corporis cruciatus adeo quod credebatur mori et nullum inveniebat locum quietis. Propter quam infirmitatem, ipse frater Iohannes, habens recursum cum magna devotione ad dictum fratrem Thomam, vovit se dicto fratri Thome et Deum exoravit ut meritis ipsius fratris Thome a dictis doloribus et infirmitate liberaret eum ; propter quod

(1) B : nullus. — (2) B. omitt. — (3) B : lectioni, scriptioni, studio et orationi. — (4) Ms. addit : dixit quod.

ipsa nocte statim miraculose apostema quod creatum erat in corpore suo fractum fuit et ipsum misit per secessum et plene liberatus fuit (1) eadem nocte.

Interrogatus in causa scientie, dixit quod de sero ipsius noctis in qua passus fuit, vidit ipsum sanum stantem cum ipso teste et cum quibusdam aliis monachis ad ignem ; et postquam venerunt (2) omnes ad dormiendum, supervenit dicta infirmitas dicto fratri Iohanni qui, cum non posset quiescere, surrexit clamando et dolendo de dictis doloribus, et ipse testis et plures (B., p. 708, col. 2) alii monachi surrexerunt ad clamorem ipsius et vidit ipsum dictis doloribus torqueri et graviter affligi, ita quod videbatur mori ut (3) dixit supra. De mane vero ipse testis accessit ad infirmitorium in quo iacebat dictus frater Iohannes, et credens ipsum inveniri in periculo mortis, invenit eum sanatum ; et dum quereret ab ipso (fol. 48ʳ.) qualiter sanatus fuisset, recitavit sibi (4) quod sanatus fuerat propter (5) merita dicti fratris Thome per modum supradictum. Interrogatus de tempore, mense et die quibus evenerunt supradicta, dixit quod fuit hoc anno presenti, de mense ianuarii proxime preteriti, ut sibi videtur, quodam die sabbati de sero. Interrogatus qui fuerunt presentes, dixit quod ipse testis et frater Riccardus de Fundis, monachus et sacrista dicti monasterii, fuerunt presentes et viderunt dictum fratrem Iohannem dictis doloribus, ut dixit, graviter torqueri et affligi ; modum vero predicte liberationis recitavit sibi, ut dixit : si vero recitavit aliis et alii interfuerunt, non recordatur. Interrogatus ad cuius vocationem ipse ivit ad videndum predicta, dixit quod dictus frater Iohannes, cum affligeretur doloribus, clamavit dictum sacristam, et dictus sacrista vocavit dictum testem.

Interrogatus quanto tempore vidit ipsum postea sanum, dixit quod dictus frater Iohannes fuit ex tunc semper sanus ab ipsa infirmitate, ut ipse vidit. Interrogatus unde esset oriundus dictus frater Iohannes, dixit quod de Piperno.

Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome,

(1) B : eadem nocte fuit. — (2) B : iverunt. — (3) Ms : et. — (4) B : illi. — (5) B : per.

dixit quod audivit ab ore Gregorii (1) Ciceris de Piperno quod, dum esset in Piperno et pateretur in genu suo dolorem adeo gravem quod non poterat firmare pedem in terra, vovit se cum devotione dicto fratri Thome et statim sanatus fuit et adhuc est sanus.

Item dixit se audivisse a Nicolao Moleo de castro Postertii quod, cum ipse ammisisset lumen unius oculi propter quamdam percussionem et transitum faceret per loca propinqua monasterio supradicto, vidit dictum monasterium ; et reducto ad memoriam suam quod in ipso monasterio iacebat corpus dicti fratris Thome, propter cuius merita Deus fecerat et faciebat (2) plura miracula, vovit se cum devotione dicto fratri Thome ut restitueret sibi visum dicti oculi. Quo voto facto, statim recuperavit visum in oculo predicto.

Interrogatus si de predictis, que deposuit, erat publica vox et fama in dicto monasterio et in locis circumadiacentibus, dixit quod sic.

[Frater RICCARDUS de FUNDIS]

LXXII. — Eodem die, ibidem, (fol. 49r.) frater Riccardus de Fundis, monachus et sacrista predicti monasterii, testis citatus et iuratus super dicta inquisitione in forma prescripta dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se audivisse pluries dici et recitari quod dictus frater Thomas fuit, toto tempore vite sue usque ad mortem, sancte conversationis et vite.

Item interrogatus si sciret aliqua miracula eiusdem fratris Thome, dixit se hoc scire quod frater Iohannes Adelasie de Piperno, quadam nocte, postquam sanus et ilaris ivit ad lectum ad dormiendum, surrexit cum magnis dolorosis clamoribus (3) et vocavit ipsum sacristam ut surgeret et aperiret sibi et iuvaret eum ; et ipse sacrista surrexit et aperuit sibi (4) ; et quesito ab eo quid haberet, dixit sibi (5) quod ipse (6) habebat

(1) B. omitt. — (2) Ms : facebat. — (3) B : magnis doloribus dolorosis. — (4-5) B : illi. — (6) B. omitt.

ita vehementem dolorem in corpore quod moriebatur, et proiecit se super lectum (1) ipsius, de dictis doloribus multum afflictus. Cum ipse sacrista persuasit eidem patienti quod (2) voveret (3) se ipsi (4) fratri Thome (5) cum devotione ut (6) liberaret eum, qui cum magna devotione vovens se ipsi fratri Thome rogavit Deum ut meritis ipsius fratris (7) Thome (8) liberaret eum a dictis doloribus. Postea dictus infirmus fuit portatus ad lectum in infirmitorio dicti monasterii, et ipse sacrista remansit in lecto suo ad dormiendum. De mane vero surgens dictus sacrista accessit ad dictum fratrem Iohannem patientem ad videndum quid esset de eo (B., p. 709, col. 1), et invenit eum plene sanatum, et quesito qualiter sanus (9) factus fuit, dixit sibi quod (10) postquam vovit se dicto fratri Thome, apostema quod habuerat in corpore fuit fractum et emisit ipsum apostema per secessum, unde erat sanus factus.

Interrogatus in causa scientie, dixit quod fuit presens et vidit predicta, ut supradixit. Interrogatus de tempore, mense et die, dixit quod fuit anno presenti, tempore yemali et quod die sabbati de nocte, de mense vero et die dixit se non recordari. Interrogatus de presentibus, dixit quod ipse testis et frater Nicolaus de Rocca Sicca fuerunt (11) presentes. Interrogatus ad cuius vocationem ipse vidit predicta, dixit quod ad vocationem dicti patientis, ut supra dixit. Interrogatus quibus verbis (fol. 49v.) interpositis oravit dictum fratrem Thomam, dixit quod iunctis manibus et elevatis ad celum dixit : « O beate Thoma, rogo te ut liberes (12) me de istis gravibus doloribus quibus affligor ». Interrogatus quanto tempore fuit passus dictos dolores, dixit quod tantum a prima hora noctis, in qua sanus ivit ad dormiendum, et postea surrexit infirmus, ut supradixit ; et stetit tantum infirmus donec eadem nocte sanus factus fuit. Interrogatus quomodo sciret quod predicta infirmitas fuisset apostema et quod fuerit apostema mortale,

(1) Ms : lecto. — (2) B : ut. — (3) Ms : moveret. — (4) B. omitt. — (5) B : Thomæ, et rogaret Deum ut meritis. — (6) Ms : et. — (7-8) B. omitt. — (9) B : fuit factus sanus. — (10) Ms. omitt. — (11) B : presentes fuerunt. — (12) B : me liberes.

dixit quod magister Nicolaus magistri Iohannis de Piperno, medicus predicti monasterii, vidit dictum fratrem Iohannem sanatum et secessum ipsius, et iudicavit fuisse apostema ita periculosum quod nullus habens tale apostema secundum naturam et secundum (1) artem medicine poterat liberari, et iudicavit ipsum miraculose fuisse sanatum.

LXXIII. — Item dixit quod quidam nomine Nicolaus Moleus (2) de castro Postertii de Campania, qui ex quadam percussione quam habuerat in supercilio unius oculi ammiserat visum ipsius oculi, veniens de castro Sompnini, vidit predictum monasterium Fosse-Nove ; et recordatus quod in ipso monasterio iacebat corpus dicti fratris Thome de Aquino, de quo audiverat quod Deus meritis (3) ipsius multa miracula fecerat et faciebat, cum devotione statim genuflexit in loco de quo videbat ipsum monasterium, et ibi oravit et se recommendavit dicto fratri Thome, et statim miraculose recuperavit visum sive (4) lumen.

Interrogatus quomodo sciret predicta, dixit quod audivit dici a dicto Nicolao Moleo (5), qui sibi predicta in sacristia (6) dicti monasterii narravit et exposuit cum iuramento. Interrogatus coram quibus narravit sibi predicta, dixit quod coram fratre Nicolao de Rocca Sicca, qui erat presens cum ipso. Interrogatus quo tempore narravit sibi predicta dictus Nicolaus Moleus dixit quod hoc anno presenti, de mense et die dixit se non recordari. Interrogatus quanto tempore caruerat visu dictus Nicolaus Moleus postquam (7) fuerat (fol. 50r.) percussus in dicto supercilio, dixit se non recordari. Interrogatus si cognoverat eum ante, dixit quod non nisi ex auditu, dixit tamen quod semper vidit eum sanum postea.

LXXIV. — Item dixit quod Iacobus Martellutii de Piperno habebat guttur grossum et inflatum qui ob devotionem quam habuit ad dictum fratrem Thomam de Aquino, venit ad dic-

(1) B. omitt. — (2) Ms : Meleus. — (3) B : ejus meritis. — (4) B : seu. — (5) Ms : Meleo. — (6) Ms : in prædictam sacristiam. — (7) Ms : dixit quod non post quam.

tum monasterium Fosse-Nove et rogavit ipsum sacristam ut reliquias beati Thome que habebat in sacristia ostenderet sibi et superponeret gutturi suo ; et ipse ostendit et superposuit sibi (1) in gutture dictas reliquias fratris Thome. Quem euntem et redeuntem ad ipsum monasterium infra triduum cum voto cereo ad sepulcrum dicti fratris Thome, ipse testis vidit eum (2) plenarie sanatum de ipso gutture. Interrogatus que reliquie fratris Thome sunt ille quas superposuit gutturi predicto, dixit quod sunt tres modice particule de osse colli ipsius fratris Thome. Interrogatus quo (3) tempore fuit hoc, (B. : p. 709, col. 2) dixit quod hoc anno, de mense et die non recordatur. Interrogatus de presentibus, dixit quod nullus fuit presens nisi ipse testis et dictus Iacobus. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in sacristia predicta superpositio dictarum reliquiarum. Interrogatus quanto tempore dictus Iacobus habuerat dictum guttur inflatum, dixit quod a tempore dicte sue nativitatis ut ille sibi (4) retulit, set non viderat eum ante. Interrogatus quanto tempore ille (5) stetit postea sanus de dicto gutture, dixit quod semper fuit postea sanus et semper vidit eum postea sanum. Interrogatus quibus verbis fuit usus dictus Iacobus quando superposuit gutturi suo dictas reliquias, dixit quod dixit (6) : « Pater noster... ».

Item dixit quod de reliquiis et de capite dicti fratris Thome que sunt (7) in sacristia dicti monasterii continue emanat suavissimus odor.

Item dixit quod de hiis (8) que deposuit erat publica vox et fama in predicto (9) monasterio et in locis circumadiacentibus.

[Frater LEONARDUS de GAIETA]

LXXV. — Die mercurii, VIII dicti mensis augusti, ibidem, (fol. 50^v^.) frater Leonardus de Gaieta (10), sacerdos et antiquus frater dicti monasterii fratrum Predicatorum, testis citatus

(1) B : illi. — (2) B. omitt. — (3) B : quanto. — (4) B : ei. — (5) B. omitt. — (6) B : recitavit. — (7) B : fuerunt. — (8) B : iis. — (9) Ms : predictis. — (10) B : Gaieta.

et iuratus super dicta inquisitione in prescripta forma dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod fuit homo sancte conversationis et vite, utpote qui omni die aut (1) celebrabat unam missam et aliam audiebat aut duas audiebat (2), deinde continue vacabat aut in (3) predicationibus aut in (4) lectura (5) aut in (6) studio et in (7) scriptura (8) aut in (9) orationibus. Fuitque homo magne humilitatis et patiens (10) ita quod nunquam videbatur turbari de aliquo (11), homo magne sobrietatis et vigilantie ita quod modicam horam occupabat in sumendo cibum vel in dormiendo. Interrogatus de causa scientie, dixit quod eum vidit et cognovit et conversatus fuit (12) cum eo in ordine apud Neapolim ubi vidit (13) eum continue facientem vitam predictam ; et talem vitam, ut ipse vidit et ab aliis fratribus audivit, continuavit usque ad ultimum vite sue.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome, dixit se audivisse a fratre Raynaldo de Piperno, qui fuit socius continuus dicti (14) fratris Thome, quod, dum (15) quoddam die, scilicet die Resurectionis dominice, dictus frater Thomas predicaret in ecclesia sancte Marie Maioris de Urbe, una mulier, que longo tempore passa fuerat et patiebatur flussum sanguinis, stans ad audiendum dictam predicationem cogitavit quod, si posset tangere fimbriam vestimenti ejus, sanaretur a (16) fluxu predicto. Et completa predicatione predicta, dicta mulier tantum fecit quod tetigit fimbriam dicti (17) vestimenti eius sicut cogitaverat, et statim sanata fuit. Et dictus testis quesivit a dicto fratre Raynaldo quomodo hec sciebat, dixit quod dicta (18) mulier dixerat sibi predicta (19).

Interrogatus coram quibus recitavit predicta dictus frater Raynaldus ipsi testi, dixit quod coram frater Iohanne (a) de Caiatia (20), qui erat tunc prior provincialis provincie Romane,

(1-4) B. omitt. — (5) B : lecturæ. — (6-7) B. omitt. — (8) B : scripturæ. — (9) B. omitt. — (10) B : patientiæ. — (11) B. addit : ac etiam. — (12) B : est. — (13) B : continue vidit eum. — (14) B. omitt. — (15) B : cum. — (16) Ms. omitt. — (17) B. omitt. — (18) B : prædicta. — (19) B : supradicta. — (20) B : Cavacia.

(a) Sur Jean de Caiazzo : cf. TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, pp. 124-126.

et coram frater Angelo de Termulis qui erat tunc prior sancti Sisti de Urbe qui, diu (1) est, (fol. 51r.) quod mortui sunt. Interrogatus de tempore, mense et die, coram quibus audivit dici predicta, dixit se non recordari quia iam sunt anni triginta V elapsi et plus.

Item dixit se audivisse a fratre Thoma de Fuscis (a) de Urbe, qui fuit discipulus dicti fratris Thome de Aquino, quod ipse audiverat a quodam heremita sancte vite de Campania quod ipse heremita tempore mortis dicti fratris Thome viderat quamdam magnam stellam cadentem super monasterium Fosse-Nove, et vidit duas alias stellas descendentes que sublevarunt dictam magnam stellam ad celum.

[BARTHOLOMÆUS de CAPUA]

LXXVI. — (B. p. 710, col. 1) Eodem die, ibidem, vir magnificus dominus Bartholomeus de Capua (b), logotheta et prothonotarius regni Sicilie, testis citatus et iuratus in forma prescripta, et interrogatus quid sciret et quomodo de vita et miraculis supradicti recolende (2) memorie fratris Thome de Aquino, sacre theologie doctoris, ordinis fratrum Predicatorum, dixit se hec inde scire de scientia subdistincta quod, dum ipse venisset ad Neapolitanum (3) studium, multum iuvenis, ibat frequenter ad locum beati Dominici dicti ordinis, et conversabatur ibidem cum quodam fratre Iohanne de Caiatia (4), ipsius ordinis fratrum Predicatorum (5), qui erat homo magne auctoritatis et bonus clericus, multum familiaris dicto fratri Thome et fuerat scolaris eius Parisius et (6) in Regno ; et

(1) B : a longo tempore mortui sunt.— (2) B : venerabilis.— (3) B : studium Neapolitanum. — (4) B : Caratia. — (5) B : predicti ordinis Prædicatorum. — (6) Ms. omitt.

(a) Cf. Douais (C.), *Acta Capitulorum Provincialium Ord. Frat. Præd.*, Toulouse, 1894, p. 535.

(b) On trouvera dans Miniero-Ricci (C.), *De' grandi uffiziali del Regno di Sicilia dal 1265 al 1285*, Naples, 1872, pp. 135-156, une excellente biographie du Logothète ; cf. de même Taurisano (I.), *Discepoli e biografi*, pp. 155-157.

erant tunc (1) in dicto loco fratrum Predicatorum Neapolis, viri religiosi magne scientie, auctoritatis et reverentie, frater Eufrano (2) de Porta (a), frater Iacobus de Manzano (3), frater Troianus (b), frater Mattheus de Castro-Maioris (c), frater Hugo de Magdalano, et frater Iohannes de sancto Iuliano (d), antiquus frater valde, homo magne vite et humilitatis, qui dicebatur notorie dictum fratrem Thomam de Aquino recepisse in ordine Predicatorum. Et audivit dici dictus testis ab eodem fratre Iohanne de Caiatia et ab ipso fratre Iohanne de sancto Iuliano et ex quodam communi preeloquio quod pater (e) dicti fratris Thome (fol. 51^v.), origine nobilis atque potens, monachavit dictum fratrem Thomam puerum disponens eum abbatie preficere Cassinensi.

Idem vero frater Thomas crescens in vita, moribus et scientia, merituosus (4), exemplaris erat hominibus et missus ad Neapolitanum studium (f) in gramaticalibus et logicalibus antecedebat (5) omnes conferendo et disputando.

Qui statim quod (6) ad annos discretionis, multum (7) anticipando, pervenit, nondum pubes adhuc, intravit (g) pre-

(1) B : tunc erant. — (2) B : Eufranon. — (3) B : Maxano. — (4) B : virtuosus et. — (5) B : omnes antecedebat. — (6) B : cum. — (7) B : pervenit multum anticipando.

(a) Cf. TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, pp. 123-124.

(b) Cf. TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, p. 122, et la bibliographie donnée par cet auteur.

(c) Peut-être faut-il voir dans ce frère Matthieu dont le nom semble avoir été mal orthographié (*Castro-Maioris* pour *Castromaris*) le religieux du même nom qui fut inquisiteur du royaume de Naples en 1273 : cf. VALLE (T.), *Compendio degli più illustri Padri..... della Provincia del Regno di Napoli*, Naples, 1651, pp. 32-34.

(d) Cf. MANDONNET (P.), *Thomas d'Aquin, novice Prêcheur*, pp. 26-27 ; TAURISANO (I.), *Discepoli e biografi*, pp. 120-122.

(e) Cf. SCANDONE (F.), *La vita, la famiglia... di S. Tommaso*, pp. 46-51.

(f) Pour l'histoire de l'enseignement à Naples, cf. *Storia dell'Università di Napoli*, Naples, 1924, pp. 3-13.

(g) Cf. MANDONNET (P.), *Thomas d'Aquin, novice Prêcheur*, pp. 15-26, où l'on trouvera une critique serrée de l'affirmation du Logothète.

fatum Predicatorum (1) ordinem. Sed fratres Predicatores, timentes genitoris dicti fratris Thome potentiam, procuraverunt ipsum fratrem Thomam de Regno extrahi et ad generale ipsorum studium destinari. Set factum est favore et potentia dicti patris quod idem frater Thomas captus fuit et (2) in castro paterno detentus in quo plusquam per annum extitit arcte detrusus. Et licet idem suus genitor sibi monachales vel laycales vestes offerret, eas nunquam recipere voluit quod (3) potius, patris corde durato, et filii constantia permanente, religionis vestes, quas portabat ipse vir Dei, totaliter quasi sunt confracte. Nec fuit immemor in ingressu (4) carceris petere bibliam et breviarum ab ipsis fratribus que statim, assistente Domino, est, sicut petiit, assecutus. In qua quidem biblia sic (5) mirabiliter et profunde profecit quod exiens de paterno carcere in paucis punctis biblie dubitabat. Demum cum eius constantia duritate et asperitate paterna convinci non posset, pater idem multis precibus uxoris sue, matris electi (6) viri prefati, ac intercessionibus exoratus, dictum fratrem Thomam a carcere liberavit.

Dixit etiam idem testis quod audivit dici asseveratione communi tam fratrum quam aliorum quod prefatus frater Iohannes sancti Iuliani captus fuit una cum prefato fratre Thoma per dictum patrem eius. Quod frater Iohannes multa et magna miraculosa et miranda narravit de constantia et sinceritate dicti fratris Thome.

LXXVII. — Item dixit idem testis quod ipse audivit communiter et asseveranter dici a pluribus et diversis (B. p. 710, col. 2) personis qui conversabantur cum dicto fratre Thoma et specialiter ab aliquibus et predictis fratribus Predicatoribus magne auctoritatis et reverentie (fol. 52ʳ.) quod ipsi vere credebant Spiritum Sanctum esse cum eo, quia semper videbant ipsum habere (7) alacrem vultum, mitem et suavem, nullis se negotiis secularibus implicantem, semper vacantem (8) ad stu-

(1) B : ordinem Prædicatorum. — (2) B. omitt. — (3) B : quin. — (4) B introitu. — (5) Ms : sicut. — (6) B : dicti. — (7) B : habentem. — (8) B vacantem studio, lectioni, et scriptioni, et orationibus pro illuminatione fidelium. Et audivit.

dium et lectiones et scribendum pro illuminatione fidelium et in orationibus, et audivit a dicto fratre Iohanne de Caiatia quod idem frater Thomas semper erat primus, qui de nocte surgebat ad orationes, et statim quod sentiebat alios venientes ad orationes (1) ipse recedebat et ibat ad cameram ; et ipse testis vidit frequenter dictum fratrem Thomam, quem libenter aspiciebat quandocumque poterat, semper abstractum et remotum a quibuslibet implicationibus temporalibus, respicientem semper superiora. Et audivit publice dici, et sic tenetur communiter, quod ipse fuit virgo, mundus et integer, nec est inventus qui audiret unum verbum otiosum de ore suo : immo in disputationibus, in quibus consueverunt homines aliquando modum excedere, semper inveniebatur mitis et humilis, nullis verbis gloriosis et ampullosis utens. Et sic erat abstractus a temporalium (2) applicatione (3) quod in mensa dum comedebat semper habebat oculos ad superiora et ponebatur coram eo scutella et removebatur pluries ipso non sentiente ; et dum fratres ducerent eum ad viridarium causa recreationis, ipse subito solus retrocedebat totus abstractus et redibat ad cameram.

Item dixit dictus (4) testis quod ipse audivit a prefatis fratribus vel ab aliquibus ex eis et pluribus aliis et specialiter a domino Nicolao Fricia (5), qui intrabat scholas dicti fratris Thome et omni die ibat ad audiendum missam in dicto loco fratrum Predicatorum, quod idem frater Thomas, omni die, summo diluculo, celebrabat missam in capella sancti Nicolai et ea celebrata statim erat (6) paratus sacerdos alius qui missam aliam celebrabat : et post auditam ipsam missam, exutis vestibus, statim ascendebat cathedram. Post descensum (7) cathedre ponebat se ad scribendum et dictandum pluribus scriptoribus, postea commedebat et deinde redibat ad cameram et se divinis occupabat usque ad quietem, et post quietem scribere assumebat et sic totam vitam ordinabat (fol. 52^{r}.) ad Deum. Et sicut audivit idem testis a multis et multis ex quodam

(1) B : ordinem. — (2) B : temporalibus ampliationibus. — (3) Ms : amplicatione. — (4) B : idem. — (5) B : Fricio. — (6) B : paratus erat. — (7) Ms : discensum.

vulgato notorio, vix invenitur spatium temporis quod sibi (1) inutiliter laberetur (2).

Et ipse testis qui dictum fratrem Thomam pluribus annis vidit Neapoli et conversatus est in dicto loco fratrum Predicatorum nunquam recordatur quod viderit eum extra claustrum, nisi semel, tantum circa vesperas, et alia vice vidit eum Capue ubi erat regia curia, quo accessit pro quodam impedimento quod contigit comiti (3) Fundorum, nepoti suo (a), sicut audivit dici dictus testis.

Item dixit dictus testis se audivisse a pluribus fratribus Predicatoribus, fide dignis, quod quando idem frater Thomas, una vice, disputabat Parisius ubi erat frater Iohannes de Pizano (b), ordinis fratrum Minorum, qui fuit postea archiepiscopus Cantuariensis, quantumcumque (4) dictus frater Iohannes exasperaret eundem fratrem Thomam verbis ampullosis et tumidis (5) nunquam tamen ipse frater Thomas restrinxit verbum humilitatis set semper cum dulcedine et humanitate respondit. Et idem faciebat dictus frater Thomas in omni disputatione, quantumcumque acuta et solerti.

LXXVIII. — Item dixit idem testis quod ipse audivit dici a dicto fratre Iohanne de Caiatia, qui erat multum familiaris dicto fratri Thome, sicut firmiter credit testis ipse, quod prefatus frater Thomas petiit a Deo in oratione devota quod ipse

(1) B : illi. — (2) Ms : liberetur. — (3) B : nepoti suo, comiti Fundorum. (4) B : quantumque. — (5) Ms : timidis.

(a) Le comte de Fondi, Roger d'Aquila, mort le 26 août 1272, était fils d'Adélasia d'Aquin, quatrième sœur de saint Thomas. (SCANDONE (F.), *La vita, la famiglia*, pp. 67-68). L'événement, ici rapporté par Barthélemy de Capoue, se place entre le 26 août 1272 et le 25 novembre de la même année, ainsi qu'on peut le déduire d'une lettre du roi de Sicile, envoyée à cette dernière date à Roger, comte de Marsico et tuteur des enfants mineurs de Roger d'Aquila (cf. SCANDONE, *loc. cit.*) On trouvera les différentes pièces concernant la famille de Thomas d'Aquin au VI[e] fascicule des *Fontes*.

(b) Jean Peckam, qui fut archevêque de Cantorbéry de 1279 à 1292. La dispute, à laquelle fait ici allusion le Logothète, doit se placer entre 1270 et 1272, cf MANDONNET (P), *Siger de Brabant et l'Averroïsme latin au* XIII[e] *siècle*, 1[e] P., Louvain, 1911, 2[e] édit., pp. 99-103.

nunquam afficeretur ad amorem terrenorum nec unquam mutaret statum et quod Deus revelaret sibi (1) quid esset de anima domini (2) (B. p. 711, col. 1) Raynaldi (a), fratris sui, quem imperator Fredericus occiderat et ut credebat iniuste ; et ipse responsum habuit quod nunquam mutaret statum nec afficeretur ad amorem terrenorum et quod nomen domini Raynaldi scriptum erat in libro vite.

Et dum ipse frater Thomas esset in via eundi ad concilium Lugduni, vocatus a felicis recordationis domino Gregorio papa decimo, descendens de civitate Theani (3) per viam Burgi Novi percussit caput in quadam arbore (4) que ceciderat per transversum ita quod fere stupefactus (fol. 53r.) quodammodo fuit circa casum ; cui statim occurit frater Raynaldus de Piperno, socius et continuus et familiaris, et quidam dominus Guillelmus (b), tunc decanus Theanensis, qui postea fuit episcopus Theanensis, et abbas Roffridus, nepos eius, qui fuit postea decanus ; et dictus frater Raynaldus interrogavit eundem fratrem Thomam si lesus esset ex percussione, et ipse respondit quod parum.

Tunc idem frater Raynaldus voluit ponere dictum fratrem Thomam in verbis secundum opinionem suam alicuius diversionis et dixit ei : « Domine, vos itis ad concilium et ibi fient multa bona pro universali ecclesia, pro ordine nostro et regno Sicilie. » Et ipse frater Thomas respondit : « Deus concedat quod fiant ibi bona ». Tunc idem frater Raynaldus processit ultra et dixit : « Vos et frater Bonaventura eritis cardinales et exaltabitis ordines vestros ». Et tunc respondit idem frater Thomas : « Raynalde (5), in nullo statu possum esse ita utilis ordini nostro, sicut in isto ». Tunc replicavit idem frater Raynaldus : « Pater, non dico hoc pro vobis, sed pro bono communi ». Statim idem frater Thomas intercidit verbum et respondit : « Raynalde (6),

(1) B : illi. — (2) B. omitt. — (3) B : Trani. — (4) Ms : arborem. — (5-6) B : Raynaldo.

(a) Sur Raynald d'Aquino, cf. SCANDONE (F.), *La vita, la famiglia*, pp. 79-80.

(b) Guillaume, évêque de Teano, cf. UGHELLI (F.), *op. cit.*, t. VI, col. 569.

sis (1) securus quod ego nunquam in perpetuum mutabo statum. » Haec dixit predicto testi memoratus abbas Roffridus, notus et domesticus dicto testi, qui interfuit, vidit et audivit predicta, una cum eodem episcopo Theanensi.

Et dum ipse frater Thomas rediret de sancto Dyonisio Parisius (2) et (3) plures fratres comitarentur eundem, cum fuerunt prope Parisius et viderunt eam, quieverunt (4) aliquantulum et unus illorum fratrum dixit dirigens sermonem suum ad eumdem fratrem Thomam : « Pater, quam pulchra villa est ista Parisius. » Frater Thomas respondit : « Certe pulchra. » Tunc dixit frater : « Utinam esset vestra. » Et idem frater Thomas respondit : « Quid facerem ego de ipsa. » Et frater dixit : « Venderetis eam regi Francie et de pecunia edificaretis omnia loca fratrum Predicatorum. » Et idem frater Thomas respondit : « In veritate (fol. 53v.) plus vellem Crisostomum super Matheum. » Hec a multis et multis prefatus testis audivisse se dixit et specialiter a fratre Nicolao de Mala Sorte de Neapoli, consiliario regis Francorum, qui fuerat scolaris dicti testis et specialis amicus, et veniens nuntius ab eodem rege Francorum ad (5) illustrem principem dominum regem Carolum secundum, dixit hoc dicto testi in terra sancti Germani ; et dixit quod hoc erat vulgariter et quasi communiter notum Parisius.

LXXIX. — Item dixit idem testis quod, cum dictus frater Thomas celebraret missam in dicta capella sancti Nicolai Neapoli, fuit mira mutatione commotus, et post ipsam missam nunquam scripsit neque dictavit aliquid, immo suspendit organa scriptionis in tertia parte Summe, in tractatu de Penitentia (a). Et dum idem frater Raynaldus videret quod ipse frater Thomas cessaverat scribere dixit ei : « Pater,

(1) Ms : sic. — (2) B : ad civitatem Parisiorum. — (3) B. *omitt. usque ad* : viderunt eam. — (4) Ms : qui iverunt. — (5) Ms : et.

(a) La troisième partie de la Somme théologique a été composée par Thomas d'Aquin jusqu'à l'article quatrième de la question 90 inclusivement, où le saint Docteur étudie les parties constitutives de la matière, requises à l'intégrité du sacrement de Pénitence.

quomodo dimisistis opus tam grande quod ad laudem Dei et illuminationem mundi cepisti ? » Cui respondit dictus frater Thomas : « Raynalde (1), non possum. » Idem vero frater Raynaldus, timens ne propter multum studium aliquam incurisset amentiam, instabat semper quod idem frater Thomas continuaret scripturam (2) et similiter ipse frater Thomas respondit (3) : « Raynalde, non possum quia omnia que scripsi videntur mihi palee ». Tunc frater Raynaldus stupefactus quod... (4). Dictus frater Thomas (B. p. 711, col. 2) iret ad comitissam sancti Severini, sororem suam, quam caritative diligebat, quo properavit (5) cum (6) difficultate magna et cum illuc accederet, ipsi comitisse sibi occurenti vix locutus est. Tunc comitissa dixit dicto fratri Raynaldo cum magno timore : « Quid est hoc quod frater Thomas totus est stupefactus et vix michi locutus est ? » Respondens idem frater Raynaldus ait : « A festo beati Nicolai circa (7) fuit in isto statu et (8) ex tunc nichil scripsit. » Et idem frater Raynaldus cepit instare apud dictum fratrem Thomam ut (fol. 54r.) diceret sibi qua de causa scribere recusaverat et quare erat (9) ita stupefactus et post multas interrogationes omni importunitate factas per ipsum fratrem Raynaldum respondit frater Thomas eidem fratri Raynaldo : « Ego adiuro te per Deum vivum omnipotentem et per fidem quam tenetis ordini nostro et per caritatem quam (10) michi stringeris quod ea que tibi dixero nulli reveles in vita mea ». Et subiunxit sibi (11) : « Omnia que scripsi videntur michi palee respectu eorum que vidi et revelata sunt michi ».

Predicta vero comitissa remanente multum desolata, recessit frater Thomas et rediit Neapolim ; et deinde assumpsit iter eundi ad concilium iuxta vocationem sibi factam, penitus nichil scribens. Et in itinere invasit ipsum (12) infirmitas in castro Magentie de Campania, de qua postmodum decessit (13).

Postea vero elapsis aliquibus annis, dictus frater Raynaldus,

(1) B. omitt. — (2) B : scripta. — (3) Ms : respondidit. — (4) Ms. et B : *lacune*. — (5) Ms : procuravit. — (6) B : magna cum difficultate. — (7) Ms : citra. — (8) B. omitt. — (9) B : ita stupefactus erat. — (10) B : qua modo. — (11) B : illi. — (12) B : eum. — (13) Ms : recessit.

infirmitate gravatus de qua mortuus fuit (a), confessus est in extremis suis fratri Iohanni Iudici (1), de ordine Predicatorum, oriundo de (2) Anagnia, viro utique antiquo, magne conscientie et probitatis, sicut habebatur in ordine, particulariter et distincte ea que in presenti articulo continentur.

Et idem frater Iohannes de Iudice hec omnia revelavit dicto testi et confessus fuit sibi Anagnie in loco fratrum Predicatorum ubi dictus testis erat hospitatus, paulo antequam dominus papa Bonifacius caperetur (b), et dictus testis hec revelavit et dixit quam cito potuit fratri Guillelmo de Tocco et pluribus aliis fratribus (3) Predicatoribus, et postea felicis recordationis domino Benedicto (c) pape et (4) in Urbe moranti (d) qui predicta audivit cum attentione magna et exultatione vehementi.

LXXX. — Item dixit dictus testis quod quando idem frater Thomas incepit gravari infirmitate, in eodem castro Magentie, petiit cum multa devotione quod portaretur ad monasterium sancte Marie de Fossa-Nova, sicque factum est. Et cum dictus frater Thomas intrasset monasterium infirmus et debilis, adhesit per (fol. 54v.) manum posti et dixit : « Hec requies mea in seculum seculi (5), hic habitabo quoniam elegi eam (e) ». Et hoc est vulgare et notorium in ipso monasterio et multis aliis bonis viris. Et stetit in eodem monasterio pluri-

(1) B : de Judice. — (2-4) B. omitt. — (5) B. *omitt. usque ad* : elegi eum.

(a) La date de la mort de Raynald de Piperno est inconnue, elle se place toutefois très probablement vers 1290.

(b) Allusion à l'attentat d'Anagni (7 septembre 1303), on trouvera dans la *Revue des questions historiques*, t. XI (1872), pp. 511-520, un récit contemporain des événements.

(c) Benoît XI (Nicolas Boccasino) élu pape le 22 octobre 1303, décédé à Pérouse le 7 Juillet 1304. Sur ce pontife qui appartint à l'Ordre de saint Dominique : cf. GRANDJEAN (C.), *Benoît XI avant son pontificat*, dans *Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'Ecole française de Rome*, t. VIII (1888), pp. 219-292, et FUNKE (P.), *Papst Benedikt XI*, Münster, 1891.

(d) Benoît XI résida à Rome du 22 octobre 1303, date de son élection, au 9 avril 1304, cf. FUNKE (P.), *op. cit.*, p. 22.

(e) Ps. CXXXI, v. 14.

bus diebus infirmus cum patientia et humilitate multa et voluit sumere Corpus Salvatoris nostri ; et cum Corpus ipsum fuit sibi (1) portatum, genuflexit et cum verbis mire et longe adorationis et glorificationis salutavit et adoravit ipsum, et ante susceptionem (2) Corporis dixit : « Summo te pretium redemptionis anime mee, sumo te viaticum peregrinationis mee, pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi et predicavi et (3) docui ; nichil unquam contra te dixi, set si quid dixi ignorans, nec sum pertinax in sensu meo ; set si quid male dixi, totum relinquo correctioni ecclesie Romane ». Et subsequenter mortuus est, et sepultus prope altare magnum ecclesie ipsius monasterii in loco palustri prope quodam viridarium ipsius monasterii, ubi est fluvius ex quo perducitur (4) aqua per rotam per quam totus locus ille humectatur, sicut ipse testis frequenter et diligenter inspexit.

Postea vero elapsis VIII mensibus vel circa, insonuit rumor quod frater Petrus de Tarentasia (5), de ordine fratrum Predicatorum, factus erat papa (a) et volebat quod corpus prefati (6) fratris Thome transferretur in aliquem locum honorabiliorem fratrum (B. p. 712, col. 1) Predicatorum, propter quod monachi dicti monasterii Fosse-Nove timentes perdere corpus prefati fratris Thome restrinserunt se ad tres, et quadam nocte exhumaverunt corpus dicti fratris Thome de loco ubi erat, et amputaverunt sibi (7) caput et posuerunt illud in quodam loco secreto in angulo cuiusdam capelle, que est post chorum, quam vidit idem testis pluries, illa consideratione quod si dictum corpus perderent, caput saltem remaneret eisdem. Et audivit ipse testis a fratre Petro de Monte Sancti Iohannis et quodam alio fratre Siculo, subpriore tunc, ut dicebatur, quod totum corpus erat integrum et (fol. 55r.) nullam diminutionem et corruptionem habebat, nec capilli capitis ciciderant, manu tamen excepta quam habebat comi-

(1) B : illi. — (2) B : sumptionem. — (3) Ms : te. — (4) Ms : producitur. — (5) Ms : Caratasia. — (6) B : dicti. — (7) B : ei.

(a) Pierre de Tarentaise, élu pape sous le nom d'Innocent V, gouverna l'Eglise du 21 Janvier 1276 au 22 Juin suivant, cf. CHEVALIER, *Bio-Bibliographique*, col. 2259-2260.

tissa sancti Severini, soror sua, et habebat diminutionem ante punctum (1) nasi ad modum morsi muris et corpus redolebat : et hoc est notorium et vulgatum in (2) ipso monasterio et fuit a multis et multis annis citra, et ipse frequenter et sepius audivit in eodem monasterio et extra quando ipse testis propter devotionem quam habebat et habet ad ipsum sanctum virum, quando ibat ad romanam curiam [pro] preclare memorie regibus Sicilie dominis suis, dimissa via Campanie breviori, ibat ad maritimam et hospitabatur in eodem monasterio, unde semper conferebat cum monachis dicti monasterii de istis et aliis contigentibus : sanctitate (3), puritate et miraculis dicti fratris Thome.

Unde omnia premissa in presenti articulo et quam (4) pluria alia in superioribus publicata (5) novit ipse testis ex quodam notorio (6), frequenti auditu et habitaculi conversatione quam habuit cum dictis fratribus a multis et multis annis citra (7), temporibus succesivis. Et audivit idem testis in dicto monasterio quod, quando corpus eiusdem fratris Thome portabatur de nocte post dictam exumationem per ecclesiam, erat circa corpus quedam illustratio ad modum lustrationis alabastri.

LXXXI. — Item dixit idem testis quod ipse audivit publice dici quod uno anno fuit generalis epidemia (8) mortalitatis hominum in terra Piperni de Campania, que est prope dictum monasterium ad unum vel duo miliaria, et infirmi veniebant ad sepulcrum dicti fratris Thome et communiter omnes sani (9) recedebant.

Item audivit dici dictus testis multum communiter et asseveranter quod monachi ipsius monasterii timentes perdere corpus (10) eiusdem fratris Thome multa que Deus fecit per eum (11) miracula celaverunt.

Item dixit idem testis se audivisse a prefato fratre Iohanne de Campania (fol. 55ᵛ.), sicut firmiter credit, et alias vul-

(1) Ms : puncta. — (2) B. omitt : in ipso monasterio.— (3) Ms : sanctitatem, puritatem et miracula. — (4) B. omitt. — (5) B : prœlibata. — (6) B. addit prœsenti. — (7) B : et.— (8) Ms : epidinia.— (9) B : recebant sani.— (10) Ms. omitt. — (11) Ms : pro eo.

gate ab aliis didicit, quod dum idem frater Thomas de nocte surgeret ad orationem invenit ex una parte oris eius (1) unum dentem qui subito sibi (2) natus fuerat illa (3) nocte, qui tenebat labium suum aliquantulum revolutum et impediebat verbum suum ne articulate posset loqui. Quod cum sensit idem frater Thomas dixit : « Ha, Deus, istud impediet lectionem et predicationem ». Et immediate ivit ad orationem, more solito, ante magnum altare beati Dominici et dum staret ibi ad orationem dens ille superfluus subito (4) natus cecidit in manu eius (5).

Item dixit idem testis quod audivit dici a fratribus Predicatoribus quod iam dictus frater Raynaldus de Piperno, domesticus et continuus socius ipsius fratris Thome, dixerat post mortem eius in cathedra legens tanquam lector, iurans sub virtute Dei et religionis ordinis sui, quod in dubiis punctis que occurrebant dicto fratri Thome, ipse ibat ad altare et erat ibi cum multis et magnis lacrimis et singultu et postea redibat ad cameram continuans scripta sua.

Item dixit idem testis quod audivit dici a fratribus quod una de potissimis recreationibus (6) corporis dicti fratris Thome erat incedere solus per claustrum, capite elevato, et ipse testis frequenter vidit eum sic solum incedentem per claustrum dicti [conventus] beati (B. p. 712, col. 2) Dominici.

Item dixit dictus testis quod ipse audivit a multis fratribus Predicatoribus qui conversabantur (7) cum eodem fratre Thoma quod quando moriebantur nepotes et alii carnales consanguinei ipsius et dicebatur ei (8) de ipsorum morte, ipse nec faciem nec oculum immutabat, nec verbo nec facto indicabat doloris indicium, set facie sincera (9) et quieta faciebat celebrare (10) et orare (11) et ipse orabat pro eis : per significationem mortis eorumdem nepotum et (fol. 56r.) consanguineorum nulla in eo immutatio poterat cognosci.

(1) B : sui. — (2) B : illi. — (3) B : hac. — (4) B. omitt. — (5) B : sua. — (6) Ms : rationibus. — (7) B : cum eodem Fr. Thoma conversabantur. — (8) B : eidem. — (9) B : serena. — (10) Ms : celebrari. — (11) Ms : orari.

LXXXII. — Item dixit idem testis quod audivit a fratre Ugone de Luca (a), priore provinciali in Tuscia, cuius familiarem amicitiam habuit, primo in Anagnia, deinde in Luca quando ipse testis ibat in Provinciam, quod quando dictus frater Thomas fuit mortuus, frater Albertus (b), qui fuerat doctor eius, audiens mortem ipsius ploravit tunc fortiter, et quotiescumque audiebat postea memoriam eius plorabat dicens : quod ipse fuerat flos et decus (1) mundi, ita quod fratres dolebant de ipso ploratu timentes ne propter senectutem dicti fratris Alberti ipse lacrime ex levitate capitis provenirent. Postea insonuit rumor quod scripta fratris Thome Parisius impugnabantur (c), unde dictus frater Albertus dixit se illuc velle accedere pro defensione illorum scriptorum ; fratres vero Predicatores timentes (2) decrepitum etatis ipsius et longum viagium (3) dissuaverunt sibi (4) iter predictum per aliquod tempus, ea ratione precipue quia dictus frater Albertus fuerat homo Parisius magne auctoritatis (5) et reputationis, timebant ne propter etatem declinaret in memoria et intellectu communi. Finaliter tamen dixit frater Albertus, qui erat archiepiscopus (d) vel episcopus (6), se velle Parisius omnino accedere pro defensione tam nobilium scripturarum ; et ivit Parisius, in cuius societate frater Hugo predictus

(1) Ms : deus. — (2) B : decrepitum ætatis ipsius timentes. — (3) B : iter. — (4) B : illi prædictum iter. — (5) B : reputationis et auctoritatis. — (6) B. addit. Ratisbonensis.

(a) Sur Hughues Borgognoni de Lucques, provincial de la Province Romaine (1299), cf. Masetti (P.-Th.), *Monumenta et Antiquitates... in Romana Provincia*, Rome, 1864, pp. 246-247 et Taurisano (I.), *Discepoli e biografi*, p. 180.

(b) Pour cet événement de la vie d'Albert le Grand et les différentes versions sous lesquelles il nous est parvenu, cf Scheeben (C.-H.), *Albert der Grosse, zùr Chronologie seines Lebens*, Vechta, 1931, pp. 119-121 et Callaey (F.), dans *Analecta S. Ord. Fr. Prædicatorum*, t. XX (1932), p. 520.

(c) Allusion à la condamnation portée par Etienne Tempier, archevêque de Paris, en 1277 : cf. Laurent (M.-H.), *Godefroid de Fontaines et la condamnation de 1277*, dans *Revue Thomiste*, n. s., t. XIII (1930), pp. 273-281, où j'ai indiqué la littérature du sujet.

(d) St. Albert fut évêque de Ratisbonne en 1260 et 1261, cf. Scheeben, *op. cit.*, pp. 54-64.

accessit, sicut ipse asseruit ipsi testi. Cum vero fuit Parisius dictus frater Albertus, facta convocatione studii generalis Parisiensis, ascendit cathedram fratrum Predicatorum Parisius proponendo auctoritatem : « Que laus vivo si laudatur a mortuis », supponendo dictum fratrem Thomam vivum et alios mortuos, et ipsius fratris Thome (fol. 56v.) laudes gloriosas et excelsas dicens, quod ipse paratus erat in examine peritorum defendere scripta dicti fratris Thome tanquam veritate fulgentia et sanctitate.

Et post multa dicta et collecta in honorem Dei et approbationem eorumdem scriptorum, idem frater Albertus rediit Coloniam, et dictus frater Ugo cum eo, ut ipse dixit eidem testi. Et voluit dictus frater Albertus post ipsum redditum facere sibi perlegi omnia scripta dicti fratris Thome per certum ordinem, et facta per eum congregatione sollempni, extulit de ipso fratre Thoma commendationes eximias (1), gloriosas et excelsas, et in fine conclusit (2) quod idem frater Thomas in scripturis suis imposuit finem omnibus laborantibus usque ad finem seculi et quod omnes deinceps frustra laborarent. Et sicut idem frater Ugo retulit ipsi testi nunquam idem frater Thomas fuit nominatus coram (3) ipso fratre Alberto quod ipse non prorumperet ad lacrimas.

LXXXIII. — Item dixit predictus testis quod bone memorie frater Iacobus de Viterbio, sacre pagine doctor, archiepiscopus Neapolitanus, pater et amicus precipuus dicti testis, dixit sibi frequenter et (4) familiariter quod ipse credebat in fide et Spiritu sancto quod Salvator noster, doctor (5) veritatis, pro illuminatione orbis et universalis ecclesie misisset Paulum apostolum et postea Augustinum et novissimo tempore dictum fratrem Thomam cui usque ad finem seculi non credebat alium successurum.

Dixit etiam idem frater Iacobus ipsi testi quod frater Egidius de Roma, sacre theologie doctor, ordinis Augustinianorum, frequenter sibi dixerat in (B. p. 713, col. 1) domestico

(1) Ms : eximians. — (2) Ms : exclusit. — (3) B : omitt : coram ipso fratre Alberto. — (4) Ms : quod. — (5) B : doctorem.

sermone Parisius (a) : « Frater Iacobe, si fratres Predicatores voluissent, ipsi fuissent scientes et intelligentes et nos idiote, non comunicassent nobis scripta fratris Thome ».

(fol. 57^{r}.) Item dixit idem frater Iacobus dicto testi quod in scriptis ipsius inveniuntur (1) communis veritas, communis claritas, communis illuminatio, communis ordo et doctrina cito perveniendi ad perfectam intelligentiam, et dixit idem frater Iacobus ipsi testi quod postquam gustavit dulcedinem eorumdem scriptorum, nunquam voluit videre alia scripta nisi originalia et scripta dicti fratris Thome ; et tenebat ac credebat idem frater Iacobus sicut pluries et pluries (2) dixit familiariter dicto testi quod ea que scripsit idem frater Thomas erant potius ex cogitatione spirituali (3) per illuminationem Spiritus sancti quam per humanum ingenium acquisita.

Et quando dictus frater Iacobus primo venit Neapolim visitavit locum Predicatorum et fecit se duci ad cameram que fuerat dicti fratris Thome et ostendi sibi locum ubi fuerat discus eius, et statim genuflexus ibidem coram multis fratribus dixit : « Veni adorare in loco ubi steterunt pedes eius (b). »

Et hoc credit (4) et tenet idem testis secundum exigentiam intellectus sui consideratione multiplici.

Primo quia tot magna scripta que fecit summatim, inferius declaranda, non est verisimile (5) secundum humanum genus (6) quod potuisset fieri tam brevi tempore sicut vixit idem frater Thomas qui in quatragesimo octavo anno finisse dicitur communiter dies suos, divina officia, lectiones et orationes continuans nec illa aliquatenus interrumpens.

Secundo quia plura scripta magnorum sanctorum (7) et

(1) B : communis veritas invenitur.— (2) B : omitt.— (3) Ms. addit : quam. — (4) B : tenet et credit. — (5) Ms : nec ei simile. — (6) B : ingenium. — (7) B. omitt.

(a) Pour les dates de l'enseignement de Gilles de Rome à Paris et l'attitude de ce théologien à l'égard de saint Thomas : cf. MANDONNET (P.), *La carrière scolaire de Gilles de Rome*, dans *Revue des Sciences philosophiques et théologiques*, t. IV (1910), pp. 481-499 et HOCÉDEZ (E.), *La condamnation de Gilles de Rome*, dans *Recherches de Théologie ancienne et médiévale*, t. IV (1932), pp. 34-58.

(b) Ps. CXXXI, v. 7.

doctorum post mortem eorum invenirentur impugnata fore et lacerata, set scripta ipsius fratris Thome licet post eius mortem a multis et magnis impugnata fuerunt, et reprehentionum (1) morsibus attemptata, tamen nunquam decrevit eius auctoritas sed semper invaluit, et diffusa (2) sunt ubique terrarum cum cultu et reverentia, et sicut idem testis audivit a multis et multis etiam ad barbaras nationes (a).

Tertia consideratio est quia quilibet secundum modulum (fol. 57ᵛ.) sue cogitationis seu capacitatis potest facile (3) capere fructum ex scriptis eiusdem, et propterea etiam layci et parum intelligentes querunt et appetunt ipsa scripta habere.

LXXXIV. — Item dixit dictus testis quod de vita, conversatione, doctrina et sanctitate dicti fratris Thome est vox et fama publica, quasi ubicumque, per (4) Regnum, specialiter apud magnates, bonos et litteratos viros, et quasi communiter maior pars bonorum virorum et intelligentium dicti Regni credit, tenet et sentit quod dictus frater Thomas fuerit vir Dei electus, doctor egregius, virgo, purus et integer, humilis et devotus et a quibuslibet inplicationibus secularibus abstractus (5).

Item dixit idem testis de se ipso quod dum ipse (6) esset in quadam gravi persecutione rogavit specialiter et devote dictum electum virum Dei ut assisteret (7) sibi et eum a persequentibus liberaret, et certa (8) die dictus frater Thomas apparuit ipsi testi in habitu, in quo consueverat eum videre, visibiliter et dixit (9) eidem testi : « Ne timeas quia liberaveris et non prevalebunt adversus te. » vel similia verba de quibus aperte non recordatur dictus testis. Bene habet (10) tamen in memoria quod ipse liberatus fuit omnino (11) a perse-

(1) B : reprehensionem. — (2) B : fuit diffusa. — (3) Ms : facere. — (4) B : per totum Regnum. — (5) Ms : astractio. — (6) B. omitt. — (7) B : illi assisteret. — (8) B : tota. — (9) B : dixit ei. — (10) B : bene hoc tamen habet. — (11) Ms : omnino et.

(a) Allusion assez probable aux traductions de saint Thomas en langue grecque dues à Guillaume Bernard, (MOLINIER (Ch.), *Guillem Bernard de Gaillac et l'enseignement des Dominicains à la fin du XIIIᵐᵉ siècle*, dans *Revue Historique*, t. XV (1884), pp. 256-257).

cutione predicta per illum modum vel quasi, quem dixerat ipse Dei electus.

Item (a) dixit dictus testis quod cum ipse legisset aliquibus annis in scriptis dicti fratris Thome occurit sibi quadam vice memorie se legisse in eis quod consuetudo populi christiani pro lege servanda est. Et dum hec verba idem testis studiose perquireret per plures dies, cum essent sibi oportuna, nullo modo potuit illa invenire, finaliter tamen idem testis genuflexit et rogavit dictum fratrem Thomam quod revelaret sibi, quod statim aperto libro secunde partis secunde (b), sine revolutione cartarum invenit ipsa verba in tractatu de ieiunio.

Et dixit idem testis quod semper in omnibus necessitatibus suis invocavit eundem fratrem Thomam et continue invenit ipsum propitium sibi secundum fidem et devotionem eius.

LXXXV. — (fol. 58r.). Item dixit idem testis quod isti sunt libri quos edidit (1) frater Thomas de Aquino predictus :

Primo contra inpugnantes Dei cultum et religionem, contra magistros Parisienses tempore Alexandri pape quarti.

De operationibus occultis, ad quemdam militem Ultramontanum.

Item : In quibus potest homo licite uti iudicio astrorum, ad eumdem.

De principiis nature, ad fratrem Silvestrem.

De Regno ad regem (2) Cipri.

De substantiis separatis, ad fratrem Raynaldum de Piperno.

De rationibus fidei, ad cantorem Antiochenum.

De perfectione vite spiritualis, contra magistrum Geraldum.

Contra doctrinam retrahentium a religione, contra Geraldos.

(1) Ms : dedit. — (2) Ms : Regnum.

(a) Le passage suivant ne se trouve pas dans les Bollandistes, il a été publié, en 1873, par Ucelli, cf. p. 266.

(b) Saint Thomas parle par trois fois de la coutume dans la question (*S. Th.* IIa, IIae, qu. 147) qu'il a consacrée au jeune (*loc. cit.* art 5, ad 3 ; art. 8 inc. et ad. 3).

De sortibus ad dominum Iacobum de Tolongo.

De forma penitentie absolutionis sacramentalis, ad magistrum ordinis.

Contra errores Grecorum, ad Urbanum papam.

Declaratio triginta sex questionum, ad lectorem (1) Venetum (2).

De regimine Iudeorum, ad ducissam Brabantie (3).

Declaratio quatraginta (4) trium questionum ad magistrum ordinis.

Declaratio sex questionum ad lectorem (5) Bissuntinum.

De ente et essentia (6), ad fratres [et] socios.

De mixtione elementorum (7) ad magistrum Philippum de Castro Celi.

De motu cordis (8), ad eundem.

De unitate intellectus contra Averoystas Parisienses.

De eternitate mundi contra murmurantes.

Expositio circa (9) primam decretalem de fide catholica et summa trinitate,

et secundam « dampnamus » [ad] archidiaconum Tudertinum.

(fol. 58ʳ.) De articulis fidei et sacramentis ecclesie ad archiepiscopum Panormitanum.

Brevis compilatio theologie ad fratrem Raynaldum de Piperno.

Supradicta omnia vocantur opuscula.

Tot etiam alia opera edidit (10) quorum exemplaria sunt Parisius videlicet :

Quatuor libros super sententiis (11).

(1) Ms : lectionem ; *corr. per man. poster.* : lectiorem. — (2) Ms : Venerum ; *corr. per man. poster.* : Venetum. — (3) Ms : Brambantie. — (4) Ms : quatraginta. — (5) Ms. lectionem ; *corr. per man. poster.* : lectiorem. — (6) Ms : exentia. — (7) Ms : mistione elimentorum. — (8) Ms : ordinis. — (9) Ms : contra. — (10) Ms : eddidit. — (11) Ms : smiis.

Tres partes summe.

De questionibus disputatis partes tres : unam disputavit Parisius, scilicet de veritate ; aliam in Italia, scilicet de potentia Dei et ultra ; aliam secunda (1) vice Parisius, scilicet de virtutibus et ultra.

Undecim quolibet disputata.

Opus contra gentiles, quod continet quatuor libros.

Glossas super quatuor Evangelia.

Expositionem super quatuor evangelia ad litteram.

Super epistolam ad Romanos.

Super epistolam primam ad Chorinthios.

Super Ysayam.

Super Ieremiam.

Super Threnos (2)

Super Cantica.

Super Dionisium de divinis nominibus.

Super Boetium de hebdomadibus (3).

Super Boetium de trinitate.

De fide et spe ad fratrem Raynaldum de Piperno.

Super primum Perihermenias (4).

Super librum Posteriorum.

(fol. 59r.) Super librum Phisicorum.

Super libros (5) de celo tres.

Super primum librum de generatione (6).

Super duos libros meteororum (7).

Super secundum et tertium de anima.

Super librum de sensu et sensato.

Super librum de memoria (8) et reminiscentia.

Super librum de causis.

Super Methaphysicam (9).

(1) Ms : secundam. — (2) Ms : trenos. — (3) Ms : eddomadibus. — (4) Ms : per Ieremiam ; *cor poster.* perihermenias. — (5) Ms : libro. — (6) Ms : generationem.— (7) Ms : methaurorum.— (8) Ms : memorua.— (9) Ms : metafisicam.

Super librum Ehicorum.

Super Politicam, libros quatuor.

Si autem sibi alia ascribantur non ipse scripsit et notavit, sed alii recolligerunt post eum legentem vel predicantem, puta :

Lecturam super Paulum ab XI capitulo prime epistole ad Corinthios usque ad finem, quam recollegit frater Raynaldus de

Piperno, socius eius.

Item lecturam super Iohannem, qua non invenitur melior, quam recollegit idem frater Raynaldus, sed correxit eam frater Thomas.

Item lecturam super quatuor nocturnos psalterii. Idem Collationes (1) de Pater noster et

Credo in Deum.

Dominicales aliquas et festivas et quadragesimales (2) Collationes (3) de decem preceptis, frater Petrus de Andria.

Lecturam super Matheum. Idem frater Petrus. quidam. scolaris parisiensis que defectiva est (4).

Lecturam super primum de anima, frater Raynaldus de Piperno.

LXXXVI. — Item dixit idem testis quod dum ipse esset hospitatus Anagnie in locum Predicatorum audivit a fratre Nicolao de Setia, priore tunc dicti loci et a pluribus aliis fratribus Predicatoribus ibi existentibus, quod bone memorie dominus Riccardus (a) (fol. 59v), sancti Angeli diaconus cardinalis, fecit vocari apud Molariam (b) ubi tunc stabat dictus

(1) Ms : Collectiones. — (2) Ms : quatragesimales. — (3) Ms : Collectiones.— (4) Nous reproduisons ici la disposition du manuscrit sur ce point. cf. MANDONNET. *Revue Thomiste*, 1928, pp. 116 et esq. — Au lieu de Matheum, Ms : Mathiam.

(a) Riccardo des Annibaldis ou des Annibaldeschi, cardinal diacre du titre de Saint-Ange, décédé à Rome en 1276, (EUBEL (C.), *op. cit.*, t. I, p. 6).

(b) Ancien château de la Campagne romaine (de nos jours une ferme), situé le long de la Via Latina, cf. TOMASETTI (G.), *Della Campagna Romana nel Medio Evo*, dans *Archivio della R. Società Romana di Storia Patria*, t. IX, 1886, pp. 396-406.

cardinalis eumdem electum Dei fratrem Thomam de Aquino, quem dictus cardinalis multum diligebat et domestice tractabat, et rogavit ipsum dictus cardinalis quod faceret festum Nativitatis cum eo. Accedente vero dicto fratre Thoma ad eundem cardinalem, erant cum eo duo Ebrei romani, pater et filius, magni litterati in lingua ebrea, divites multum ac speciales familiales dicti cardinalis, qui, presentibus ipsis Ebreis, dixit dicto fratri Thome : « Frater Thoma, dicatis de verbis vestris bonis et sanctis istis induratis Ebreis ». Tunc frater Thomas respondit quod ipse libenter diceret quicquid boni sciret si ipsi vellent audire.

Post que factum est quod dicti frater Thomas et Ebrei traxerunt se ad partem seorsum in cappella dicti castri Molarie, et steterunt simul per magnum spatium disputantes et conferentes ad invicem, et dictus frater Thomas satisfaciebat dubitationibus eorum. Subsequenter videns quod dicti Ebrei videbantur acquiescere omnino dictis sermonibus dixit idem frater Thomas Ebreis ipsis : « Ite et cogitate et cras venietis ad locum istum et communicate et aperite mihi omnes dubitationes vestras. » Sicque factum est quod sequenti die, quo fuit vigilia Nativitatis Domini, memorati Ebrei venerunt et fuerunt cum dicto fratre Thoma in eadem ecclesia et post collationem habitam per dictum fratrem Thomam cum dictis Iudeis in eadem cappella, audita fuit vox cantantium dicti fratris Thome et sui socii « Te Deum laudamus... ». Ad quem cantum cardinalis ipse podagricus accedere nequens fecit se portari ad ecclesiam ipsam, et ipse, capelani et familiares sui omnes, in eadem ecclesia cum cantu compleverunt dictum ymnum, et baptizati sunt dicti Ebrei, et fecit venire idem cardinalis multos nobiles de Urbe cum insigniis seu covinis (1) ad laudandum et congaudendum Molariam, et (2) factum est magnum festum in dicta terra Molaria de dicta convertione (3) tam subita. Dixerunt autem dicti Ebrei dicto cardinali quod incontinenti (4) ipsi intraverunt dictam ecclesiam cum eodem fratre Thoma et audierunt eum loquentem

(1) Ms : covessanoiis. — (2) Ms : quod. — (3) Ms : conversatione. — (4) Ms. addit : quod.

statim totaliter immutati fuerunt et vix (1) poterant obviare seu contradicere dictis eius.

[IOHANNES COPPA]

LXXXVII. — (fol. 60r.) Die iovis IX dicti mensis augusti, secunde indictionis, ibidem, Iohannes Coppa de Neapoli, notarius, testis citatus et iuratus in forma prescripta super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod fuit homo perfecte bonitatis et sancte vite et conversationis. Interrogatus quomodo scit, dixit quod vidit et cognovit eum et conversatus fuit cum eo Neapolim in loco Predicatorum per spatium unius anni continue, et tanta erat fama vite [et] sanctitatis sue quod communiter reputabatur ab omnibus pro santo ; et per totam quatragesimam (a) dicti anni vidit et audivit eum predicantem Orationem dominicam, scilicet « Pater noster », ita quod quolibet die predicabat certa parte ipsius orationis (2) et tanta erat devotio quod odor fame sue sanctitatis quod propter hoc quasi totus populus civitatis Neapolis, quolibet die, ad dictam predicationem confluebat.

Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome, dixit se hoc scire videlicet quod cum ipse, quodam die, ivisset cum fratre Bonfilio, germano suo, ordinis Predicatorum, ad visitandum dictum fratrem Thomam iacentem in cella seu in camera sua apud locum Predicatorum Neapolim discrasiatum, vidit stellam unam magne claritatis et magne fulgoris intrantem per quamdam fenestram dicte celle et stantem super lecto in quo ipse frater Thomas iacebat infirmus, et post modicum intervallum disparuit. Interrogatus quomodo scit,

(1) Ms : vis. — (2) Ms : operationis, *corr. post.* : oRationis.

(a) Sur le carême prêché par saint Thomas à Naples, en 1273, dans l'église du couvent des Prêcheurs, cf. MANDONNET (P.), *Le Carême de saint Thomas d'Aquin à Naples*, dans STAM, pp. 195-211.

dixit quod ipse erat presens in ipsa camera seu cella et vidit ipsam stellam ut dixit supra.

Interrogatus de tempore quo vidit predicta, dixit quod fuit illo anno quo obiit et credit quod sint iam anni elapsi quadraginta quinque vel circa. Interrogatus qui fuissent presentes quando ipse vidit dictam stellam, dixit quod fuit presens dictus Bonfilius una cum ipso teste. Interrogatus si dictus frater Bonfilius vidit similiter dictam stellam, dixit quod sic, quia ipse testis retulit sibi qualiter viderat dictam stellam et ipse frater Bonfilius retulit affirmando ipsi testi se similiter vidisse eam. Interrogatus si dictus frater Bonfilius vivat modo, dixit quod non quia mortuus est. Interrogatus de apparentia magnitudinis ipsius stelle, dixit quod apparuerat (fol. 60^v.) magnitudinis circumcirca quasi unius cubitus. Interrogatus cuius forme apparebat dicta stella, dixit quod eius forme in qua apparet in astris et cum radiis et cum immenso lumine, sicut super dicto lecto stantem, dixit quod per tantam horam in qua potuisset dici bene punctatim « Ave Maria, et cetera ». Interrogatus cuius coloris erat dicta stella, dixit quod erat clari et albi et quasi argentei coloris.

Item interrogatus si sciret alia miracula dicti fratris Thome, dixit se audivisse dici ex communi perloquio quod Deus post mortem suam fecerat multa miracula meritis ipsius fratris Thome, alia dixit se nescire.

[IOHANNES de GAIETA]

LXXXVIII. — Eodem die, ibidem, dominus Iohannes de Gaieta, zeccadenarius, decretorum doctor, testis citatus et iuratus in forma prescripta super eadem inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod fuit homo pure vite et magne sanctitatis et conversationis honeste et homo magne puritatis, contemplationis et magne sobrietatis. Interrogatus in causa scientie, dixit quod eum vidit et cognovit et vidit etiam

ipsum pluries predicantem Neapolim in loco Predicatorum et ex communi preloquio intellexit quod fuit predicte vite et quod in predicta bona vita finivit dies suos. Interrogatus de tempore, dixit quod sunt anni quadraginta quinque et plus.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome, dixit se audivisse a domino Petro Grasso, milite Neapolitano, qui narravit sibi miraculum quod receperat in se propter merita dicti fratris Thome ad sepulcrum ipsius in brachio suo in quo patiebatur tantum dolorem quod ex eo non poterat se iuvare nec exercere cum eo aliquem actum, et ad sepulcrum predictum orando et recommendando de dicto fratri Thome fuit subito plene sanatus.

Dixit se etiam (1) audivisse a multis antiquis et pluribus viris quod Deus propter merita dicti fratris Thome multa miracula fecerat et continua faciebat (fol. 61^{r}.) ; alia in specie dixit se nescire.

Item dixit quod de predictis que deposuit erat publica vox et fama in civitate Neapolis et in pluribus aliis locis.

[Frater IOHANNES de BUIANO]

LXXXIX. — Die sabbati XI dicti mensis augusti, ibidem, frater Iohannes de Buiano (a), sacerdos et antiquus frater ordinis Predicatorum, citatus et iuratus in forma prescripta super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod fuit homo totus spiritualis quia quolibet die ipse dicebat unam missam et aliam audiebat aut duas audiebat, deinde vacabat continue aut in lectura aut in scriptura aut in predicationibus aut orationibus, ita quod modicam horam occupabat in

(1) Ms : et.

(a) Sur Jean de Boiano, cf. CAPONE (A.), *S. Tommaso d'Aquino e la città di Salerno*, Salernes, 1908, p. 37 et TAURISANO (I.), *Discepoli e Biografi*, p. 180.

cibo sumendo vel dormiendo ; et fuit etiam homo magne humilitatis, sobrietatis et castitatis. Interrogatus in causa scientie, dixit quod vidit et cognovit dictum fratrem Thomam in loco Predicatorum Neapoli, et vidit, scivit et cognovit ipsum predictam sanctam vitam facientem, quam etiam vitam sanctam, sicut ipse scire potuit et audivit communiter dici ab antiquis fratribus dicti ordinis, continuavit usque ad obitum suum.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome si qua sciret, dixit se hoc scire quod olim post annos XV post obitum dicti fratris Thome, cum ipse testis esset prior loci Predicatorum in Duratio et venisset Anagniam ad capitulum provinciale (a), vidit tunc apud Anagniam quod frater Raynaldus de Piperno qui fuerat continuus socius dicti fratris Thome dedit domino fratri Ugoni (b), qui fuit Hostiensis episcopus, policem unius manus dicti fratris Thome, quam manum habuit domina comitissa, soror dicti fratris Thome, et ipse digitus erat sanus et integer ac etiam apparebat recens cum pelle, ungue, carne, osse et colore sicut esset in manu hominis viventis. Dixit etiam quod ipse audivit multotiens recitari et dici ex communi preloquio et fama et multis antiquis fratribus dicti ordinis quod Deus meritis dicti fratris Thome fecerat et faciebat multa miracula.

(a) L'indication chronologique fournie par Jean de Boiano est inexacte, en 1289 le chapitre de la province Romaine fut tenu à Viterbe ; il est aussi possible que le copiste du ms B. N. 3112 ait confondu la date fournie et ait lu « post annos XV » au lieu de « post annos XI » ce qui nous ramène à 1285, date où le chapitre fut tenu à Anagni et époque à laquelle Raynald de Piperno vivait encore (TAURISANO, *op. cit.*, p. 119, note 3).

(b) Hugues Aycelin de Billom, créé cardinal-prêtre de Sainte-Sabine le 16 Mars 1288, transféré, en 1294, au siège suburbicaire d'Ostie, et décédé le 28 Décembre 1298, cf. GUMBLEY (G.)-WALZ (A.), *Cardinales ex Ord. Prædicatorum assumpti,* dans *Analecta sacri ordinis fr. Prædicatorum*, t. XVII (1925-1926), p. 335, avec une bibliographie des principaux travaux.

[PETRUS CARACCHULUS]

XC. — (fol. 61r.) Eodem die, ibidem, dominus Petrus Caracchulus de Neapoli, testis citatus et iuratus in simili forma suprascripta super eadem inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se nichil scire nisi quod ex communi preloquio, dixit se audivisse quod fuisset homo sancte conversationis et vite.

Interrogatus de miraculis ipsius fratris Thome, dixit se hoc scire quod dum ipse, quadam die, esset in hospitio domini Thomasii Dentitis de Neapoli, domina Constantia Fanisari, avia dicti domini Thomasii Dentitis, et pluries alie domine, que erant ibi, ratiocinabantur ad invicem de vita religiosorum, et in ipso ratiocinio dicta domina Constantia dixit quod frater Thomas de Aquino fuit santus homo, et recitavit quod vidit semel matrem dicti fratris Thome tenentem ipsum tunc parvulum puerum parvulorum more pannis involutum, et dum solvisset eum causa balneandi ipsum, ipse puer extendens manum suam collegit de terra quamdam cartulam et constrinsit eam cum manu et matre sua volente extrahere de manu sua ipsam cartulam puer ipse plorabat et quando permittebat ipsum tenere dictam cartam, ipse puer tacebat, et dicta mater volens scire quid esset pro ipsa carta scriptum, invenit quod erat in ea scriptum : « Ave Maria gratia plena, et cetera... ». Et sic cum ipsa cartula in manu balneavit eum, cum aliter ille puer non taceret. Interrogatus coram quibus dicta domina predicta recitavit, dixit quod coram ipso et coram pluribus mulieribus que erant ibi presentes, set de eorum nominibus non recordatur. Interrogatus de tempore, mense et die quibus predicta audivit, dixit quod iam sunt anni VIII vel circa, videlicet tempore quo dominus Clemens papa quintus celebravit concilium Viennensem (1).

(1) Ms : vienuensem.

[CESARIUS de DOMPNO]

XCI. — Eodem die, ibidem, Cesarius de Dompno de Neapoli, testis citatus et iuratus in forma (fol. 62r.) prescripta super dicta inquisitione, dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se nichil aliud inde scire nisi quod communis publica fama est et communis opinio est quod fuisset homo sancte vite.

Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome si qua sciret, dixit quod ipse recepit in se miraculosum beneficium dicti fratris Thome meritis, videlicet quod cum ipse pateretur vehementem febrem, que dicitur duplex (1) tertiana, et ab ipsa febre fuisset detentus circa duodecim dies, una die dum esset valde debilitatus et esset circa horam in qua maior accessio dicte febris debebat eum invadere, medicus, qui eum habebat in cura, dicebat quod si ipsa futura accessio invaderet eum ita fortiter sicut consuevit, dubitabat de ipso ne deficeret propter debilitatem. Et tunc frater Guillelmus de Tocco, prior Beneventanus, qui venerat ad visitandum ipsum infirmum consuluit ipsi infirmo quod assumeret devotionem ad fratrem Thomam de Aquino, et voveret se sibi quia liberaverat eum, et ipse infirmus acquiescens consilio dicto, assumpta devotione magna erga dictum fratrem Thomam vovit et recommendavit se dicto fratri Thome ut liberaret eum a dicta infirmitate. Quo emisso voto, continuo ab ipsa infirmitate plenarie sanatus et liberatus fuit.

Interrogatus de tempore, mense et die quo recepit dictum beneficium miraculosum, dixit quod fuit de presenti anno, secunde indictionis et presentis mensis augusti. Interrogatus coram quibus fecerat dictum votum et fuerat sanatus, dixit quod presentibus dicto fratre Guillelmo de Tocco, matre et uxore ipsius testis. Interrogatus de loco, dixit quod fuit Neapoli in quadam cappella que est iuxta domum suam que dicitur santus Iohannes Albathum. Interrogatus quod votum fece-

(1) Ms : duples.

rat et quibus verbis usus fuit in emissione (fol. 62[v].) dicti voti, dixit quod ipse faciendo dictum votum dixit hec verba : « Beate Thoma de Aquino, recommendo me tibi, et rogo te ut liberes me ab infirmitate ista, et ego promitto tibi si liberabis me facere dici incontinenti unam missam ad honorem et reverentiam tuam ; et cum fuero plene restauratus ad potentiam, visitabo sepulcrum tuum. » Quo voto facto, statim reliquit (1) eum febris.

Interrogatus quot diebus passus fuerat dictam infirmitatem, dixit quod circa duodecim dies, ut dixit supra. Interrogatus quot diebus fuit postea sanus, dixit quod ex tunc in anno (2) fuit plene sanus.

[Frater PETRUS de CAPUTIO]

XCII. — Die lune, XIII dicti mensis augusti, ibidem, frater Petrus de Caputio (3) de Benevento, ordinis fratrum Predicatorum, testis citatus et iuratus in suprascripta forma, super eadem inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se audivisse a pluribus antiquioribus fratribus eiusdem ordinis Predicatorum, qui dictum fratrem Thomam viderunt et cognoverunt et cum eo longo tempore conversati fuerunt, quod dictus frater Thomas fuit homo magne humilitatis et puritatis et magne contemplationis et sanctitatis et quod quolibet die celebrabat missam et aliam audiebat et quod omni mane ante quam celebraret confitebatur ; et quod fuit homo ita sobrius quod nunquam curabat quod comederet nec advertebat quod apponeretur sibi tantum erat abstractus ab omnibus actibus terrenis ad superiores contemplationes et quod talem vitam continuavit usque ad mortem.

Interrogatus a quibus et ubi audiverat dici predicta, dixit quod a multis antiquis fratribus et in diversis provinciis : videlicet Neapolim, ubi fuit residens in studio per annos X, Floren-

(1) Ms : reliquid. — (2) Ms : anna. — (3) Ms : Caputi.

tie ubi fuit residens per annos duos, Bononie ubi similiter fuit residens per aliquod tempus, apud Montempessulanum ubi fuit residens in studio per annos IIII et Parisius ubi fuit residens per annos duos.

Interrogatus de nominibus illorum a quibus audiverat (fol. 63r.) dici predicta, dixit quod apud Montempessulanum intellexit a fratre Raymundo Severi (a), subpriore tunc fratrum Predicatorum in Montepessulano qui fuit discipulus dicti fratris Thome Parisius per plures annos et ubi ipse, quolibet mane, audiebat confessionem (b) dicti fratris Thome antequam celebraret, qui etiam retulit ipsi testi, quod nunquam fuit confessus sibi quod aliquo tempore habueret cogitationem carnalem.

Item dixit idem testis quod tempore quo ipse erat in studio Parisius ubi in loco scilicet fratrum Predicatorum, certo tempore, minutionibus legitur quidam liber qui dicitur « Vita fratrum (c) ». Dum legeretur ipse liber, audivit legi inter alia de dicto fratre Thoma, videlicet quod cum ipsi fratri Thome fuisset mandatum ut pareret se ad recipiendum magisterium in sacra theologia, et ipse propter hoc staret in contemplatione, in cella sua, ut eligeret aliquam auctoritatem de divina scriptura super qua posset fundare (1) sermonem suum, quidam in habitu Predicatorum, canus et venerabilis aspectus, apparuit ipsi fratri Thome et dixit ei : « Quid cogitas, propone hanc auctoritatem : Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra (d) ». Et ille respondit quod bona auctoritas erat. Et dum vellet ulterius loqui cum

(1) Ms : fundare fundare.

(a) Sur frère Raymond Sever, cf. DOUAIS (C.), *Les Frères Prêcheurs en Gascogne au* XIIIme *et au* XIVme *siècle*, Parie-Auch, 1885, p. 478.

(b) On trouvera les différents textes concernant la confession chez les Prêcheurs dans FONTANA (édit. LEO-CICERO), *Constitutiones, declarationes et ordinationes capitulorum generalium... Prædicatorum*, t. I, Rome, 1862, pp. 86-87.

(c) GÉRARD FRACHET, *Vitæ Fratrum* (édit. REICHERT), Rome-Louvain, 1896, p. 216.

(d) *Ps.* CIII, v. 13.

eo, ille disparuit a conspectu eius, ita quod ultra non potuit eum videre et dixit quod communis opinio erat Parisius inter fratres Predicatores quod ille fuit santus Dominicus. Quam auctoritatem dictus frater Thomas fuit prosecutus in sermone suo quando recepit magisterium, ut ipse audivit dici Parisius.

Interrogatus si de hiis que supra deposuit esset publica vox et fama, dixit quod sic in ordine Predicatorum maxime.

[PETRUS BRANCHATIUS]

XCIII. — Die martis XIIII mensis eiusdem, ibidem, dominus Petrus Branchatius, miles de Neapoli, testis citatus et (fol. 63[v].) iuratus in forma prescripta super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo super vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se recordari quod dum erat multum iuvenis vidit dictum fratrem Thomam in loco Predicatorum Neapolim et audivit eum predicantem quasi per totam unam quatragesimam « Pater noster » et audivit dici quod fuit homo sancte vite et conversationis.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome, dixit se audivisse post mortem dicti fratris Thome a multis qui venerunt ad monasterium Fosse-Nove ubi corpus dicti fratris Thome iacet, quod Deus fecerat et faciebat multa miracula meritis dicti fratris Thome. Audivit etiam recitari, ut dixit, a fratre Raynaldo de Piperno qui fuit socius dicti fratris Thome quod quadam nocte dum dictus frater Thomas iaceret in camera sua et ipse frater Raynaldus in cella sua similiter iaceret, audivit dictum fratrem Thomam colloquentem cum aliis et post ipsam collocutionem ipse frater Thomas vocavit ipsum fratrem Raynaldum ut portaret sibi lumen et postquam portavit sibi lumen dixit ei : « Scribe ». Et ille scripsit illud quod sibi dictavit. Post quam scripturam, ipse frater Raynaldus dixit ipsi fratri Thome : « Pater, audivi vos loquentes cum aliis, supplico quod dicatis mihi cum quibus tali

modo locuti estis. » Et ille dixit ei : « Vade ad quiescendum non cures de eo quod audisti. » Et ipse frater Raynaldus cum magna importunitate adiuravit ex parte Dei quod sibi revelaret illos cum quibus audierat ipsum colloquentem. Et ipse frater Thomas devictus hac instantia dixit ei : « Ex quo penitus vis scire, caveas ne tempore vite mee hoc alicui reveles. » Et recitavit ei quod ipse dubitaverat super quadam scriptura (fol. 64r.) Ysaie, et cum non posset ipse scripturam ipsam intelligere habuerat pluries recursum ad orationem ut Deus per sui misericordiam revelaret sibi secretum intellectum illius scripture. Et sic cum, ipsa nocte, pro hac causa oraret, apparuerunt ei beati apostoli Petrus et Paulus qui locuti fuerunt cum ipso et ipse cum eis; et docuerunt ipsum secretum ipsius scripture quo modo fecerat scribi per eum.

Interrogatus de tempore, mense et die quibus dictus frater Raynaldus recitaverat sibi predicta, dixit se non recordari. Interrogatus quibus presentibus sibi recitavit predicta, dixit se non recordari. Interrogatus de loco, dixit quod recitavit sibi in loco Predicatorum Neapolim.

[Frater MARTINUS de APICIO]

XCIV. — Die iovis XVI eiusdem mensis augusti, ibidem, frater Martinus de Apicio, ordinis fratrum Predicatorum, testis citatus et iuratus in forma prescripta super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome dixit se audivisse ab antiquis fratribus dicti ordinis qui dictum fratrem Thomam viderunt et cum eo conversati fuerunt et etiam ex fama publica, quod dictus frater Thomas fuit sancte vite et conversationis, adeo quod communiter dicebatur et dicitur ab ipsis antiquis fratribus quod scientiam habuit per infusionem divinam et quod fuit homo magne orationis, contemplationis, sobrietatis ac etiam castitatis et audivit recitari a quodam antiquo monacho monasterii Fosse-Nove quod dictus frater Thomas fuit purus

et virgo sicut ab utero matris sue. Qui monachus retulit se hoc habuisse et intellexisse (1) a dicto fratre Raynaldo et quod fuit ab eodem fratre Thoma inhibitus ut nemini, dum viveret, recitaret.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome si qua sciret, dixit se audivisse quod Deus meritis dicti fratris Thome multa (2) miracula (fol. 64ʳ.) fecerat et faciebat, et inter alia dixit se audivisse recitari a quodam monacho predicti monasterii quod dum quedam magna domina de Campania de quodam castro prope dictum monasterium esset mortua et quatuor ex monachis dicti monasterii de mandato abbatis et conventus dicti monasterii irent ad exequias dicte mulieris et aer esset clarus et serenus quando recesserunt, dum irent per viam, subito facta fuit in aere magna tempestas ex qua tempestate tam magna grando descendebat quod nullo modo poterant ultra procedere, et cum essent in periculo, rogaverunt Deum ut meritis dicti fratris Thome cessaret ipsa tempestas : que tempestas, fusis per eos dictis precibus, statim cessavit et clarificatus est aer.

Item dixit ipse testis quod ipse sensit et recepit in se miraculosum beneficium : videlicet cum ipse pateretur gravem dolorem in renibus, ita quod nullo modo poterat ambulare rectus seu proclivis seu inclinatus et propter vehementiam dicti doloris iacens in lecto, assumpta devotione de dicto fratre Thoma de quo multa miraculosa dicebantur de sanctitate sua, ipsum fratrem Thomam, ut ipse, si vera erant illa que dicebantur de sanctitate sua, rogaret pro ipso Deum ut meritis suis liberaret eum a vehementi dolore, vovens se sibi quod, si eum liberaret toto tempore vite sue, faceret memoriam de ipso in vesperis et matutinis. Quo voto facto, statim consecutus fuit plenam sanitatem ita quod ex tunc non (3) sensit de dictis doloribus.

Interrogatus de tempore, mense et die in quo recepit dictum miraculum, dixit quod hoc anno et in principio presentis mensi augusti, set de die dixit se non recordari. Interrogatus

(1) Ms : intellessisse. — (2) Ms : mlta. — (3) Ms. omitt.

per quantum tempus ante habuerat dictam infirmitatem, dixit quod per XII dies continuos passus fuerat dictam infirmitatem. Interrogatus si aliqui fuerunt presentes (fol. 65ʳ.) quando ipse fecit dictum votum, dixit quod non quia fecit de nocte in cella sua. Interrogatus de loco dixit quod in conventu Predicatorum de Neapoli.

[Frater THOMAS de ADVERSA]

XCV. — Eodem die, ibidem, frater Thomas de Adversa, dictus de Nigra, ordinis fratrum Predicatorum, testis citatus et iuratus super dicta inquisitione in suprascripta forma dicere veritatem, et primo interrogatus de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit quod, cum ipse iuvenis sit, nescit aliud de hoc nisi quod audivit frequenter recitari a fratribus Predicatoribus et a publica fama et communi preloquio quod dictus frater Thomas fuit homo sancte conversationis et vite.

Item interrogatus de miraculis ipsius fratris Thome si qua sciret, dixit quod cum ipse ivisset Salernum cum fratre Guillelmo de Tocco et desideraret videre manum dicti fratris Thome que modo est in loco fratrum Predicatorum aput Salernum, data ibidem per dictum comitem de Sancto Severino, rogavit sacristam dicti loci ut ostenderet sibi dictam manum. Quam, cum dictus sacrista ostenderet sibi, adoravit ipsam manum et cum non sentiret fragrantiam odoris sicut intellexerat, miratus et contristatus est in corde suo quod ipsum dolorem non sensit ; et tunc iterum adoravit manum eamdem et sensit fragrantiam magni odoris sicut audiverat et osculatus est ipsam manum.

Interrogatus cuiusmodi odor esset ille quem sensit de dicta manu, dixit quod nesciebat ipsum signanter describere, set dixit quod erat odor multum suavis et delectabilis. Interrogatus de tempore, dixit quod iam est annus et dimidius transactus et fuit de tempore adventus Domini. Interrogatus coram quibus vidit dictam manum et sensit dictum odorem, dixit quod non fuit alius presens cum eo nisi frater Iohannes de Ad-

versa, conversus dicti ordinis, tunc sacrista loci Salernitani predicti.

(fol. 65v. — B. n° 84, p. 713, col. 1.) Item (a) dixit idem testis quod ipse sensit in se miraculosum beneficium in (1) propria persona : videlicet quod cum ipse (2) pateretur vehementem dolorem in collo, qui dolor protendebatur usque ad brachia sua, ex quo dolore non poterat vertere et ducere caput hinc, inde, nec etiam reclinare caput (3) in lecto quando volebat dormire, set oportebat quod sedendo et recumbendo quasi rectus dormiret. Et frater Guillelmus de Tocco ex parte ostenderet secrete domino episcopo Carmicensi, qui est de dicto (B. p. 713, col. 2) ordine, certas reliquias dicti fratris Thome. Ipse videns qualiter dictus frater Guillelmus ostendebat dictas reliquias, licet ignoraret tunc cuius reliquie essent, accessit cum devotione ad dictum fratrem Guillelmum et rogavit eum ut dictas reliquias supponeret collo suo, quia forte Deus liberaret eum meritis illius sancti, cuius essent ipse reliquie. Et dictus frater Guillelmus superposuit collo suo dictas reliquias, qui testis postquam tactus fuit in collo suo a dictis reliquiis statim se sentiit valde alleviatum de dicto dolore, ita quod poterat ducere caput (4) hinc, inde ; de sero vero illius diei sentiit (5) se se magis alleviatum ; sequenti vero mane sentiit se plene sanatum de dolore predicto.

Interrogatus quo tempore, mense et die recepit in se dictum miraculum, dixit quod de anno presenti et de (6) presenti mense augusti et die lune XIII ipsius mensis, hora scilicet quando dicebatur missa. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in sacristia sancti Dominici fratrum Predicatorum de Neapoli. Interrogatus de presentibus, dixit quod fuerunt presentes cum ipso (7) dictus frater Guillelmus et dictus episcopus Carmicensis (8). Interrogatus per quot dies ante fuerat infirmus dicta infirmitate, dixit quod per VIII dies, et omni die grava-

(1) B. omitt : in propria persona. — (2) B : ipsemet. — (3) Ms : capud ; B : illud. — (4) Ms : capud. — (5) Ms : sentii. — (6) B. omitt. — (7) B : eo. — (8) Ms : Teriucensis.

(a) La fin du procès a été publié par les Bollandistes où elle occupe les numéros 84 à 87.

batur dicta infirmitate usque ad illam horam in qua superposite fuerunt collo suo dicte reliquie.

Item dixit quod quando fuerunt sibi (1) superposite dicte reliquie ignorabat cuius reliquie (2) essent, set postquam sanatus fuit, quesivit (fol. 66r.) cuius reliquie (3) essent et fuit (4) sibi dictum per dictum (5) fratrem predictum quod erant reliquie dicti fratris Thome.

[IACOBUS de VITERBIO]

XCVI (B. n° 85). — Eodem die, die XVIII mensis septembris, III indictione, apud Neapolim, dominus Iacobus de Viterbio (a), canonicus Neapolitanus, testis citatus et iuratus secundum formam suprascriptam super eadem inquisitione dicere veritatem, ac interrogatus primo de vita et conversatione supradicti (6) fratris Thome, dixit quod cum ipse sit iuvenis nichil aliud inde scire [possit] nisi quod e fama publica audivit dici quod fuit sancte conversationis (7) et vite.

Item interrogatus de miraculis eiusdem fratris Thome, dixit quod dum de mense augusti proxime preterito, indictionis secunde, magister (8) Matheus de Viterbio, cappellanus et familiaris supradicti domini archiepiscopi Neapolitani, infirmaretur graviter in domo ipsius domini Iacobi de quadam duplici terziana, adeo quod de morte (9) ipsius sperabatur potius quam de vita, dictus dominus Iacobus, audita fama sanctitatis dicti fratris Thome super multis miraculis quibus dicitur corruscasse, votum emisit visitare sepulcrum ipsius una cum predicto (10) magistro Matheo, si eum a dicta egritudine liberaret, dicto magistro Matheo ipsum votum postmodum acceptante. Quo voto emisso cum accessionem aliam expectaret de qua evadere minime sperabatur, adveniente die et

(1) B : illi. — (2) B : sancti. — (3) Ms : cuius reliquie cuius reliquie. — (4) B : et ei dictum fuit. — (5) B : fratrem prædictum. — (6) B : dicti. — (7) B. addit : contemplationis. — (8) Ms : mago. — (9) B : ipsius morte. — (10) B : dicto.

(a) Cf. SANTAMARIA, *op. cit.*, p. 395.

hora accessionis (1), gratia Dei et meritis dicti fratris Thome, nichil de illa sensit set se totaliter potius liberatum.

Item dixit quod dum supradictus magister Matheus post convalescentiam ab infirmitate predicta quamdam medicinam accepisset ad dictam convalescentiam recuperatam conservandam, et dicta medicina nullam evacuationem operaretur, immo potius accidentia gravia generabat, adeo quod dictus (fol. 66v.) magister Matheus ex quo (2) videbatur quasi agere in extremis propter retentionem medicine predicte, confirmato voto supradicto tam per ipsum dictum Iacobum quam per predictum magistrum (3) Matheum, invocando auxilium sanctitatis fratris Thome predicti (4), cum summa devotione ut eum liberaret ab huiusmodi mortifero accidente, subito et quasi immediate absque alterius medicine assumptione incepit predicta medicina operari perfecte, ita quod statim alleviationem recepit et (B. p. 714, col. 1) successive totius corporis sanitatem.

Interrogatus coram quibus emiserat (5) votum predictum, dixit quod in secreto emisit votum (6) supradictum (7), postea publicavit votum ipsum matri sue et dicto (8) magistro (9) Matheo pro quo fecit votum predictum, quod votum dictus magister Matheus statim acceptavit quod fuit sibi publicatum.

[**Magister MATTÆHUS**].

XCVII. — (B. n° 86) Eodem die ibidem supradictus magister Matheus testis citatus et iuratus in simili forma supradicta, super dicta inquisitione dicere veritatem, et interrogatus primo de vita et conversatione dicti fratris Thome, dixit se nichil aliud scire, nisi quod audivit ex publica fama et communi preloquio quod dictus frater Thomas fuit homo multum sancte vite et conversationis.

Item interrogatus de miraculis dicti fratris Thome, dixit se

(1) Ms : accessiois. — (2) B : eo. — (3-4) B. omitt. — (5) B : emisit. — (6) B : illud. — (7) B. omitt — (8) B : praedicto. — (9) B. omitt.

audivisse dici a multis probis viris quod Deus fecit multa miracula meritis dicti fratris Thome. Dixit etiam quod ipse recepit in propria persona miraculosum beneficium meritis eiusdem (1), deponendo et (2) narrando de (3) infirmitate sua et de voto supradicto (4) et de sanitate recuperata quasi per omnia sicut supradictus dominus Iacobus testificando deposuit.

XCVIII. — (B. n° 87) Ut autem premissis omnibus fides adhibeatur indubia, presens contestus sive quaternus in horum testimonium factus est per manus (fol. 67v.) mei Petri de Rocca Tarani, Sabinensis diocesis, qui supra publici apostolica et imperiali auctoritate notarii, mei (5) ac prenominati magistri Francisci de Laureto, Penensis diocesis, signis et subscriptionibus roboratus, ac sub dictorum reverendorum patrum, Dei gratia, dominorum Umberti Neapolitani archiepiscopi et Angeli Viterbiensis et Tuscanensis episcopi sigillis propriis interclusus.

Et ego, qui supra, Petrus de Rocca Tarani, Sabinensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius ad requisitionem, rogatum et mandatum supradictorum (6) reverendorum patrum, Dei (7) gratia, dominorum (8) Umberti Neapolitani archiepiscopi et Angeli Viterbiensis et Tuscanensis episcopi, predictis presentatis litterarum papalium actis, inquisitioni testium, iuramentis et examinationi atque processui actitatis et factis presentialiter per dictos dominos archiepiscopum et episcopum, seu coram eis in archiepiscopali palatio civitatis Neapolis, pretitulatis annis, mensibus et diebus, una cum prenominato magistro Francisco de Laureto, publico apostolica et regia auctoritate notario, presens fui et in scriptis simul cum ipso illa fideliter redegi, et ea omnia in presenti contestu seu quaterno ordinavi, et propria manu scripsi, subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi, meoque solito signo signavi.

Et ego qui supra Franciscus de Laureto, Pennensis diocesis,

(1) B. addit : eiusdem. — (2) B : de. — (3) B : et. — (4) B : predicto. — (5) Ms : mlis. — (6) B. addit : Dominorum. — (7) B. *omitt* : Dei gratia. — (8) B. omitt.

publicus apostolica et regia auctoritate notarius ad requisitionem rogatum et mandatum supradictorum reverendorum patrum, Dei gratia, dominorum Umberti Neapolitani archiepiscopi et Angeli Viterbiensis et Tuscanensis episcopi, predictis presentatis litterarum papalium actis, inquisitioni (1) testium, iuramentis (2) et examinationi (3) atque processui actitatis et factis presentialiter per dictos dominos (4) archiepiscopum et episcopum seu coram eis in archiepiscopali palatio civitatis Neapolis pretitulatis anno, mense et diebus una cum prenominato magistro Petro (fol. 67^{v}.) de Rocca Tarani, Sabinensis diocesis, publico apostolica et imperiali auctoritate notario, presens fui, et in scriptis simul cum ipso fideliter illa redegi, et in presenti contextu seu quaterno ordinavi et propria manu dicti magistri Petri scripto me subscripsi, meoque solito signo signavi.

(1) B : inquisitione. — (2) B : juramentorum. — (3) B : examinationum. — (4) Ms : dominum.

Au T. R. P. Pierre MANDONNET.

M.-H. L.

IIe PROCÈS DE CANONISATION

Abbaye de Fossa-Nova. — 10-20 Novembre 1321

1. — Date. — « Après l'examen du premier procès, Jean XXII décida de poursuivre l'enquête demeurée incomplète, faute de l'audition de plusieurs témoins qui n'avaient pu se rendre à Naples. » (a)

Le Pape désigna par des lettres données en Avignon le 1er juin 1321 trois nouveaux commissaires : Pierre Ferri, évêque d'Anagni, André, évêque de Terracine, et Pandolphe Savelli, notaire pontifical.

Comme en 1319, ce fut Guillaume de Tocco qui, lors de l'ouverture du procès, le 10 novembre 1321, présenta aux délégués du Saint-Siège les lettres pontificales.

Les témoins, venus de Piperno, de Terracine, de Somnino, etc., furent convoqués et reçus en l'abbaye cistercienne de Fossa-Nova. Les enquêteurs n'ayant pas reçu l'ordre d'interroger les déposants sur la vie et les vertus du saint (b), les témoignages reçus du 10 au 20 novembre ne renferment aucun renseignement concernant l'existence de Thomas d'Aquin ; seuls des miracles survenus après la mort du saint Docteur s'y trouvent relatés.

C'est au début de l'année suivante (1322) que les présentes dépositions, portant les sceaux des commissaires pontificaux, furent remises à Avignon au Souverain Pontife, qui, après les avoir soumises à une commission de cardinaux, les examina par lui-même.

2. — Edition. — Utilisés par Bernard Gui pour dresser le catalogue des miracles, dont le chroniqueur dominicain a fait suivre sa monographie de saint Thomas, les actes du procès de Fossa-Nova n'ont pas trouvé place dans le premier tome de mars des *Acta Sanctorum*. Seuls deux brefs fragments ont

(a) Mandonnet (P.), *Mélanges Thomistes*, Kain, 1923, p. 32.

(b) Process. Fossa-Nova n° 4.

été publiés de nos jours : le R. P. Mandonnet (a) a reproduit le premier folio (recto et verso) du manuscrit latin 3113 de la Bibliothèque Nationale, à Paris ; le R. P. Walz (b) a édité, d'après les registres des Archives Vaticanes (c), la lettre de Jean XXII instituant la présente enquête, lettre analysée par l'abbé Mollat (d) dans son inventaire chronologique des lettres communes de ce pape.

3. — Texte. — Le présent texte a été établi d'après le manuscrit 3113 du fonds latin de la Bibliothèque Nationale (e) à Paris (anc. Regius 3907. 13. A.). Ce codex, qui fit autrefois partie de la bibliothèque de Colbert (n° 1524), se compose de 59 folios de papier mesurant chacun 318 m/m × 214 m/m. Ecrit durant la deuxième moitié du XIV[e] siècle, il offre un texte renfermant quelques erreurs de lecture que l'on a pris soin de relever en note. On a de même utilisé (f) pour la lettre de Jean XXII la double copie des Archives Vaticanes (g).

(a) MANDONNET, *op. cit.*, p. 33, note 2.

(b) *Xenia thomistica*, t. III, Rome, 1925, pp. 165-167.

(c) Reg. Avignon, t. XV, fol. 324 r ; Reg. Vatican, t. LXXII, fol. 217 v-218 r.

(d) *Jean XXII* (1316-1334), *Lettres communes analysées d'après les registres dits d'Avignon et du Vatican*, Paris, 1904 et sq., n° 13561.

(e) Cf. *Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecæ Regiæ*, t. III, Paris, 1744, p. 371 ; QUÉTIF-ECHARD, *Scriptores Ord. Prædicatorum*, t. I, Paris, 1719, p. 552 b.

(f) Je n'ai pas cru devoir utiliser le codex 68 de la bibliothèque universitaire de Bologne (ce manuscrit de 139 folios renferme une copie, faite au XVIII[e] siècle pour le cardinal Lambertini (le futur Benoît XIV), du présent procès, cf. PONCELET dans *Analecta Bollandiana*, t. XLII, 1924, p. 322), ni la copie faite en 1869 sur le manuscrit de Paris que conserve la bibliothèque Casanate à Rome (Ms. 936, alias D. V. 56, cf. PONCELET (A.), *Catalogus codicum hagiographicorum latinorum bibl. Romanarum prœterquam Vaticanœ*, Bruxelles, 1909, p. 249).

(g) Cf. ci-dessus note c.

LIBER DE INQUISITIONE SUPER MIRACULIS FRATRIS THOME DE AQUINO

I. — (Fol. 1r.) In nomine Domini. Amen. Hic est processus inquisitionis facte super miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie doctoris, per reverendos patres dominos Petrum (a), Dei gratia episcopum Anagniensem, et magistrum Pandulphum de Sabello, domini Pape notarium, inquisitores super ipsis miraculis, una cum reverendo patre domino .. Terracinensi episcopo (b) cum clausula : quatenus vos vel duo vestrum aut unus vestrum et cetera... ; per santissimum patrem et dominum D. Iohannem, divina providentia pape XXII, specialiter deputatos, presentibus ad totum processum inquisitionis eiusdem nobis Petro dicto Sarraceno de Piperno, Terracinensis diocesis, imperiali auctoritate, et Laurentio Egidii Leporis de Urbe, sancte Romane ecclesie auctoritate, notariis publicis, quos iidem domini inquisitores ad ipsum processum in scriptis fideliter redigendum specialiter assumpserunt, scriptus per me Laurentium notarium supradictum.

II. — In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo vicesimo primo, pontificatus sanctissimi patris et domini D. Iohannis, divina providentia pape XXII, indictione quinta, mense novembris, die martis X, religiosus vir frater Guillelmus de Tocco, ordinis Predicatorum, constitutus apud monasterium Fosse Nove, in loco in quo fratres dicti monasterii capitulum facere consueverunt, coram ipsis dominis Petro, episcopo Anagniensi et magistro Pandulpho super miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, ordinis (fol. 1v.) fratrum Predicatorum, sacre theo-

(a) Eubel (C.), *Hierarchia catholica Mœdii Ævi*, t. I, Münster, 1913, p. 87.

(b) André, évêque de Terni, puis de Terracine, cf *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastiques*, t. II, Paris, 1914, col 1626.

logie doctoris, inquisitoribus per Sedem Apostolicam deputatis, eisdem dominis episcopo Anagniensi et magistro Pandulpho de Sabello, domini pape notario, quasdam patentes et quasdam alias clausas apostolicas litteras, ex parte supradicti domini pape, veris bullis plumbeis eiusdem domini pape et integris filis canapis pendentibus bullatas, presentavit ; et eosdem dominos cum instantia requisivit ut in commisso eis per easdem litteras inquisitionis negotio solicite et attente, prout tenebantur, procedere deberent. Quas litteras prefati domini episcopus et Pandulphus, extractis sibi birretis, cum magna reverentia receperunt, et predictas patentes litteras apostolicas statim coram eis publice legi fecerunt, mandantes nobis Petro dicto Sarraceno de Piperno, Terracinensis diocesis, imperiali auctoritate et Laurentio Egidii Leporis de Urbe, sancte romane ecclesie auctoritate notariis publicis supradictis, ut predictas litteras apostolicas et inquisitionem ac omnem processum per ipsos in huius inquisitionis negotio faciendos registrare et fideliter conscribere deberent, religiosis viris dompno Nicolao de Frusinone et dompno Iacobo de Salerno, monachis monasterii Fosse Nove, necnon, et venerabilibus viris dominis presbytero Nicolao, archipresbytero ecclesie sancti Martini de Montefalco Sabinensis diocesis, Matheo de Reate, canonico Reatensi, Iohanne Petri domini Angeli de Piperno, canonico ecclesie sancte Lucie de Piperno et Guidone Iacobi de Turri, canonico Pipernensi, et pluribus aliis presentibus ad premissa testibus vocatis atque rogatis. (fol. 2r.) Littere vero patentes supradicte, non abrase, non cancellate nec in aliqua sui parte suspecte, sed omni suspicione carentes erant per omnia tenoris et continentie subsequentis.

III. — Iohannes, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. Anagniensi et .. Terracinensi episcopis, et dilecto filio magistro Pandulpho de Sabello, notario nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, secundum evangelicam veritatem, nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut

omnes qui in domo sunt videant, pium pariter atque iustum, ut quos Deus merito sanctitatis coronat et honorat in celis, nos, venerationis officio, laudemus et glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur et glorificetur in ipsis qui est laudabilis et gloriosus in sanctis, quique, ut sue virtutis (1) potentiam mirabiliter manifestet et nostre salutis causam misericorditer operetur, fideles suos quos coronat in celo frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam, signa faciens et prodigia per que pravitas confundatur heretica et fides catholica roboretur. Sed licet sit pium et debitum venerationi sanctorum intendere et eos colendo in terris populis exhibere, expedit tamen in hiis illam maturitatis adhibere cautelam ut nulla fallat incertitudo iudicum, nec ignorantia facti iudicantis solertiam circumscribat : que tanto periculosa forent in talibus quanto in maioribus erraretur. Sed providentia, multa preambula et diligenti maturitate servata, veritas, exquisita solicite, deducatur (fol. 2^{r}.) in lucem, de dubiis sententia eliciatur indubia, et certitudo habeatur et sumatur certior in incertis.

Sane dudum ex parte carissime in Christo filie nostre Marie, regine Sicilie, illustris relicte clare memorie Caroli secundi regis Sicilie, et dilectorum filiorum nobilium virorum Philippi principis Tarentini et Iohannis comitis Gravinensis, ac aliorum plurium comitum et baronum regni Sicilie, communitatis quoque ac universitatis magistrorum et scolarium studii Neapolitani nobis et fratribus nostris per eorum litteras extitit intimatum quod recolende memorie frater Thomas de Aquino, ordinis Predicatorum, sacre theologie doctor, dum vixit, sancte vite floruit, meritis, conversatione resplenduit ac multis et magnis tam ante quam post ipsius obitum miraculis coruscavit, quare pro parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum ut de ipsius vita et miraculis faceremus inquiri et si inveniremus premissa veritate fulciri, ipsum sanctorum cathalogo adscribentes faceremus eumdem per universas ecclesias honore congruo solemniter venerari.

Quorum supplicationibus benignius annuentes bone memo-

(1) Ms : virtututis. — (2) Ms : facerem.

rie Humberto (a), archiepiscopo Neapolitano, et venerabili fratri nostro .. episcopo Viterbiensi (b), tibique, fili Pandulphe, nostris dedimus litteris in mandatis ut vos vel duo vestrum in loco vel locis ubi expedire videretis de vita et conversatione ac miraculis eiusdem fratris Thome et ceteris circumstantiis huiusmodi negotium tangentibus, iuxta formam quam super hoc sub (fol. 3^r^.) bulla nostra misimus vobis inclusam, inquireretis diligentius veritatem, et que super premissis inveniretis fideliter in scriptis redacta, sub testimonio sigillorum vestrorum per viros ydoneos curaretis fideliter ad Sedem apostolicam destinare.

Predictis ergo litteris eisdem archiepiscopo et episcopo presentatis, te, dicte Pandulphe, tunc absente, dicti archiepiscopus et episcopus, iuxta litterarum ipsarum [formam], ad examinationem et receptionem quorumdam testium super vita et miraculis ipsius fratris Thome cum diligenti cautela et studio processerunt prout in processu super hoc per eosdem archiepiscopum et episcopum habito, nobisque sub sigillis eorum per viros ydoneos ad Sedem apostolicam destinato plenius continetur.

Cum autem super eiusdem miraculis que ipsius meritis in monasterio Fosse Nove, cisterciensis ordinis, Terracinensis diocesis, ubi corpus eiusdem quiescere dicitur et in diversis aliis locis, sicut asseritur, dignatus est dominus misericorditer operari, quorumdam testium qui iuxta dictarum litterarum nostrarum formam recepti per dictos archiepiscopum et episcopum non fuerunt, restet adhuc receptio et examinatio facienda discretioni vestre de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos vel duo vestrum, tam in dicto monasterio Fosse Nove quam in loco vel locis aliis, ubi expedire videritis de predictis et aliis miraculis

(a) Humbert, archevêque de Naples, était mort le 3 juillet 1320, cf. Eubel, *op. cit.*, t. I, p. 360.

(b) Ange Tignosi, évêque de Viterbe-Toscanella, cf. Eubel, *op. cit.*, t. I, p. 532.

fratris Thome predicti, que extra Romanam curiam ipsius meritis dignatus est vel ex nunc pendente inquisitione huiusmodi dignabitur Dominus operari. Non tamen de illis super quibus per prefatos archiepiscopum et episcopum ad receptionem et examinationem predictorum testium noscitur esse processum, prout per processum (fol. 3ᵛ.) super hoc per eos habitum cuius copiam vobis fieri volumus poteritis instrui, ceterisque circumstantiis, negotium huiusmodi tangentibus, iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra transmittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem, et que super premissis inveneritis, fideliter in scriptis redacta sub testimonio sigillorum vestrorum per viros ydoneos ad Sedem apostolicam destinetis, ut per inquisitionem vestram sufficienter instructi, sicut res exigit et expediens visum fuerit, securius in ipso negotio procedere valeamus.

Datum Avinioni, kalendis Iunii, pontificatus nostri anno quinto.

IV. — Tenor autem supradictarum litterarum apostolicarum clausarum, de quibus superius fit mentio, per omnia talis : forma iuxta quam testes examinabitis, super miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, ordinis Predicatorum, sacre theologie doctoris, testes legitimos quos super miraculis dicti fratris Thome debetis recipere, prius ab eis prestito iuramento diligenter examinare curetis et de omnibus que dixerint, interrogetis eos quomodo sciunt, quo tempore, quo mense, qua die, quibus presentibus, quo loco, ad cuius vocationem et quibus verbis interpositis et de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur et si eos ante cognoscebant et quot diebus ante viderunt eos infirmos et quanto tempore fuerunt infirmi et quanto tempore visi sunt sani et de quo loco sunt oriundi.

Et interrogentur de omnibus (1) circumstantiis diligenter et ad singula capitula, ut expedit, fiant questiones predicte et series testimonii ac verba testium fideliter redigantur in scriptis.

(1) Ms : nominibus.

V. — Predicti itaque domini inquisitores in dicto commisso eis inquisitionis (fol. 4r.) officio iuxta prescripte commissionis eorum seriem procedere cupientes ac deliberantes processum huius inquisitionis facere eligerint, in eorum nuntios, in supradicto negotio, ad citationes, mandata, relationes et alia oportuna facienda, Iohannem Brisiensem et Andream Bartholomei Mathei, clericos familiares ipsorum dominorum, Vannensem Angeli habitatorem in castro Albani, Iohannem Provincialem, Petrum de Cableis, Bartholomeum Andree de Palombaria, Franciscum Thomasii de Stipis, Panseriam de Fulgineo, Iacobum Petri de Piperno, Petrum Calvum de Piperno, Andream Thomasii de Regno et Petrum, famulum magistri Nicolai de Tybure. Qui nuntii, et quilibet eorum, constituti in presentia predictorum inquisitorum, coram ipsis dominis presentibus testibus supradictis et nobis notariis predictis, tactis sacrosanctis evangeliis, iuraverunt ad sancta Dei evangelia in manibus ipsorum dominorum inquisitorum, bene, legaliter et fideliter exercere et facere officium ad quod ipsos pro huiusmodi negotio elegerunt et fideliter citare omnes et singulas personas, mares seu feminas, quas ipsi domini citari coram eis mandabunt, et facere relationes et omnia ad ipsum negotium opportuna, quatenus ad eorum officium pertinebit.

A testibus autem infrascriptis, in terminis citationis eorum coram ipsis dominis inquisitoribus comparentibus ad citationes easdem, receperunt iidem domini inquisitores corporale tactis sacrosanctis evangeliis iuramentum ; ipsique subscripti testes in eorumdem dominorum inquisitorum manibus prestiterunt de pura veritate dicenda, super miraculis (fol. 4v.) recolende memorie dicti fratris Thome de Aquino, corporale ad sancta Dei evangelia iuramentum prece, pretio, subornatione, odio, gratia vel amore aut alia corruptionis quibuscumque sublatis.

Quo iuramento a dictis testibus suis vicibus sic recepto, ipsos super miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino receperunt et examinaverunt diligenter, semoti et in secreto iuxta traditam eis per apostolicam Sedem for-

mam. Quorum testium nomina et cognomina, depositiones et dicta sub religione dicti eorum prestiti iuramenti recepta, ac dies et loca seu locus iuramentorum et depositionum eorum huiusmodi infra, distincte et particulariter continentur.

Videlicet eodem die martis X mensis novembris predicti, in dicto monasterio Fosse Nove :

[PETRUS BOCCASICUS de PIPERNO]

VI. — Petrus dictus Boccasicus de Piperno, etatis, ut asserit, XLV annorum et ultra, testis vocatus ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, et iuratus coram ipsis inquisitoribus et nobis notariis predictis in loco habitationis predicti domini Pandulphi, in monasterio Fosse Nove, super miraculis recolende memorie dicti fratris Thome de Aquino dicere puram et meram veritatem, quam scit (1) ex visu et auditu et credulitate et quod etiam ad interrogata super ipsa inquisitione veraciter respondebit, amore vel odio, prece, pretio, favore, et subornatione qualibet sublatis, interrogatus a prefatis dominis inquisitoribus de miraculis ipsius recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod cum Petrus Letus (fol. 5r.) de Piperno, hoc anno, mitteret eum Setiam ad potestatem communis eiusdem, vocatum Iohanninum de Parina, ut significaret eidem quod filius ipsi Petro natus erat et quod placeret sibi eum de sacro fonte levare, et equitasset unum pullum equinum dicti Petri morellum et ipse iam appropinquaret palatio communis predicti, ipse pullus, subito et repente pavens, proiecit eum in terram. Ex cuius casu ipse lesus fuit fortiter (2) in facie, ex latere sinistro, fuit etiam similiter a toto latere dextro lesus fortiter ita quod nisi essent alii astantes per seipsum surgere non poterat, et tam potestas quam quidam alii cum eo invenerunt eumdem et deportaverunt eum in casulam (3) potestatis. Et post aliqua medicamenta recepta a medicis dicti loci, iterum assendit dictum pullum et ad domum

(1) Ms : sit. — (2) Ms : formiter. — (3) Ms : caulam.

propriam Pipernum reddiit dicto die ; et statim, dolore invalescente, lectum intravit. Et pre nimio dolore, noctem duxit insompnem, et in eodem dolore fuit per totam diem sequentem et partem noctis sequentis. Et cum nimium gravaretur predicto dolore, vovit se beato Thome de Aquino predicto rogans eumdem, ut ipsum, per sui misericordiam, a dolore liberaret, promittens quod unum votum argenteum portaret ad sepulturam eiusdem et quod faceret ibidem unam missam cantari. Quo facto, statim dormire cepit, et post modicum, excitatus a sompno, vocavit uxorem eius dicens : « Stephania, meritis beati Thome de Aquino predicti, cui me recommendavi, sum liberatus Dei gratia et nullum dolorem (fol. 5^{v}.) sentio. » Et propterea hodie, die depositionis huius, mane, ad sepulcrum dicti fratris Thome venit et votum solvit.

Interrogatus quo mense, dixit quod de mense octobris proximo preterito. Interrogatus quo die, dixit quod die veneris, penultima eiusdem, fuit casus lesionis predicte, et liberatio in nocte post sabbatum sequentem, veniente die dominico primo novembris.

Item interrogatus quibus presentibus, dixit quod cecidit presentibus familiaribus potestatis predicti, liberatio fuit presente uxore sua, cum in domo non haberet alium nisi unum filium octo annorum vel circa et alium nondum anniculum.

[Frater NICOLAUS ZAPPUS de PIPERNO]

VII. — Eodem die, X dicti mensis, frater Nicolaus Zappus de Piperno, conversus Fosse Nove, testis simili modo vocatus ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, per eumdem Iohannem, iuratum nuntium, iuratus coram ipsis dominis inquisitoribus et nobis notariis predictis, in loco habitationis dicti domini Pandulphi, in monasterio Fosse Nove, super miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino dicere puram et meram veritatem quam scit ex visu et auditu et credulitate, et quod etiam ad interrogata super ipsa inquisitione veraciter respondebit, amore vel odio, prece, pretio, favore et

subornatione qualibet sublatis, interrogatus a prefatis dominis inquisitoribus de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse existens secularis patiebatur infirmitatem artetice in ambabus manibus, ita fortiter quod stetit per annum continuum et plus, quod manus erant sibi quodammodo inutiles et insuper dolorose. Et tunc ipse intravit religionem (fol. 6r.) et factus est conversus monasterii Fosse Nove ; et post mensem vel circa a die ingressus sui, devotione concepta erga predictum beatum Thomam de Aquino, recommendavit se eidem, humiliter supplicans quod eum liberare dignaretur a dicta infirmitate et dolore ; et accedens immediate ad sepulcrum ipsius, flexis genibus, cum devotione posuit manus suas super dictum sepulcrum et tenuit manus ibi per spatium quo dici posset tribus vicibus : « Miserere mei, Deus... » et incontinenti surrexit sanus et a dolore liber, et ex tunc, per Dei gratiam, fuit liberatus totaliter et nunquam sentiit dictam egritudinem nec dolorem aliquem in manibus.

Interrogatus quantum tempus est quod sentiit dictam egritudinem et dolorem, dixit quod est quadriennium et plus quod cepit eum egritudo predicta et triennium et plus quod fuit liberatus.

Interrogatus quo mense cepit eum egritudo, dixit quod de mense martii. Interrogatus de die, dixit quod non recordatur. Interrogatus de mense liberationis sue predicte, dixit quod non recordatur, dixit tamen quod fuit liberatus in die Pasche, dominice Resurrectionis.

Interrogatus quibus presentibus, dixit quod nullus fuit presens liberationi, sed ipse suam liberationem et modum narravit primo Gemme et Iohanne, sororibus suis, et postea pluribus aliis qui viderant eum infirmum.

Qui domini inquisitores, volentes videre si dictus testis haberet potentiam in manibus suis, mandaverunt eum sublevare pondus centum librorum et ultra ; qui, in ipsorum presentia, pondus ipsum leviter sublevavit, ac manus dictis dominis (fol. 6v.) inquisitoribus ostendit sanas et ab omni tumore exemptas.

[Frater MANUEL de PIPERNO]

VIII. — Eodem die, decimo dicti mensis novembris, frater Manuel de Piperno, conversus monasterii Fosse Nove, testis simili modo citatus ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum per Iohannem Brisiensem, nuntium ante dictum, et iuratus in loco habitationis dicti domini Pandulphi, in monasterio Fosse Nove, coram ipsis dominis inquisitoribus super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino dicere puram et meram veritatem quam scit ex visu, auditu et credulitate et quod etiam ad interrogata super ipsa inquisitione veraciter respondebit, amore vel odio, prece, pretio, favore et subornatione sublatis, et primo interrogatus de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse testis vidit fratrem Nicolaum Zappum de Piperno, conversum dicti monasterii Fosse Nove, quem ab infantia sua cognovit — iam est triennium et ultra — infirmum in manibus, quarum iuncturas habet tumidas de quibus non poterat se iuvare ; et propter hoc fuit positus in infirmaria, cum aliis infirmis ; et postmodum vidit eum, et videt eum continue liberatum totaliter. Et audivit eum publice dicentem et pluries quod meritis et precibus beati Thome de Aquino, cui se recommendaverat, est liberatus a dolore, debilitate et tumore manuum predictarum, et videt eum ita fortem quod bene ligonizat et oleum exprimit de olivis et cetera facit que alii conversi faciunt.

IX. — (Fol. 7r.) Item dixit suo iuramento quod iam est quadriennium cum dimidio et plus quod ipse patiebatur tam gravem dolorem in brachio dextro et spatula quod sibi dictum brachium erat inutile. Et cum vehementi dolore et tunc accessit Pipernum, et fuit locutus cum Andrea dicto Papaleo cirurgico, et petiit ab eo remedium : qui dixit quod ipsum nesciebat iuvare nec ei aliquod consilium dare. Et tunc iens ad domum patris sui, invenit ibi Annexam, sororem suam, que compatiens eidem, dixit : « Quare non recommendas te beato Thome de Aquino ? » Qui respondit eidem : « Dimitte me

stare », et tandem rediens ad monasterium, cum dolore amplius gravaretur et brachium suspensum ad collum portaret et portasset per tres menses cum dimidio, devotione concepta, ivit ad tumulum dicti fratris Thome de Aquino et posuit se super ipsum tumulum quod est in monasterio Fosse Nove et se devote et humiliter pro liberatione dicte infirmitatis dicto beato Thome de Aquino recommendavit disponens quod, annis singulis (1), in die festi sui, daret pictantiam conventui dicti monasterii Fosse Nove XX solidorum si liberaret eumdem. Et tunc statim obdormivit ibidem, et dompnus Iacobus de Piperno, monachus dicti monasterii, tunc subsacrista dicti monasterii, veniens ad dictum tumulum, excitavit ipsum fratrem Manuelem a sompno, capiens eum per pannos dixit sibi : « Surge, quid facis hic ? ». Et ipse tunc evigilans invenit quod brachium, quod habuerat (fol. 7[v].) infirmum, excusserat de linteo quod habebat suspensum ad collum et more excitatorum a sompno ambas manus apposuit ad caput ut scalperet caput ; ex quo cognoscens se liberatum, dixit dicto fratri Iacobo : « Ego sum dives quia liberatus sum precibus et meritis beati Thome de Aquino cui me recommendavi ». Et ex tunc ab illa hora et citra, nunquam infirmitatem passus est in dicto brachio et spatula, sed fuit per Dei gratiam, et est ita fortis sicut fuerat ante dictam infirmitatem et eius sanitas evidenter apparet.

Interrogatus quo anno accessit ad dictum tumulum, dixit quod iam est quadriennium et parum plus. Interrogatus quo mense, dixit quod credit quod fuit de mense februarii ; de die tamen non recordatur. Item interrogatus quibus presentibus contigit sibi dictum miraculum, dixit quod presente dicto fratre Iacobo, alium ibi non vidit ; sed ipse testis postea fratribus dicti monasterii recitavit miraculum supradictum.

---

(1) Ms. addit : singulis.

[Frater PETRUS ANDREÆ de PIPERNO]

X. — Eodem mense novembris, die mercurii XI, frater Petrus Andree de Piperno, monachus monasterii Fosse Nove, testis simili modo vocatus per Andream de Castro Novo, clericum nuntium iuratum, ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, iuratus coram eis, in domo habitationis dicti domini Pandulphi, in dicto monasterio Fosse Nove, super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino dicere puram et meram (fol. 8r.) veritatem quam scit ex visu, auditu et credulitate et ad interrogata etiam veraciter respondere, amore, odio, prece, pretio, favore et subornatione qualibet sublatis, et interrogatus super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome, dixit suo iuramento quod Gemma germana ipsius fratris Petri cum infirmaretur et infirmata fuisset fere per mensem et graviter affligeretur passione febrili, ipse frater Petrus ivit videre et visitare eam Pipernum in domo paterna, et cum videret eam sic affligi, dixit eidem : « Recommenda te beato Thome de Aquino » et ipsa dicente quod libenter faciam (*sic*).

Ipse frater Petrus recessit ab ea (1) et reddiit ad monasterium ; et post quatuor dies, iterato, venit Pipernum videre dictam eius sororem et invenit eam liberatam ex toto et dixit sibi : « Frater Petre, bonum consilium dedisti michi, quia post recessum tuum recommendavi me beato Thome de Aquino, promittens eidem quod, si liberaret me, offerem ad sepulcrum suum unum votum argenteum ; et statim post dicta verba, fui meritis dicti beati Thome liberata. »

Interrogatus de anno quo hec fuerunt, dixit quod est transactum triennium, de mense autem et die non recordatur ; et dixit quod dicta soror sua dictum miraculum revelavit Iacobo fratri suo et multis aliis de Piperno.

(1) Ms : eo.

[LEONARDUS de PIPERNO]

XI. — Eodem die, Leonardus, filius Raymundi Sarraceni de Piperno (fol. 8v.) testis eodem modo vocatus per Iohannem Brisiensem, clericum nuntium iuratum predictorum dominorum inquisitorum, ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, iuratus coram eis in domo habitationis dicti domini Pandulphi, in dicto monasterio Fosse Nove, super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome, dicere puram et meram veritatem quam scit ex visu, auditu et credulitate et ad interrogata etiam veraciter respondere amore, odio, prece, pretio, favore et subornatione qualibet sublatis, et interrogatus super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod, in mense augusti proximo preterito, fuit annus quod ipse sic graviter infirmabatur febre quod omnes dicebant sibi quod nunquam comederet (1) panem ; et quod, post liberationem a febre, remansit sibi tantus dolor in lumbis quod non poterat se recte movere. Et tunc accedens ad tumulum beati Thome de Aquino, supra tumulum ipsum se posuit, eius in dicta infirmitate suffragium implorando, promittens, quod si liberaret eumdem, quod rediret ad eumdem tumulum cum candela et oblatione, et statim antequam homo posset dicere unum « Pater noster » sentiit se liberatum et, rectus surgens, rediit incolumis et sanatus.

Interrogatus de die quo fuit liberatus, dixit quod non recordatur.

Interrogatus de presentibus, dixit quod non advertit si aliquis erat ibi presens. (fol. 9r.) Interrogatus dictus testis quia iuvenis videbatur quot annorum esset, dixit quod credit esse XVIII annorum vel circa, et eisdem inquisitoribus eiusdem etatis videbatur.

(1) Ms : comedes.

[STEPHANIA, uxor PETRI]

XII. — Eodem die, XI dicti mensis, Stephania, uxor Petri dicti Boccasici de Piperno, testis simili modo vocata per dictum Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in domo habitationis dicti domini Pandulphi, in monasterio Fosse Nove, super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome, dicere puram et meram veritatem, quam scit ex visu, auditu et credulitate et etiam ad interrogata veraciter respondere amore, odio, prece et pretio, favore et subornatione qualibet sublatis, et interrogata de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome, dixit suo iuramento quod die veneris proxime venturi erunt XV dies, quod Petrus dictus Boccasicus maritus suus ivit Setiam de mandato Petri Leti de Piperno ; et equitavit unum pullum equinum dicti Petri Leti et rediens, dicto die, Pipernum ad domum suam, erat lesus in facie et dicebat quod ceciderat de dicto equo Setie, et lesus erat fortissime a latere dextro ; et posuit se in lecto, et die et nocte propter dolorem clamabat, neque dormire poterat ; et in isto dolore stetit ex tunc usque ad noctem diei dominice venientis. Qua nocte post aliqualem dormitionem, ipse Petrus vocavit eamdem dicens : « Stephania, ego sum liberatus, et nullum malum in [me] sentio, quia postquam (fol. 9v.) vovi me beato Thome de Aquino obdormivi et nunc sentio me curatum ».

Interrogata si audivit eumdem eius virum votum facientem, dixit quod non, dixit tamen quod dictus vir suus dixit sibi quod, illa eadem nocte, fecerat votum predictum.

[Frater STEPHANUS GOZUS]

XIII. — Eodem die, XI dicti mensis, frater Stephanus Gozus de Castro Iulgiani, Ferentini diocesis, testis eodem modo vocatus per dictum Iohannem Brisiensem, nuntium, ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, iuratus in pre-

sentia eorum in domo dicti domini Pandulphi, in monasterio Fosse Nove, modo predicto, interrogatus de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse testis cognoscit — sunt iam XX^ti anni et plus — et cognovit fratrem Nicolaum dictum Zappum, conversum dicti monasterii, et vidit eum infirmum etiam antequam fieret conversus et post ingressum dicti monasterii et patiebatur arteticam in manibus et tantum gravabatur dicta infirmitate quod se non poterat iuvare de dictis manibus sed manus dextra erat omni modo perdita et sibi inutilis ; et postea vidit, et videt, eum totaliter liberatum et sanatum de manibus, et facientem omnia cum manibus que sibi mandantur et que alii sani faciunt, et audivit eum dicentem quod ipse recommendaverat se beato Thome de Aquino et quod iverat ad sepulcrum suum et inde rediit sanus.

Interrogatus de anno, mense et die, [dixit quod] non recordatur. Interrogatus quantum tempus est quod vidit eum liberatum, dixit quod non bene recordatur, sed scit quod est plusquam annus.

[BARTHOLOMÆUS LEONARDI LEONIS de PIPERNO]

XIV. — Eodem die, XI dicti mensis, Bartholomeus Leonardi Leonis de Piperno, puer (fol. 10^r.) XIIII annorum vel circa, puer bone indolis et discretionis ut ipsis dominis inquisitoribus et nobis notariis videbatur, testis simili modo vocatus per Iohannem Brisiensem, nuntium predictorum dominorum, iuratus in presentia eorumdem, in domo supradicta, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse puer addiscit artem calsularie in monasterio Fosse Nove et magister suus, qui erat tunc vocatus frater Iohannes Marie, conversus dicti monasterii, qui magister mandavit sibi et duobus aliis pueris, videlicet Petro Schimane et Stephano, filio Margarite Selle de Piperno, discipulis suis, quod irent ad expurgandum et verberandum copertorium lecti ipsius fratris Iohannis, dicens

eis quod irent ad minianum ubi erat dictum copertorium. Et dum ipse Bartholomeus verberaret dictum copertorium et appodiasset se ad unam tabulam dicti miniani que, cum debiliter esset clavata, subito corruens, ipse etiam simul corruit cum ea. In quo casu, ipse Bartholomeus, exclamans antequam perveniret ad terram, dixit : « Beate Thoma de Aquino, adiuva me. » Qui, post invocationem predictam, in terram rectus pervenit, et quia modico dolore tangebatur, venit ad tumulum dicti beati Thome cum predicto Petro Schimane ; et genibus flexis gratias agens dicto beato Thome sine omni dolore surrexit et rediens cum dicto Petro, coetaneo suo, et invitatus ab eo si vellet currere cum eo, cucurrit cum ipso Petro et eum processit in cursu.

Interrogatus quantum tempus est quod fuerunt predicta, dixit quod fuit post Pascha per XV dies et in paschate preterito fuit annus vel circa, de mense et die aliter non recordatur. Interrogatus de altitudine (1) dicti miniani ad terram, dixit quod ad staturam trium hominum communium.

[PETRUS SCHIMANÆ de PIPERNO]

XV. — Eodem die, Petrus Schimane de Piperno, puer XIII annorum vel (fol. 10ᵛ.) circiter ut ipse asserebat et aspectu videbatur, testis citatus coram dictis dominis inquisitoribus per Iohannem Brisiensem, nuntium predictum, iuratus in presentia eorumdem dominorum in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse et Bartholomeus Leonardi Leonis et Stephanus Margarite Selle de Piperno erant discipuli, in arte calsularie, fratris Iohannis Marie, conversi monasterii Fosse Nove, et ipse frater Iohannes mandavit ipsis tribus quod irent ad quoddam minianum, quod erat propre locum ubi dictus frater Iohannes iacebat, et expurgarent ibidem unum copertorium ipsius conversi : quod cum ipsi iverunt illuc, et eis incipientibus excu-

(1) Ms : artitudine.

tere dictum copertorium, ipse Bartholomeus Leonardi appropinquavit ad unam tabulam dicti miniani que statim cecidit in terram et ipse cum ea. Ipse vero Petrus et Stephanus, ad sublevationem ipsius Bartholomei, statim per scalas descendentes iverunt ad viridarium ubi dictus Bartholomeus ceciderat. Qui dixit eis quod meritis beati Thome de Aquino cui se dum caderet recommendavit, rectus in terram cecidit, et quia modicum doloris sentiit, ipse Petrus, testis, persuasit sibi quod iret ad tumulum dicti beati Thome, et ipsi tunc venerunt ad dictum sepulcrum et dictus Bartholomeus posuit se ad sepulcrum predictum et modicum ibi stetit et recessit ut dicebat absque dolore et ut apparebat, ita bene ambulabat et currebat ut prius, et ex tunc nullum dolorem sentiit ex casu predicto.

Interrogatus quo tempore fuit dictus casus et miraculum, dixit quod fuit tempore Paschali, Resurrectionis dominice. Interrogatus si fuit in Paschate proximo preterito, dixit quod non sed in isto Paschate fuit annus ita quod in Paschate futuro erit biennium. Interrogatus de mense et die, dixit quod non recordatur alio modo. Interrogatus quante altitudinis a terra erat dictum minianum, de (fol. 11r.) quo cecidit, dixit secundum ostensionem quam dictis dominis inquisitoribus fecit, que ascendit (1) ad statum trium hominum communium.

Interrogatus si fuerunt alii presentes casui predicto, dixit quod non quod ipse perpenderit. Interrogatus quomodo cognoscit dictum Bartholomeum, dixit quia cognovit et cognoscit eum ut socium suum ad artem calsularie et utebatur et utitur cum eo.

Qui domini inquisitores et nos notarii supradicti postea accessimus ad locum dicti miniani ut videremus locum dicte altitudinis, et vidimus dictum locum esse ad altitudinem stature trium hominum communium et ultra.

(1) Ms : ascendent.

[Frater MARCUS THEBALDI de PIPERNO]

XVI. — Eodem die, XI mensis predicti, frater Marchus Thebaldi de Piperno, conversus monasterii Fosse Nove, testis simili modo citatus per Iohannem Brisiensem predictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse in estate proxime preterita, de mense augusti, patiebatur febrem continuam quam passus fuerat XI dies continuos ; et tunc recordatus de beato Thoma de Aquino circa primum sompnum recommendavit se eidem beato Thome quod removeret febrem ab ipso, et si faceret quod ipse frater Marchus faceret cantari unam missam (1) in honorem ipsius, et quod, eadem hora, post votum dormivit usque mane, et tunc mundum a febre et sanum se invenit adeo quod de domo in qua iacuerat infirmus exivit et per monasterium ambulavit.

Interrogatus qui erant qui sciebant egritudinem suam, dixit quod frater Nicolaus Quinque (fol. 11ᵛ.) Solli, conversus et magister domus infirmarie, et frater Petrus Francisci de Piperno, conversus eiusdem monasterii et quam plures alii.

Interrogatus si erant aliqui presentes quando votum emisit, dixit quod non, nisi solus Deus et beatus Thomas.

Interrogatus si alicui dixit causam liberationis sue, dixit [quod] causam ipsam dixit dicto fratri Nicolao Quinque Solli. Interrogatus de anno et mense, dixit ut supra. Interrogatus de die, dixit quod non recordatur.

[IACOBUS BARTHOLOMÆI de SOMPNINO]

XVII. — Die iovis, XII mensis novembris, Iacobus Bartholomei de Sompnino, presbyter ecclesie sancti Angeli de dicto loco, Terracinensis diocesis, testis eodem modo cita-

(1) Ms : misam.

tus per dictum Iohannem Brisiensem, nuntium predictorum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto et modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno, de mense octobris proxime preterito, vidit Iacobam Waldebruni, mulierem de dicto castro Sompnini, habentem ab uno latere gutturis unum tumorem grossum ad quantitatem duorum pugnorum hominis communis. Ex quo tumore adeo dicta mulier gravabatur quod vix respirare poterat et intelligibiliter loqui. Que, dum pro remedio recuperande sanitatis Pipernum accedens ad magistrum Andream dictum Papaleo cirurgicum, et in itinere constituta, audisset (1) nolarum sonum (2) campanile monasterii Fosse Nove, et memor existens de beato Thoma de Aquino qui ibidem requiescit, devotione concepta, se eidem beato Thome pro recuperanda sanitate absque aliqua incisione devote devovit. Que, cum pervenisset ad medicum seu cirurgicum supra dictum, de dicto tumore sibi ostenso ipse cirurgicus deliberavit in crastinum ipsum tumorem cum ferro aperire. Que cum in crastino nullum vel quasi modicum tumorem haberet in gutture, eam quasi sanatam noluit cum ferro contingere (fol. 12r.) et ipsa Iacoba, illo eodem die, ad domum suam Sompnini pro sanata regressa est, et ipsi sacerdoti se exhibuit dicto die cum modico tumore et libera voce reseravit eidem se meritis beati Thome de Aquino predicti, in forma predicta, fore sanatam et postea dictus tumor infra paucos dies recessit.

Interrogatus si recolit de die, dixit quod non. Interrogatus si cognoscit dictam mulierem, dixit quod sic quia est consanguinea sua et parrochiana et commatis (*sic*). Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quia ea que dixit se vidisse, vidit, et ea que dixit se audivisse, audivit ab ea. Interrogatus cuius etatis est dicta mulier, dixit quod credit quod sit XXX annorum vel circa.

XVIII. — Item dixit quod ipse testis vidit quandam puel-

(1) Ms : vidisset. — (2) Ms : sone.

lam filiam Landulfi dicti Tace et Sophie, uxoris dicti Landulfi, de dicto castro Sompnini, etatis sex annorum vel circa, clamantem et se vertentem ad modum unius serpentis et quasi demoniace ; et hec passa fuit per triduum et mater dicte puelle duxit eam ad ecclesiam dicti sacerdotis ut ipse sacerdos diceret orationes super eam. Et eo dicente evangelium sancti Iohannis : « In principio erat Verbum... » super eam cum multis orationibus, aspergendo super eam etiam aquam benedictam, nullatenus extitit liberata. Et tunc ipse sacerdos dixit matri ipsius puelle : « Recommendetis vos pro liberatione huius beato Thome de Aquino. » Et dicta mater cum filia sic clamante et ullulante domum rediit, et sequenti die circa horam prandii, ipso sacerdote ante domum dicte Sophie, matris dicte puelle, transeunte, ipsa Sophia, ostendendo sibi dictam puellam filiam sanam, dixit eidem : « Videte quanta bona fecit nobis beatus Thomas de Aquino qui istam puellam liberavit quam sibi recommendavimus », et dictus sacerdos tunc et postea vidit eam sanam.

Interrogatus si cognoscit dictam puellam et matrem, dixit quod sic quia sunt eiusdem (fol. 12v.) parrochiane et vicine. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit de presenti anno, de mense octobris proxime preterito ; de die non recordatur.

XIX. — Item dixit quod vidit Bartholomeum Bonihominis, parrochianum eiusdem sacerdotis, graviter infirmum in oculis ita quod vix videbat et defluebant turpiter humores circa oculos. Quem dictus presbyter interrogavit dicens : « Quid habes, Bartholomee ? » Qui respondit : « Destructus sum, quia hoc anno propter hanc infirmitatem quam patior in oculis non potero laborare. » Et postmodum triduo transacto, vidit eum liberatum ex toto, et dixit ei ipse sacerdos : « Quomodo, tu, Bartholomee, es ita cito liberatus ? » Qui respondit : « Certe meritis beati Thome de Aquino cui me devote recomendavi. »

Interrogatus quo anno fuerunt hec, dixit quod de presenti anno, de mense octobris proximo preterito, de die non recordatur. Interrogatus quanto tempore passus fuit dictus Bartholomeus egritudinem oculorum, dixit quod bene per XX dies.

Interrogatus cuius etatis [est] nunc dictus Bartholomeus, dixit quod excessit sexagesimum annum sicut credit firmiter. Interrogatus de etate ipsius sacerdotis, dixit quod est quadraginta annorum.

[IOHANNES VARALUS]

XX. — Eodem die, XII mensis novembris, Iohannes Varalus de castro Sompnini, clericus ecclesie sancti Petri de dicto castro, testis simili modo citatus per eundem Iohannem nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco habitationis predicte, modo et forma predictis, interrogatus per predictos dominos de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Bartholomeum (fol. 13r.) Bonihominis de dicto castro qui de hoc anno fere per duos menses passus fuerat infirmitatem oculorum et dicentem quod vix et parum videbat. Et post modum vidit eum plene sanatum dicentem sibi quod postquam die martis se humiliter et devote devoverat beato Thome de Aquino, de mane sequentis diei mercurii reperiit se plene curatum et ex tunc vidit eum, et videt, facientem facta sua sicut ante dictam egritudinem faciebat.

Interrogatus quo anno fuerunt hec, dixit quod liberatus fuit hoc anno de mense octobris ut firmiter credit. Interrogatus quo die martis dicti mensis, dixit quod non recordatur. Interrogatus cuius etatis est dictus Bartholomeus, dixit quod credit quod sit LX annorum vel circa. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est XXX annorum et plurium.

[AMATUS BRUNI]

XXI. — Eodem die iovis, XII predicti mensis, Amatus Bruni de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citatus per dictum nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in domo supradicta, modo et forma superius prefatis, interrogatus per dictos [dominos] inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse habuit per sex annos et amplius in

inguine ex parte dextra unam grossiciem, a principio, unius avellane, et postmodum crevit ad grossiciem unius galline, et hec erat ex decensu intestinorum et propterea portabat, de consilio magistri Andree de Iulgiano, experti in talibus, lumbar seu bracale quod cretti (?) portare consueverunt ; et interdum de consilio ipsius (fol. 13v.) medici usus est quibusdam medicamentis circa dictam grossiciem, sed nullum breviter ex dictis medicamentis sentiebat iuvamen. Et postmodum, devotione concepta, recommendavit se beato Thome de Aquino promittens quod si liberaret eundem quod offerret supra sepulturam suam unum lumbar seu bracale argenteum. Qui, post votum predictum, infra XV dies, sentiit se totaliter curatum et destitit a portatione dicti lumbaris seu bracalis et dicit quod nunquam sensiit se melius, etiam ante egritudinem inchoatam.

Interrogatus quo anno vovit, [dixit] quod de hoc anno iam sunt tres menses, de mense autem certo et die non recordatur. Interrogatus qui sciebant eum passum fuisse dictam egritudinem et grossiciem, dixit (1) quod dictus magister Andreas, Romana uxor ipsius Amati et Nicolaus Bruni germanus eiusdem.

Qui domini inquisitores mandaverunt magistro Nicolao de Tibure, medico, et Geraldo, familiaribus eiusdem domini Pandulphi, domino Nicolao Peruginis de Sompnino, domino Matheo de Reate, canonico Reatino, presentibus, et nobis predictis notariis quod inspiceremus si grossicies predicta cessavit et si portabat lumbar seu bracale quo cretti uti consueverunt : qui postmodum omnes statim de mandato ipsorum dominorum inquisitorum vidimus locum ubi ipse dixerat fuisse grossiciem, in quo loco nullam grossiciem vidimus, nec lumbar portabat, et dictus medicus dicebat eum esse sanatum, et sic dictis dominis inquisitoribus retulerunt, nobis presentibus, et nos notarii retulimus.

(1) Ms : dictus.

[FLORIA NICOLAI]

XXII. — Eodem die, XII mensis novembris, Floria Nicolai de (fol. 14r.) castro Sompnini, testis simili modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium predictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, et interrogata per dictos dominos inquisitores (1) super miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Leo, nepos suus ex filia sua, puer tunc trium annorum vel circa, passus fuit infirmitatem cum tam vehementi calore quod in octavo die credidit eum mortuum ex dicta infirmitate, et dum sic eum quasi mortuum, iacentem in lecto, aspiceret, ipsum puerum Deo et beato Thome de Aquino devovit, ut eum liberaret, et voto emisso, ivit ad ecclesiam sancti Angeli de Sompnino ad audiendam (2) missam, puero dimisso in lecto predicto. Post missam vero rediens domum, invenit puerum ipsum sanatum et ambulantem, et ludentem cum pueris, fratribus et consobrinis coetaneis suis, et dixit quod illo eodem die, redeunte Cressentio Novello, genero suo, patre ipsius pueri, domum, dixit eidem : « Fili mi, benedictus sit Deus quia puer iste, filius tuus, sanatus est meritis beati Thome de Aquino cui recommendavi eundem. »

Interrogata de tempore, dixit quod anno preterito de mense maii ; interrogata de die, dixit quod non recordatur. Interrogata si postmodum rediit dictus calor et infirmitas ad ipsum puerum, dixit quod non, immo ex tunc fuit et est sanus.

XXIII. — Item dixit quod vidit Bartholomeum Bonihominis de dicto castro Sompnini (fol. 14v.) graviter infirmatum morbo oculorum fere per tres menses ita quod vix videre poterat ; et postmodum vidit eum sanatum et dicentem sibi quod meritis beati Thome de Aquino fuerit liberatus cui se voverat. Interrogata si cognoscit eum, dixit quod sic, quia fuit de eadem parrochia in dicto castro. Interrogata de tempore

(1) Ms : inquisitos. — (2) Ms : udiendam.

dicti Bartholomei, dixit quod est etatis LX annorum vel circa.

Item dixit quod multa alia miracula meritis dicti beati Thome de Aquino facta sunt in dicto castro Sompnini de quibus vulgaris fama habetur in castro predicto.

[ROMANA, uxor AMATI BRUNI]

XXIV. — Eodem die, Romana, uxor Amati Bruni de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco et modo et forma predictis, interrogata per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa vidit dictum Amatum virum suum infirmum in inguine a latere dextro, habentem unam grossiciem ad quantitatem unius bone nucis et propter hoc, ut ipse vir suus dicebat, portabat lumbar seu bracale quo utuntur cretti (?) et videbat cotidie eum portantem et dicentem quod medici non poterant eum iuvare remediis eorum, et postmodum vidit et videt eum liberatum a dicta grossicie et infirmitate, nec portat de cetero lumbar seu bracale, et est sanus sicut ante egritudinem fuerat et dicebat idem vir (fol. 15ʳ.) suus quod hec fecerat beatus Thomas de Aquino cui se devote recommendaverat.

Interrogata per quantum tempus vidit eum pati dictam grossiciem et portantem dictum lumbar seu bracale, dixit quod plus quam per duos annos. Interrogata quantum tempus est quod fuit liberatus et quod dictus vir suus dixit sibi dicta verba, dixit quod sunt circa tres menses. Interrogata de die, dixit quod non recordatur. Interrogata quomodo scit, dixit quia vidit, palpavit et audivit a viro suo predicto.

[NICOLAUS SICÆ]

XXV. — Eodem die iovis, XII dicti mensis, Nicolaus Sice, clericus de Sompnino, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum do-

minorum, in loco predicto et eo modo quo supra, interrogatus de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse Nicolaus vidit hoc anno quod Bartholomeus Bonihominis de Sompnino patiebatur tantum infirmitatem in oculis quod vix aut parum videre poterat ; et turpe valde erat videre oculos eius pre nimia rubedine eorum ; et istam egritudinem oculorum passus est per duos menses vel circa ; et postea vidit eum totaliter liberatum et habentem pulcros oculos sicut ante habuerat et incedentem et laborantem sicut prius ; et dixit sibi dictus Bartholomeus et pluribus aliis quod liberatus erat meritis et precibus beati Thome de Aquino cui se pro liberatione dicte infirmitatis sue recommendaverat.

Interrogatus quantum tempus est quod audivit eum dicentem sibi verba liberationis sue, dixit quod iam est mensis ; de die non recordatur.

Interrogatus si cognoscit eundem Bartholomeum, dixit quod sic, quia est eiusdem castri et eius affinis et vicinus. (fol. 15v.) Interrogatus cuius etatis est ipse Bartholomeus, dixit quod est etatis LX annorum vel circa.

[BARTHOLOMÆUS THEOBALDI]

XXVI. — Eodem die iovis, XII dicti mensis, Bartholomeus Theobaldi, dictus alias Capo grizo, de castro Sompnini, testis citatus eodem modo per dictum Iohannem Brisiensem, nuntium predictorum dominorum, iuratus in presentia dictorum dominorum in loco predicto et modo quo supra, interrogatus per dictos dominos inquisitores super miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod iam sunt quinque anni et ultra quod dum ipse staret ad ligonizandum in quodam monte qui dictur Morgazano, ex casu percussit se in digito maiori pedis dextri cum ligone cum sanguinis effusione, propter quod habuit recursum ad multos cirurgicos, et multis medicamentis usus est de consilio dictorum medicorum ; sed finaliter nichil sibi profuerunt, et iam est annus et ultra quod ipse humiliter et devote se recommendavit beato Thome de Aquino quodam

sero ; et de mane sanus surrexit adeo quod vix aliquis posset cognoscere locum ictus, et ex tunc exercuit actus suos sicut ante. Interrogatus quo mense percussit se, dixit quod erat tempus yemale, de mense non recordatur, sed erat nix tunc super montem predictum.

Interrogatus quo mense recommendavit se beato Thome, dixit quod non recordatur de mense nec de die. Interrogatus qui sciebant dictum ictum, dixit quod Bartholomea (fol. 16^{r}.) uxor sua, Theobaldus, pater eius, et Petrus Riccardi de Sompnino et multi alii de dicto castro.

XXVII. — Item dixit suo iuramento quod iam sunt XV anni elapsi vel circa quod ipse sentiit egritudinem in tibiis et pedibus quod perfecte et libere ambulare non poterat, ambulabat tamen, sed dictam egritudinem occultabat. Aliquibus tamen medicamentis de consilio magistri Andree dicti Papaleo usus est que in nullo sibi profuerunt, et ipse postmodum recommendavit se — iam est annus et ultra — eidem beato Thome de Aquino dum iaceret in lecto, supplicans quod ipsum liberaret a dicta egritudine ; et de mane dum surgeret, meritis dicti beati Thome invenit se liberatum ex toto et ita fortem sicut antea fuerat, cicatricibus in ipsis tibiis remanentibus, quas dicti domini inquisitores videre voluerunt, viderunt ac eum ambulare et currere fecerunt.

Interrogatus quo mense recommendavit se dicto beato Thome, dixit quod non recordatur. Interrogatus si sciunt aliqui quod ipse voverit dicto beato Thome, dixit quod ipse recitavit dictum votum et miraculum patri et uxori suis. Interrogatus etate ipsius testis, dixit quod est XXXIIII^{or} annorum vel circa.

[NICOLAUS INFFANCELLI]

XXVIII. — Die veneris, XIII mensis novembris, Nicolaus Inffancelli Raymundi de castro Sompnini, testis citatus per eundem Iohannem, nuntium, ad presentiam dictorum dominorum, iuratus in eorum presentia, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores

de miraculis (fol. 16v.) eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de mense iunii, ipse, in manu sinistra, inter brachium et manum, habuit unum apostema propter quod, fere per annum, manum habuit inutilem, et medicorum remediis, licet apostema esset sanatum, usus manus sibi restitui non valuit. Demum sequenti mense iunii, anno revoluto, mater eius et ipse recommendaverunt se beato Thome de Aquino ut eidem manum sanaret ita quod posset opera rustica exercere et venit ad tumulum dicti beati Thome ad paucos dies post dictam recomendationem, et ibi se prostravit et humiliter recommendavit eidem : et obdormiens ibidem, sanus et potens manu surrexit, et ex tunc ut quilibet sanus cum eadem manu operatur, et ad domum rediit sanatus et matri et patri ac sorori sue narravit.

Interrogatus quantum tempus est [quod in] cepit egritudo predicta, dixit quod in iunio proxime preterito fuit biennium quod incepit. Interrogatus quantum tempus est quod recommendavit (1) se dicto beato Thome et quod fuit liberatus, dixit quod isto mense iunii proxime preterito fuit annus ita quod egritudinem predictam portavit per unum annum. Interrogatus qui fuerunt presentes quando venit ad dictum tumulum et fuit sanatus, dixit quod fuit secum quidam de dicto castro Sompnini qui dicitur Capo Grizo.

[Frater VALDEBRUNUS FROCIÆ]

XXIX. — (Fol. 17r.) Eodem die, XIII dicti mensis novembris, frater Valdebrunus Frocie, conversus monasterii Fosse Nove, testis simili modo citatus per dictum Iohannem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in domo habitationis predicte, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos super miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod circa festum Nativitatis Domini nostri Ihesu Christi proxime venturum, per octo dies post erit biennium, de die tamen non recordatur, quadam nocte, dum iaceret in lecto suo, su-

(1) Ms : recordavit.

pervenit sibi quidam dolor in brachio dextro et spatula dextra in tantum quod ab illa hora usque ad festum beati Andree proxime tunc sequens non potuit se iuvare de dicto brachio nec de manu, nec exercere artem suam carpentarie, nec super latus dextrum dormire, propter quod positus erat totaliter in infirmaria cum aliis infirmis. Et tunc, quadam nocte, devote et humiliter se recommendavit beato Thome de Aquino promittens quod si liberaret eundem, offeret unum votum argenteum supra sepulturam suam. Quo voto facto, obdormivit, et de mane sanus totaliter a dicta infirmitate surrexit

Interrogatus quo mense incepit sibi egritudo et vovit, dixit quod non recordatur alio modo nisi sicut dixit. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est XL annorum vel circa. (fol. 17v.) Interrogatus quanto tempore stetit in ordine, dixit quod in mense maii proxime preterito fuerunt XXXVII anni quod factus est conversus in monasterio Fosse Nove.

Interrogatus qui erant scientes ipsam suam egritudinem, dixit quod Petrus Amati et multi alii de dicto monasterio de quibus non recordatur.

[BARTHOLOMÆUS BONIHOMINIS]

XXX. — Eodem die veneris, Bartholomeus Bonihominis de castro Sompnini, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in eorum presentia, in loco predicto, modo et forma premissis, interrogatus per ipsos dictos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod in mense iunii proxime preteriti supervenit sibi egritudo in oculis cum tanto ardore et dolore quod videbatur sibi quod in oculis haberet quasi ignem, et parum videre poterat, nec poterat etiam laborare in campo sicut alii laborantes faciunt, et vix ire poterat nisi baculum vel aliquem ducentem se haberet, et in hoc dolore et ardore fuit fere usque ad medium mensis octobris proxime preteritum. Et quodam die martis ipsius mensis, circa vesperas, humiliter et devote se recomendavit Deo et beato Thome de Aquino ut eum dignaretur liberare a

tanto dolore et ardore et lumen sibi reddere, promittens quod si liberaret eumdem quod, nudis pedibus, cum candela accensa et oblatione, visitaret sepulcrum ipsius beati Thome de Aquino. Quo voto facto, in crastino die mercurii, de mane, reperiit se meritis, ut firmiter (fol. 18r.) credit, beati Thome integre liberatum a morbo predicto et ex tunc sine ardore et dolore fuit et vidit et videt ut prius. Quem dicti inquisitores et nos, notarii predicti, cum eum examinabimus (1), viderunt et vidimus habere oculos claros et pulcros et perpendimus eum bene videre.

Interrogatus si aliqui fuerunt presentes quando emisit votum predictum, dixit quod non, nisi solus Deus et beatus Thomas de Aquino. Interrogatus qui erant scientes istam egritudinem et liberationem suam, dixit quod Bonesia, uxor eius, Hermenia, filia eius, et quam plurimi habitatores dicti castri. Interrogatus cuius etatis est dictus testis, dixit quod excessit LX annum.

[SARACENA]

XXXI. — Eodem die, Saracena Infancelli Raymundi de castro Sompnini, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa vidit Nicolaum Infancelli, fratrem suum, in manu sinistra patientem apostema inter manum et brachium, et dixit quod multis medicamentis usus fuit dictus eius frater pro liberatione ipsius apostematis ; que licet apostema sanassent, manus tamen remansit inutilis ita quod de ea non poterat se iuvare fere per annum. Et tunc ipsa audivit matrem eorum nomine Adinnariam, que nimium affligebatur de inutilitate manus dicti filii sui, recomendantem et voventem dictum filium suum beato Thome de Aquino (fol. 18v.) et promittentem quod eum mitteret ad sepulcrum ipsius in Fossa Nova. Quo voto facto, post paucos dies, dic-

(1) Ms : examinabamus.

tus Nicolaus, frater eius, sicut sibi retulit, venit ad dictum sepulcrum et rediens dixit se sanatum meritis beati Thome de Aquino, et ex tunc vidit et videt eum facientem opera rusticorum cum dicta manu sicut ante infirmitatem predictam fecerat.

Interrogata quantum tempus est quod incepit dicta egritudo, dixit quod sunt duo anni cum dimidio vel circa. Interrogata quantum tempus est quod fuit liberatus, dixit quod est annus cum dimidio vel circa. Interrogata cuius etatis est ipsa testis, dixit quod nescit, sed dictis dominis inquisitoribus et nobis notariis videtur XXV annorum et amplius. Interrogata quomodo scit predicta, dixit quod vidit ea que dixit vidisse et audivit ea que dixit audivisse.

[INFANCELLUS RAYMUNDI]

XXXII. — Eodem die, Infancellus Raymundi de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem Brisiensem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Nicolaum Infancelli, eius filium, patientem in manu sinistra quoddam apostema inter manum et brachium et dixit quod multis medicamentis usus fuit que (fol. 19ʳ.) parum vel nichil profuerunt eidem ; et ideo quia dictus eius filius habebat manum inutilem, eumdem tam ipse quam Adinnaria, uxor eius, voverunt et recomendaverunt beato Thome de Aquino pro eiusdem manus curatione. Qui filius, post dictum votum, veniens ad sepulcrum dicti beati Thome, ponens se super sepulcrum ipsius, obdormivit ibidem secundum quod dictus filius suus sibi narravit, et post modicum sanus surrexit et tunc ipse vidit et videt eum sanum de dicta manu, licet habeat ibi cicatricem.

Interrogatus de tempore quo incepit egritudo, dixit quod in fine maii vel in principio iunii proxime preteriti fuit biennium.

Interrogatus quantum tempus est quod fuit liberatus, dixit quod est annus cum dimidio vel circa. Interrogatus quante etatis est dictus filius suus, dixit quod XXIV^{or} annorum vel circa.

[VALDEBRUNUS LEONIS]

XXXIII. — Eodem die, Valdebrunus Leonis de castro Sompnini testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus (1) in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse vidit, hoc anno, de mense iunii proxime preterito, Bartholomeum Bonihominis de dicto castro patientem egritudinem in oculis ; et adeo gravabatur dicta egritudine quod parum aut (fol. 19^{r}.) nichil videre poterat et hanc infirmitatem passus est ab ipso mense iunii usque ad finem mensis octobris proxime preteriti vel circa ; et iam sunt XV dies elapsi et plus quod vidit eum plene curatum de dicta egritudine, et dixit sibi quod se devote recomendaverat beato Thome de Aquino quod liberaret eum a dicta egritudine et quod post dictum votum incontinenti quasi fuit liberatus et postea vidit eum, et videt continue, habentem oculos sanos sicut ante habuerat.

Interrogatus si cognoscit dictum Bartholomeum, dixit quod sic, quia fuit et est eius vicinus. Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quia vidit et audivit prout deposuit. Interrogatus cuius etatis est dictus testis, dixit quod est LX annorum vel ultra. Interrogatus cuius etatis est dictus Bartholomeus, dixit quod est LX annorum et ultra ut credit.

(1) Ms : iuratutus.

[Frater IACOBUS NICOLAI de PIPERNO]

XXXIV. — Eodem die, frater Iacobus Nicolai de Piperno, presbiter et monachus monasterii Fosse Nove, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco habitationis predicte, modo predicto, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse (fol. 20r.) vidit fratrem Manuelem de Piperno, conversum eiusdem monasterii, patientem egritudinem in uno brachio suo et portantem dictum brachium ad collum et non valentem se iuvare de dicto brachio. Postea ipse frater Iacobus, existens sacrista dicti monasterii, quodam die, veniens ad ecclesiam in qua est sepulcrum ipsius beati Thome, invenit ipsum fratrem Manuelem iacentem et dormientem supra sepulcrum predictum et tunc ipse testis excitavit dictum fratrem Manuelem dicens : « Quid facis hic ? » Qui expergefactus, elevatis brachiis, adhuc eo tenente linteum ad collum, dixit : « Benedicatur Deus et beatus Thomas de Aquino cui me recomendaveram, quia eius meritis sum modo curatus de brachio. » Et ex tunc vidit eum, et videt, sanum de brachio predicto.

Interrogatus in quo brachio fuit passus dictam egritudinem, dixit quod non bene recordatur. Item interrogatus quantum tempus est quod vidit eum patientem dictum dolorem, dixit quod sunt quinque anni vel circa, quod vidit eum sic infirmum ac iacentem et liberatum.

Interrogatus si cognoscit eundem fratrem Manuelem, dixit quod sic quia erat et est conversus dicti monasterii. Interrogatus cuius etatis est dictus frater Manuel, dixit quod est XXXVI annorum vel circa. Interrogatus de etate sua, dixit quod est etatis nunc XXXa annorum vel circa.

XXXV. — (Fol. 20v.) Item dixit quod, quodam die quo ibat ad monasterium sancte Marie de Cannis, positum prope castrum Sompnini, una cum fratre Nicolao de Frusinone et fra-

tre Iohanne de Terracena, monachis dicti monasterii, ad funus cuiusdam monialis dicti loci, vasta tempestas grandinis supervenit eis existentibus in itinere in monte Varigioli per quem itur ad dictum monasterium, quod sentiens graves ictus grandinis in capite, manu et aliis partibus corporis, sic fuit exterritus quod credidit sibi mortis periculum imminere pro eo quod grana grandinis supradicte erant grossa sicut nuces et erat etiam magna nigredo in aere ; et tunc exclamans magna voce dixit : « Sancte Thoma de Aquino, adiuva me. » Et confestim tempestas grandinis cessavit et aer extitit (1) serenatus.

Interrogatus quo tempore hec sunt, dixit quod fuit post vindemias iam sunt quinque anni vel circa, prout credit.

[Frater NICOLAUS de FRUSINONE]

XXXVI. — Eodem die, frater Nicolaus de Frusinone (2), monachus dicti monasterii, testi eodem modo vocatus per eosdem dominos inquisitores, iuratus in loco predicto, in eorum presentia modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos de miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod cum quadam die ipse iret ad monasterium sancte Marie de Cannis propre castrum Sompnini ad quoddam funus cuiusdam monialis ibidem defuncte, una cum fratre Iacobo de Piperno et fratre Iohanne de Terracena, monachis eiusdem monasterii, eis in itinere constitutis subito supervenit magna tempestas aque (fol. 21r.) simul et grandinis et cum lederentur ab aqua et grandine, dictus frater Iacobus exclamavit voce magna dicens : « Beate Thoma de Aquino, adiuva me ». Et incontinenti grando (3) simul et aqua cessarunt.

Interrogatus quantum tempus est, dixit quod non bene recordatur. Interrogatus si erat tempus estivum vel yemale, dixit quod erat tempus estivum ut credit, de mense et die non recordatur. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est LXIIII annorum vel circa.

(1) Ms : extit. — (2) Frusinono. — (3) Ms : grado.

[Frater IOHANNES de TERRACENA]

XXXVII. — Eodem die, frater Iohannes de Terracena, presbiter et monachus monasterii Fosse Nove, testis eodem modo citatus ad presentiam dictorum dominorum per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod cum, quadam die, ipse, una cum fratribus Iacobo de Piperno et Nicolao de Frusinone, monachis dicti monasterii, iret ad monasterium sancte Marie de Cannis propre Sompninum ad funus, ut putat, cuiusdam monialis ibidem defuncte ; eis in itinere constitutis supervenit magna tempestas aque, postmodum cessavit tempestas et tempus est serenatum, et tunc frater Iacobus dixit : « Benedictus sit Deus et beatus Thomas de Aquino cui me recommendavi quia fecit cessare istam turbationem temporum. »

Interrogatus si audivit ipsum fratrem Iacobum invocantem beatum (fol. 21ᵛ.) Thomam de Aquino, dixit quod non recordatur. Interrogatus quantum tempus est quod fuit dicta tempestas, dixit quod sunt quatuor anni vel circa, sicut credit. Interrogatus si erat tempus estivum vel yemale, dixit quod non recordatur.

[IACOBUS de PIPERNO]

XXXVIII. — Die sabbati, XIIII mensis novembris, magister Iacobus de Piperno, marescallus, oblatus monasterii Fosse Nove, testis eodem modo citatus per eundem Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno passus est tantam debilitatem et tantum dolorem in tibiis et genibus quod sine duobus baculis ire et ambulare non

poterat ; et istum dolorem et debilitatem passus est per septem ebdomadas, et postmodum veniens ad sepulcrum beati Thome de Aquino humiliter et devote et etiam cum lacrimis recomendavit se eidem beato Thome quod eum liberare dignaretur a dolore et debilitate predictis. Et accipiens palium sericum quod erat super dictum (1) sepulcrum cum ipso palio tetigit tibias et genua sua, involvens etiam ipsa genua et tibias cum ipso palio, et incontinenti meritis eiusdem beati Thome de Aquino liberatus surrexit, et ex tunc sine baculis ivit et vadit sicut ibat ante dictam infirmitatem .

(Fol. 22r.) Interrogatus qui erant scientes dictam egritudinem, dixit quod sciebant eam frater Leonardus Sancorella de Piperno, conversus monasterii Fosse [Nove] et Iohannes Cosse de Piperno, Iacoba Porena, uxor sua, et fere omnes monachi et conversi dicti monasterii qui continue videbant eum quia in dicto monasterio residebat et residet.

Interrogatus si erant aliqui presentes quando ipse recomendavit se beato Thome et extitit liberatus, dixit quod, parum ante, omnes monachi ibi existentes recesserant, missa dicta, et ipse solus tunc accessit ad sepulcrum et recomendavit se, ut supra deposuit.

Interrogatus si narravit aliquibus dictam liberationem tunc, dixit quod egrediens sanus de ecclesia vidit fratrem Nicolaum de Frusinone (2), monachum et priorem dicti monasterii, ante ipsam ecclesiam et dixit sibi : « Scribatis quod meritis beati Thome de Aquino, Deus liberavit me sicut videtis. » Et postmodum dixit fratri Leonardo Sancorelle et Iohanni Cosse predictis et quam pluribus aliis dicti monasterii.

Interrogatus de mense curationis sue predicte, dixit quod fuit de mense augusti proxime preterito. Interrogatus si recolit de die, dixit quod non. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est LX annorum vel circa. Interrogatus si usus fuerat in infirmitate predicta aliquibus medicamentis, dixit quod sic sed nichil sibi profuerunt et erat quodam modo desperatus de sanatione et cura infirmitatis sue. Interrogatus

(1) Ms : dictum dictum. — (2) Ms : Frusinono.

si die curationis sue usus fuerat aliquibus medicamentis, dixit quod non.

(Fol. 22v.) Quem dicti domini inquisitores et nos notarii viderunt et vidimus libere incedentem et currentem.

[Frater NICOLAUS de FRUSINONE]

XXXIX. — Eodem die, frater Nicolaus de Frusinone, monachus dicti monasterii, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, in presentia dictorum dominorum inquisitorum, modo quo supra, interrogatus si scit aliquod miraculum beati Thome de Aquino quod contigerit in persona magistri Iacobi de Piperno marescalli (1) et oblati monasterii Fosse Nove, dixit suo iuramento tantum scire quod hoc anno de mense augusti proxime preterito vidit dictum magistrum Iacobum propter infirmitatem euntem et incedentem (2) cum duobus baculis cum quibus se substentabat, et postmodum, eodem mense, vidit eum sanum sicut ante dictam egritudinem viderat et absque aliquo baculo incedentem et dixit eidem fratri Nicolao, tunc priori, quod meritis beati Thome predicti erat curatus.

Interrogatus quanto tempore dictus magister Iacobus fuerat infirmus, dixit quod nescit. Interrogatus qua die dixit sibi dicta verba, dixit quod non recolit. Interrogatus cuius etatis est dictus magister Iacobus, dixit quod credit quod sit LX annorum.

[Frater LEONARDUS SACURELLE]

XL. — Eodem die, frater Leonardus Sacurelle, conversus dicti monasterii, eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco habitationis predicte, modo et

(1) Ms : marescalci. — (2) Ms : incidentem.

forma predictis, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento (fol. 23r.) quod ipse testis, hoc anno, de mense augusti proxime preterito, vidit magistrum Iacobum de Piperno marescallum, oblatum dicti monasterii Fosse Nove, adeo gravatum et infirmum quod ire non poterat cum uno baculo, et ipse testis portavit sibi unum alium baculum et tunc etiam male incedebat cum dictis duobus baculis. Et postea vidit eum, eodem mense, integre et plene sanatum et libere incedentem sine baculo, et audivit eum dicentem quod meritis beati Thome de Aquino erat liberatus cui se devote recomendaverat.

Interrogatus si recordatur de die curationis ipsius, dixit quod nescit. Interrogatus si illo die quo dixit sibi se sanatum, vidit eum infirmum vel die precedenti, dixit quod non recolit, sed credit quod per tres dies ante vidit eum infirmum.

[IOHANNES COSSA]

XLI. — Iohannes Cossa de Piperno, familiaris dicti monasterii, testis eodem modo citatus per eundem Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo predicto, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse vidit magistrum Iacobum de Piperno marescallum, oblatum dicti monasterii Fosse Nove, hoc anno, per IIIIor ebdomadas et ultra infirmum in tibiis et pedibus adeo quod incedere sine duobus baculis non valebat et postea eodem anno, de mense augusti, vidit eum totaliter sanatum et libere incedentem et dixit sibi dictus magister Iacobus quod meritis beati Thome de Aquino, cui (fol. 23v.) se recomendaverat, erat sanatus.

Interrogatus de die quo fuit curatus, dixit quod non recolit. Interrogatus si eodem die quo vidit eum sanatum, viderat

eum infirmum, dixit quod non recolit, sed scit quod quodam die, de quo non recolit, vidit eum infirmum et proxime sequenti die, vidit eum sanum. Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quod vidit et audivit sicut superius dixit, nam in eadem domo, in dicto monasterio, habitabant. Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod est XVI annorum vel circa.

[SOPHIA LEONARDI]

XLII. — Eodem die, Sophia Leonardi de comite de Sompnino, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno post vindemias quodam (1) die iovis, de sero, tam vehemens dolor supervenit Marie Landulphi, filie sue, puelle VII annorum vel circa, quod tota torquebatur ad modum serpentis, ita quod ipsa Sophia et Landulphus vir suus balneaverunt eam in aqua calida et breviter nichil profuit, et die veneris sequenti portavit eam ad ecclesiam sancti Angeli de dicto castro sic infirmam et dolorosam et se torquentem et inveniens ibi dompnum Iacobum, presbyterum dicte ecclesie et curatum, rogavit eundem ut librum sancti Iohannis benedictum, id est eius evangelium, legeret super eam. Qui presbyter Iacobus legit supra eam (2) in dicto libro et aqua benedicta aspersit eandem ipsam. Tamen propter hoc non fuit (fol. 24r.) liberata. Et perseverante dolore usque ad diem sabbati proxime sequentem, post vesperas, Iulianessa mater dicte Sophie dixit ipsi testi : « Filia mea, recomenda eam beato Thome de Aquino, et liberabitur. » Et tunc ipsa testis, presente dicta eius matre, statim iunctis manibus, recomendavit eam beato Thome predicto, promittens quod post liberationem eiusdem duceret eandem ad tumulum ipsius beati Thome

(1) Ms : quodam quodam. — (2) Ms : eam eam.

et offeret ibi candelam unam ceream et oblationem. Que statim dicta puella meliorata est, et nocte veniente, dormivit et mane sequenti videlicet diei dominice sana perfecte surrexit et extra castrum cum aliis puellis, sallitiando perrexit ; et ex tunc nullum dolorem sentiit et sana fuit et est, et dicti domini inquisitores et nos notarii sanam hodie vidimus quia venerat cum dicta matre sua. Et demum transeunte dicto presbytero Iacobo ante domum suam dixit eidem : « Benedicatur Deus et beatus Thomas de Aquino quia ecce filia mea, quam dicto beato Thome devovi, quam sic infirmam vidisti, eius meritis sanata est. »

Interrogata quando finiit vindemia in castro Sompnini, dixit quod de mense septembris.

[IULIANESSA]

XLIII. — Eodem die, Iulianessa, uxor Leonardi de comite, de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de (fol. 24ᵛ.) mense octobris proxime preterito, vidit Mariam, neptem suam, filiam Sophie filie sue pati tam vehementem dolorem in corpore quod torquebatur sicut serpens, et ipsa testis timebat ne haberet serpentem in corpore. Et quodam die veneris, ipsa et eadem filia sua duxerunt eam ad ecclesiam sancti Angeli de Sompnino, et invenientes ibidem dominum Iacobum, presbyterum et curatum sancti Angeli de dicto castro, rogaverunt eundem quod legeret aliquam bonam rem super eam. Qui recipiens unum librum legit super eam et etiam proiessit super eam aquam benedictam, tamen propter hoc non fuit liberata. Et tunc ipsa, postmodum, die sabbati, post vesperas, dixit filie sue predicte : « Voveamus eam beato Thome de Aquino. » Et ipsa filia sua vovente et recomendante eam beato Thome pre-

dicto, ipsa puella incontinenti cepit meliorari et de mane sequentis diei sana apparuit totaliter et apparet, et est, et ita visum est sibi ac si fuisset mortua et resuscitata.

Interrogata per quot dies dicta puella fuit passa dictam egritudinem, dixit quod a quodam die iovis usque ad vesperas diei sabbati tunc sequentis fuit graviter infirma et die dominico, de mane, tunc sequenti vidit eam sanatam.

[CRESCENTIUS NOVELLUS]

XLIV. — Eodem die, Crescentius Novellus de castro Sompnini, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus coram ipsis dominis inquisitoribus in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende (fol. 25^{r}.) memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod in mense maii proxime preterito fuit annus quod Leo, filius suus, nunc IIII^{or} annorum vel circa, passus fuit febrem vel accessionem per VIII dies continuos, ita quod in octava die credebat ipsum mori debere ipsa egritudine, et die VIII predicte egritudinis ivit ad campum ad laborandum et faciendum facta sua. Et reddiens in sero ad domum propriam invenit dictum filium suum sanum et liberum incedentem cum pueris ; et tunc eo viso admiratus est valde et Floria Nicholai, socrus sua, dixit eidem Cressentio : « Beatus Thomas de Aquino, cui puerum recomendavi reddidit eum nobis, benedictus sit Deus omnibus bonis ». Et ex tunc ipse puer fuit et est sanus, et hodie duxit eum coram dictis dominis inquisitoribus sanum et ilarem.

Interrogatus quo die cepit egritudo et quo die dictus filius suus fuit liberatus, dixit quod non recordatur. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod credit esse XXX annorum vel circa, et ita visus est ipsis dominis inquisitoribus.

[NICOLAUS BAROLUS]

XLV. — Eodem die, Nicholaus Barolus de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Bartholomeus Thebaldi de Sompnino, dictus Capo Grizo, passus fuit per magnum tempus infirmitatem gutte in tibiis, ita quod vix ambulare poterat et postea (fol. 25v.) vidit eum sanum et bene incedentem — iam est annus — et dicentem sibi quod meritis beati Thome de Aquino, cui se recomendaverat, erat liberatus et ex tunc vidit eum bene euntem et incedentem sicut unquam ivit.

Interrogatus quo mense dixit sibi ista verba, dixit se non recordari. Interrogatus quomodo scit quod dictus Capo Grizo haberet (1) dictam infirmitatem, dixit quia vidit et est eius vicinus.

[IULIANESSA IACOBI]

XLVI. — Eodem die, Iulianessa Iacobi, mulier de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citata per dictum Iohannem, nuntium, iurata in loco predicto, in presentia dictorum dominorum inquisitorum, modo et forma predictis, interrogata per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Nicholutius Petri, nepos suus, filius Petri filii sui, passus fuit unam infirmitatem fere per annum et patiebatur fluxum sanguinis ita quod credebat firmiter quod ex dicta egritudine deberet mori. Et veniente fratre Guillelmo de Tocco, fratre ordinis Predicatorum, Sompninum, ipsa mulier dixit sibi : « Frater Guillelme, si beatus Thomas redderet nobis istum pue-

(1) Ms : haberem.

rum, esset unum magnum miraculum. » Et tunc ipse frater Guillelmus dixit sibi : « Porta eum ad me ad ecclesiam sancti Angeli istius castri, et recomendabimus eum beato Thome de Aquino. » Et ea portante puerum ad dictam ecclesiam ad ipsum fratrem Guillelmum, et recomendante ea ipsum puerum beato Thome predicto, ipse puer incontinenti cepit meliorari (fol. 26r.) et infra paucos dies fuit totaliter sanitati pristine restitutus et a fluxu curatus et ex tunc nullum malum sentiit quod ipsa sciat.

Interrogata quantum tempus est quod ipse puer fuit curatus, dixit quod est iam annus transactus, de die et mense non recordatur. Interrogata de etate pueri (1) predicti, dixit quod nunc est VI annorum vel circa.

Interrogata si sunt aliqui scientes dictam egritudinem et liberationem, dixit quod Bertraymus Varolus, bonus vir suus, Petrus filius suus et Alcruda Nicholai, uxor dicti P[etri] filii sui, et dictus frater Guillelmus.

[PETRUS NICOLAI]

XLVII. — Eodem die, Petrus Nicholai de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse Petrus fuit infirmus et ita impotens in pedibus et tibiis quod vix poterat ambulare ex dicta impotentia et inflatione tibiarum et pedum. Et cum, quodam die, venisset cum gravi dolore ad monasterium Fosse Nove videre fratrem Leonem de Sompnino, monachum dicti monasterii, consanguineum suum, et conqueretur eidem de tanta debilitate et impotentia sua, ipse frater Leo dixit sibi : « Eamus ad sepulcrum beati Thome de Aquino et recomenda te sibi ». Et eo eunte ad dictum se-

(1) Ms : pueri pueri.

pulcrum una cum dicto fratre Leone, flexis genibus coram dicto sepulcro, recomendavit se eidem beato Thome quod liberaret eundem ab infirmitate predicta, et iacens circa dictum sepulcrum eadem hora sentiit meliorationem et infra IIII dies (fol. 26v.) postea fuit totaliter liberatus et sanatus ; et recessit omnis inflatura a pedibus et tibiis et fuit, est fortis, sicut antea fuerat, meritis eiusdem sancti.

Interrogatus quanto tempore fuit sic infirmus in tibiis, dixit quod per unum annum. Interrogatus de tempore liberationis sue, dixit quod iam sunt XIIII menses et ultra. Interrogatus de die, dixit quod non recolit. Interrogatus qui erant scientes dictam infirmitatem, dixit quod Bartholomeus Mezettus, Guottifredus, frater ipsius testis, et dictus frater Leo. Interrogatus ubi est dictus frater Leo qui duxit eum ad sepulcrum, dixit quod est in Sicilia.

[BARTHOLOMAEUS MEZETTUS]

XLVIII. — Eodem die, Bartholomeus Mezettus de dicto castro Sompnini, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco habitationis predicte, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse testis vidit Petrum Nicholay de dicto castro infirmum in tibiis et pedibus ita quod quasi per unum annum vix poterat ambulare, et postea vidit eum sanatum de infirmitate predicta — iam est medius annus — et dixit sibi quod meritis beati Thome de Aquino fuerat liberatus. Interrogatus quomodo cognoscit eum, dixit quia est eius vicinus et habitant in eodem castro.

[PETRUS CAROLUS]

XLIX. — Die lune, XVI dicti mensis novembris, P[etrus] Carolus de Terracina, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, nuntium iuratum predictorum dominorum, iura-

tus in presentia ipsorum dominorum inquisitorum in habitatione (1) dicti domini Pandulphi, in monasterio Fosse Nove, modo predicto, interrogatus per dictos inquisitores super miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de (fol. 27r.) hoc anno et mense, videlicet die dominico octavo presentis mensis novembris, post vesperas, supervenit tantus dolor sibi, in capite et per totum corpus, qui duravit usque ad illam horam qua communiter homines intrant lectum, quod cogebatur pre nimio (2) dolore fortiter clamare et clamabat, et firmiter se credebat in brevi moriturum ; et hoc idem credebant mulieres ibidem astantes que postea sibi retulerunt. Et tunc Mabilia, soror domini Raynaldi Bulizole, et domina Gemma dicta Ronilgione de Terracina, que stabant ibidem, dixerunt eidem : « Petre, recomenda te beato Thome de Aquino. » Cui statim se recomendavit devote ut eum dignaretur liberare a tam vehementi dolore et subito post dictam recomendationem (3), supervenit sibi, dictis mulieribus adhuc stantibus ibidem, magnus vomitus, et statim fuit alleviatus et totaliter liberatus.

Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est XXXVI annorum et ultra.

[GEMMA]

L. — Eodem die, domina Gemma dicta Ronilgione de Terracina, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum in domo predicta, modo quo supra, interrogata per dictos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de hoc anno et mense, secunda dominica mensis eiusdem, ut firmiter credit, post occasum solis, ipsa testis vocata fuit a Galicia, uxore P[etri] Caroli, de dicta civitate Terracine ut iret ad videndum (fol. 27v.) dictum Petrum, virum suum, quia

(1) Ms : habitationis. — (2) Ms : preninio. — (3) Ms : recomendavit.

moriebatur ; et ipsa ingrediens domum ipsius P[etri], vidit dictum Petrum iacentem in lecto et clamantem et murmurantem de magno dolore quem patiebatur, et uxor dicti P[etri] predicti et ipsa et alie ibidem stantes credebant eum statim mori debere ex dicto dolore. Ipsa tamen testis dixit eidem Petro : « Recomenda te beato Thome de Aquino benedicto, qui me alias sanavit (1). » Et ipso Petro tunc recomendante se eidem beato Thome, incontinenti vomit et curatus fuit totaliter a dolore predicto, et post modum vidit et videt eum sanum sicut unquam fuit, et dicebat ipsa testis et alie mulieres que erant ibidem : « Benedicatur Deus et beatus Thomas de Aquino qui liberavit dictum Petrum. »

Interrogata qua hora fuit curatus, dixit quod hora qua communiter gentes vadunt ad lectum. Interrogata de presentibus ad predicta, dixit quod ipsa testis, uxor dicti Petri, Mabilia, soror domini Raynaldi Bulizole et due filie dicti P[etri] et Leonardus domini Nicholai Bulizole de dicta civitate.

LI. — Item interrogata per dictos dominos inquisitores quod miraculum fecit dictus beatus Thomas in persona sua, dixit quod de mense octobris proxime preterito ipsa patiebatur febrem quartanam et eam passa fuit per sex accessiones et tunc timens dictam febrem pro eo quod iam sunt transacti XIIII anni quod passa fuerat febrem quartanam per annum cum dimidio, que adeo debilitaverat eam quod credebat mori. Similiter et dubitans ne dicta febris quartana duraret sibi quantum duraverat prima, humiliter et devote se recomendavit (fol. 28r.) beato Thome de Aquino quod dignaretur auferre ab ea dictam febrem quartanam. Sed post dictam recomendationem habuit unam accessionem ipsius febris de qua multum dubitans iterato devote se recomendavit beato Thome predicto quod dignaretur eam liberare si placeret sibi, quia publicaret omnibus gentibus liberationem suam et ex tunc fuit totaliter liberata et nullam accessionem passa est,

(1) Ms : senavit.

sed fuit et est sana meritis dicti beati Thome sicut unquam fuit, et dictum miraculum dixit plus quam mille personis.

Interrogata qui erant scientes dictam infirmitatem, dixit quod Cettus Renilgione, filius suus, et Ymulgia, uxor dicti Cetthi, et domina Rosa Fettia de Terracina. Interrogata si erant aliqui presentes quando se recomendavit, dixit quod non.

[MABILIA]

LII. — Eodem die, Mabilia, soror domini Raynaldi Bulizole de Terracina, etatis fere XXX annorum, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogata per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de hoc anno et mense videlicet secunda dominica dicti mensis, circa initium noctis, vocata fuit per Palumbam, filiam Petri Caroli de Terracina, quod iret ad domum dicti Petri quia moriebatur, et ipsa statim, lumine accenso, ivit ad eum et vidit eum clamantem et dicentem : « Morior, morior ; Mabilia, sit tibi recomendata (fol. 28v.) familia mea. » Et tunc ipsa Mabilia dixit eidem Petro : « Recomenda te beato Thome de Aquino quod liberet te. » Et idem dixit sibi domina Gemma Renilgione que stabat ibidem. Postquam idem P[etrus] humiliter recomendavit se eidem beato Thome de Aquino, ipsa audiente et ea ibidem existente, statim vomere cepit et curatus est, et dixit eidem testi : « Comater Mabilia, benedicatur Deus et beatus Thomas de Aquino cuius meritis sum liberatus. » Et ex tunc vidit eum sanum sicut unquam fuit.

Interrogata que erant ibi presentes, dixit quod ipsa testis et uxor dicti Petri, domina Gemma Renilgione et Palumba et Maria filia dicti Petri.

[LEONARDUS]

LIII. — Eodem die, Leonardus, dictus Bulizola, de Terracina, etatis XIII annorum vel circa, puer bone indolis et discretionis, ut ipsis dominis inquisitoribus et nobis notariis videbatur, simili modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit quod hoc anno et mense, quodam die de quo non recolit, de sero circa horam illam qua homines consueverunt ire dormitum, ivit ad domum P[etri] Caroli, servitoris et pensionarii sui, quia dicebatur mori, et vidit eum et audivit clamantem et plorantem et dicentem : « Morior, morior, veniat sacerdos. » Et tunc Mabilia, soror domini Raynaldi Bulizole, dixit eidem Petro : « Recomenda te beato Thome de Aquino, quod liberet te. » Et eo ibidem presente, ipse recomendavit se eidem beato (fol. 29r.) Thome, et statim vomere cepit et curatus est et postea vidit eum sanum sicut unquam fuit.

[NICOLAUS de APRUTIO]

LIV. — Eodem die, Nicolaus de Aprutio, sartor, habitator Terracine, testis simili modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo et forma supra annotatis, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de mense iunii vel iulii proxime preterito fuit annus quod ipsi testi quodam die dicti mensis, hora vespertina, quidam dolor, tumor et nigredo supervenerunt in indice manus dextre, et ipse videns quod consuetus fuerat pati arteticam et in pedibus, et tunc ipsam patiebatur etiam in manu sinistra, et sic per consequens timens si patie-

retur in dextra quod exercitium artis sue incidendi pannos et suendi totaliter perdebat, et per consequens victum, nocte veniente, in presentia uxoris sue nomine Formose, cum lacrimis recomendavit se beato Thome de Aquino quod eum de infirmitate digiti manus dextre liberare dignaretur ne sic inutilis redderetur, non petens aliquid de curatione sinistre [manus] vel pedum ; promittens portare et affere super tumulum dicti beati Thome unam manum argenteam si liberaret eundem : et emisso dicto voto, lectum, dormiturus, intravit. Et post aliqualem dormitionem, evigilans invenit se sanum de digito pro quo voverat, et vocavit uxorem eius dicens : « Formosa, dolorem non sentio (fol. 29[v].) in digito, vade, accende lumen ut videamus. » Et lumine accenso, vidit digitum sine tumore et nigredine, ac restitutum (1) colori et sanitati pristine, et ex tunc nunquam sentiit dolorem in manu dextra et digito supradicto.

LV. — Non ut dicet statim, vero cum citatus esset die sabbati proxime preterito a predictis dominis inquisitoribus ut veniret ferre testimonium super miraculis dicti beati Thome et ipse, heri die dominico, cum se vellet altiare ad veniendum, et gravaretur in pedibus, mandavit uxori sue quod veniens apud monasterium Fosse Nove eundem testem per archypresbiterum de Sompnino et dominum Petrum Sanguinei de Terracina, camerarium dicti domini Pandulphi, apud eosdem dominos inquisitores commorantes, excusaret, et ad veniendum dilationem aliam impetraret, et immediate ea recedente, dolor in predicto digito manus dextre supervenit sibi et timens vehementer iram sancti predicti venire deliberavit. Et imploravit eiusdem sancti Thome suffragium, ut, non obstante dicto pedum impedimento, posset venire et dictus dolor digiti cessaret, et incontinenti dolor dicti digiti cessavit, et in pedibus melioratus fuit, et est, adeo quod ambulare et equitare potuit, et ad dominos inquisitores, eodem die dominico, dum familia dicti domini Pandulphi comederet, bene pervenit cum domino Petro de comite de Terracina, et hodie vidi-

(1) Ms : restitututum.

mus eum bene ambulantem et dictum digitum sanum habentem.

Interrogatus qui sciebant dictam egritudinem et liberationem, dixit quod (fol. 30r.) dicta uxor eius et dictus Petrus de Comite. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est fere XL annorum.

[FORMOSA]

LVI. — Eodem die, Formosa, uxor magistri Nicolai de Aprutio sartoris (1), habitatrix Terracine, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco habitationis predicte, modo et forma predictis, interrogata per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod isto mense iulii proxime preterito fuit annus quod dicto Nicolao, viro suo, qui pati consueverat arteticam in pedibus et tunc etiam patiebatur in manu sinistra, supervenit dolor cum tumore ac nigredine in indice manus dextre, ita quod dictus vir eius timens ne propter dictam infirmitatem manus dextre careret victu, si cum ipsa manu dextra incidere pannos et suere non posset, cum lacrimis recomendavit se beato Thome de Aquino, vovens, ea presente et audiente, quod si liberaret eundem, portaret ad tumulum suum unam manum argenteam, et super ipsum tumulum afferet ; et facto dicto voto, ivit ad lectum dormire. Et post aliquam dormitionem excitatus a sompno, vocavit ipsam testem, dicens sibi : « Formosa, liberatus sum a dolore digiti meritis sancti Thome de Aquino. » Et ipsa respondit : « Deus velit. » Idemque vir suus dixit : « Ita est, vade, accende lumen. » Et accenso lumine, vidit eundem sanum de digito supradicto a tumore et nigredine ac dolore predictis (fol. 30v.), et eundem digitum ducebat sicut antea duxerat.

(1) Ms : sutoris.

LVII. — Item dixit quod heri, die dominico, dum ipsa testis veniret ad monasterium Fosse Nove, dictus maritus suus qui, die sabbati precedenti, fuerat citatus perhibiturus testimonium super miraculis dicti beati Thome de Aquino, dixit sibi : « Procura cum domino archypresbitero Sompnini et domino Petro de Sanguineis de Terracina, cum dominis inquisitoribus morantibus, quod alter terminus mihi ad veniendum detur, quia patior dolorem pedum. » Qua recedente a dicto viro suo, et ad dictum monasterium veniente, supervenit dolor dicto viro suo in supradicto digito dicte manus dextre, et tunc dictus vir suus timens recomendavit se dicto sancto ut eum liberaret a dicto dolore digiti ut veniret ad monasterium supradictum.

Recomendatione facta, statim dolor ipsius digiti cessavit ac etiam pedum ita quod poterat ambulare et equitare, et venit heri, dicto die dominico, post eam, quasi hora none, ad monasterium Fosse Nove, et sibi omnia supradicta narravit et videt eum sanum de digito supradicto et pedibus.

Interrogata quomodo scit, dixit quia que dixit se vidisse vidit, et que dixit se audivisse audivit.

[BARTHOLOMÆUS PETRI BENNICASSE]

LVIII. — Eodem die, Bartholomeus Petri Bennicasse de castro Sermineti, Terracinensis diocesis, testis eodem modo citatus ad presentiam dictorum dominorum per Iohannem Briσiensem, nuntium supradictum, iuratus in ipsorum dominorum presentia, in loco predicto, modo et forma predictis, (fol. 31r.) interrogatus per dictos dominos de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod per quatuor annos continuos et ultra passus fuit tremorem membrorum, scilicet in tibiis et manibus, et ultimo anno dicti quadriennii videlicet mense augusti, prima vel secunda die ut credit, arripuit eum febris, que, interpollatis vicibus, vexavit eum usque ad men-

sem maii subsequentem presentis anni. Et dicto mense maii quodam die de quo non recolit, recomendavit se devote beato T[home] de Aquino quod eum dignaretur liberare tam a tremore manuum et tybiarum quam etiam a febre predictis, et nocte sequente, cum se sopori dedisset, vidit unum in habitu Predicatorum, statura procerum et vultu venustum, quem firmiter dictum beatum Thomam de Aquino extimat extitisse. Qui frater eum tangebat per pectus et membra ipsius testis, et incontinenti expergefactus a sompno, vocavit Bonam, uxorem eius, dicens : « Bona, ego sum liberatus, quia vovi me beato Thome de Aquino, et ipse fuit mecum et liberavit me. » Et ex tunc reperiit se sanatum tam a febre quam etiam a tremore et doloribus quos in corpore patiebatur, et nunquam postea sentiit, et dicti domini inquisitores et nos notarii vidimus eum sanum et absque aliquo.

Interrogatus de etate sua, dixit quod L annorum et ultra, et sic etiam dictis dominis inquisitoribus et nobis predictis notariis apparebat.

(Fol. 31^{v}.) Interrogatus qui erant scientes dictam egritudinem, dixit quod Bona, uxor eius et Leonardus Palumbus et plures alii de Sermineto quia ipse dictum tremorem membrorum, inquantum poterat occultabat.

[BONA]

LIX. — Eodem die, Bona, uxor Bartholomei Petri Bennicasse de dicto castro Sermineti, testis eodem modo citata per dictum Iohannem, nuntium, ad presentiam dictorum dominorum inquisitorum, iurata in eorumdem presentia, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata per dictos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit dictum Bartholomeum, virum suum, pluribus annis infirmum et patientem tremorem in manibus ; et postmodum, hoc anno, circa messes proxime preteritas, dixit sibi dictus Bartholomeus : « Bona, beatus Thomas de Aquino, cui me reco-

mendavi, liberavit me. » Et ex tunc vidit et videt eum liberatum sicut antea fuerat.

Interrogata de numero annorum dicte infirmitatis et de mense et die curationis, dixit se nichil aliud recordari quam dixerit.

[LEONARDUS PALUMBUS]

LX. -- Eodem die, Leonardus Palumbus, notarius de castro Sermineti, testis eodem modo citatus ad presentiam dictorum dominorum per dictum Iohannem nuntium, iuratus in presentia eorumdem, in loco predicto, modo et forma predictis, (fol. 32r.) interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Bartholomeum Bennicasse de dicto castro Sermineti, per unum annum et ultra, passum fuisse tremorem in manibus vehementem, cui pluribus vicibus consilium dederat quod tantum non potaret de vino quantum potabat : ipse tamen propter hoc non abstinebat, sed plus potabat. Et quodam die istius anni circa messes proxime preteritas dictus Bartholomeus obviavit sibi dicens : « Ad uncam (*sic*) et vituperium tuum liberatus sum meritis beati Thome de Aquino cui me recomendavi. » Et ex tunc vidit et videt eum sanum et absque tremore, et potantem plus etiam quam antea potaverat.

Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod est XL annorum ut credit. Interrogatus de etate dicti Bartholomei, dixit quod credit eum esse L annorum. Interrogatus quo mense et die dixit sibi predicta, dixit quod non recordatur.

[PETRUS CRAPARIUS]

LXI. — Eodem die, Petrus Craparius de Sermineto, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto,

modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno a pascali ebdomada usque ad mensem iunii proxime preteritum, passus (fol. 32ʳ.) fuit quandam egritudinem que proveniebat ex epate, ex qua etiam habebat colorem valde croceum, ita quod videbatur crocum, et sine omni appetitu, et erat ponderosus et gravis in membris, et dum quodam die pre languore ipse iaceret in orto suo iuxta portam Sermineti, et audiret Bartholomeum Petri Bennicasse de dicto castro recitantem aliis ante portam ipsius castri manentibus curationem suam a tremore manuum factam meritis beati Thome de Aquino cui se recomendaverat, concepit devotionem erga dictum sanctum, et se eidem, pro sua curatione, recomendavit, hora vesperarum, ut eum a dicta infirmitate liberare dignaretur, et eodem sero, post vesperas, cum vellet ingredi lectum, sentiit se sanatum ab infirmitate predicta, et sequenti mane, Marotte, coniugi sue, et Petro, filio suo, suam curationem meritis beati Thome factam expressit ; et ex tunc fuit et est sanus a predicto languore.

Interrogatus de die voti et curationis, dixit quod non recordatur.

[MAROTTA, uxor PETRI CRAPARII]

LXII. — Eodem die, Marotta, uxor Petri Craparii de castro Sermineti, testis eodem modo citata per dictum Iohannem nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno vidit dictum Petrum, virum suum, infirmum, patientem quamdam infirmitatem epatis ex qua receperat colorem croceum et urinas croceas faciebat et predictam infirmitatem portavit per aliquod (fol. 33ʳ.) tempus. Et postea, mane, circa messes, dictus maritus suus dixit sibi : « Marotta, vide me ». Et

ipsa respexit eum liberatum et post hec audivit ipsum virum suum dicentem quod meritis beati Thome de Aquino, cui se recomendaverat, fuerat liberatus.

Interrogata de mense quo eum cepit dicta egritudo, et mense [quo] fuit liberatus, dixit quod non recordatur.

[PETRUS, filius PETRI CRAPARII]

LXIII. — Eodem die, Petrus, filius dicti Petri Craparii de dicto castro, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, iuratum nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit de anno presenti dictum patrem suum habentem colorem croceum qui proveniebat ex infirmitate epatis, de mense non recordatur quo inceperit ; et ipsa infirmitas sibi per aliquale spatium temporis duravit, et postea, circa tempus messium, vidit eum sanum et audivit ipsum dicentem quod meritis beati Thome de Aquino, cui se recomendaverat, erat sanatus : aliud nescit.

Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod est XV annorum ut credit.

[IOHANNES RUBEUS]

LXIV. — Eodem die, magister Iohannes Rubeus, fisicus de Sermineto, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino dixit suo iuramento quod hoc anno, circa tempus messium, vidit Petrum Craparium de dicto castro infirmum de calefactione (1) epatis ; et vidit eius urinam

(1) Ms : calafactione.

cum (fol. 33^{v}.) omnibus signis pertinentibus et significantibus ipsam infirmitatem. Cui dedit pro consilio quod faceret se minui et, ut credit, fuit minutus. Et postmodum ad sex vel octo dies, vidit eum plene sanatum et mirabatur de eo quia secundum artem medicine non debuisset sanari tam cito : aliud nescit.

[MARIA EGIDII]

LXV. — Eodem die, Maria Egidii de Sermineto, testis eodem modo [citata], iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco habitationis predicte, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa Maria fere per annum passa fuit quandam infirmitatem que dicitur tussis sicca et cum ipsa tussi febrem passa fuit ; et egrotando in mense februarii proxime preterito audita fama miraculorum beati Thome de Aquino, recomendavit se eidem quodam die de quo non recolit ut eam liberare dignaretur a tussi et febre predictis ; que statim post dictam recomendationem fuit liberata.

Interrogata de mense quo cepit dicta egritudo, dixit quod in mense februarii anni proxime preteriti, de die non recordatur.

Interrogata qui erant scientes dictam egritudinem, dixit quod Bellicia Serena et magister Iohannes Rubeus, fisicus de dicto castro. Interrogata de etate ipsius testis, dixit quod est XXXV annorum vel circa.

[IOHANNES RUBEUS]

LXVI. — (Fol. 34^{r}.) Eodem die, magister Iohannes Rubeus, fisicus de Sermineto, testis iuratus ut supra, in loco predicto, interrogatus per dictos dominos inquisitores si scit aliquid de infirmitate dicte mulieris, dixit suo iuramento quod ipse tes-

tis vidit ipsam Mariam cum tussi sicca que iuxta medicinam vocatur empima, et firmiter credebat de dicta infirmitate eam morituram quia videbat eam paratam ad Marasmon, et postea vidit eam curatam, sed qualiter curata fuerit nescit, quia non vidit eam curari per medicum aliquem.

Interrogatus per quantum tempus vidit eam sic infirmam, dixit quod fere per annum. Interrogatus quando vidit eam curatam, dixit quod iam sunt V menses et ultra, de mense et die non recordatur.

[BELLICIA SERENA]

LXVII. — Eodem die, Bellicia Serena de Sermineto, testis eodem modo citata per dictum Iohannem nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum, in loco predicto eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino dixit suo iuramento quod vidit Mariam Egidii de Sermineto patientem quandam tussim siccam, et ab isto carnis previo proxime preterito, vidit eam sanam de dicta infirmitate, et dixit sibi quod beatus Thomas de Aquino liberaverat eam.

Interrogata quomodo scit, dixit quia est eius convicina et viderat eam ab estate precedenti dictum carnis previum et ante, usque in dictum tempus carnis previi patientem infirmitatem (fol. 34v.) et modo videt eam sanam.

[ROSA]

LXVIII. — Eodem die, domina Rosa domini Iohannis Foccia, uxor notarii Iacobi de Ballena de Terracina, testis eodem modo citata per dictum Iohannem nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo predicto, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod a XVIIII annis et citra passa est quen-

dam dolorem in medietate capitis ex parte dextra. Qui dolor tenebat eam vicissim interdum per duos quandoque per tres dies, et graviter eam affligebat, nec aliquo medicorum remedio poterat liberari ; et iam est fere annus quod ipsa, in Terracina, in loco fratrum Predicatorum, audiens de miraculis beati Thome de Aquino se eidem pro liberatione sua recomendavit ; et ex tunc extitit totaliter liberata, et nunquam postmodum dictum dolorem sentiit.

Interrogata cuius etatis est dicta mulier, dixit quod est XL annorum et ultra. Interrogata qui erant scientes ipsam suam egritudinem, dixit quod notarius Iacobus de Balena, maritus suus, et Nicolaus, filius suus. Interrogata de mense et die recomendationis sue predicte, dixit quod non recolit.

[IACOBUS de BALENA]

LXIX. — Eodem die, Iacobus de Balena, notarius de Terracina, testis eodem modo citatus, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende (fol. 35r.) memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod domina Rosa, uxor sua, fere per XX annos habuit quandam infirmitatem in capite a latere dextro. Ex quo latere, aliquando apparebat languida et mesta, postmodum — iam est annus — quod vidit eam sanam et liberatam a dolore dicto ; et audivit eam dicentem quod beatus Thomas de Aquino, cui se devoverat, eam liberaverat : aliud nescit.

Interrogatus quomodo scit, dixit quia est eius vir, et vidit eam infirmam, et etiam est annus vidit eam liberatam, et audivit, que dixit se audivisse, ab ea.

[NICOLAUS de BALENA]

LXX. — Eodem die, Nicolaus [de] Balena, filius dicti magistri Iacobi de Terracina, puer XIII annorum vel circa, sicut

ipsis dominis apparebat, et ipse dicebat, testis simili modo citatus per Iohannem nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod a tempore quo ipse testis incepit cognoscere bonum a malo, vidit dominam Rosam, matrem suam, patientem dolorem in capite, sepe sepius : videlicet semel in hebdomada qualibet, vel saltem infra XV dies, ex quo dolore capitis nimis affligebatur, et postea ab uno anno citra, vidit eam liberatam a dicta egritudine, et audivit eam dicentem quod sanctus Thomas de Aquino liberaverat eam.

Interrogatus de mense et die liberationis, dixit quod nescit.

[Frater NICOLAUS QUINQUE SELLI]

LXXI. — Die martis, XVII mensis novembris, frater Nicolaus Quinque Selli (fol. 35ᵛ.) de Frusinone, conversus monasterii Fosse Nove, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse vidit, de mense augusti proxime preterito, fratrem Marchum Thebaldi, conversum dicti monasterii Fosse Nove, febricitantem febre continua que multum affligebat eum, prout recolit, per X dies et ultimo die predictorum X dierum vidit eum infirmum et febricitantem, et sequenti die mundum et sanum, et exeuntem per se ipsum infirmariam in qua iacebat. Qui, ante fores ecclesie monasterii, dixit sibi : « Liberatus sum meritis beati Thome de Aquino cui me recomendavi in nocte preterita ». Et de cetero vidit et videt eum sanum.

Interrogatus si audivit quando dictus frater Marchus recomendavit se dicto beato Thome, dixit quod non. Interrogatus si cognoscit dictum fratrem Marchum, dixit quod iam sunt VIII anni quod cognovit et cognoscit nunc eum. Interro-

gatus qua hora vidit eum ante fores dicte ecclesie, dixit quod de mane, hora misse. Interrogatus de die quo fuit liberatus, dixit quod non recordatur.

[GUIDO]

LXXII. — Eodem die martis, Guido magistri Iohannis de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem (fol. 36^{r}.) recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod iam est annus quod filius suus Stephanus, puer modo trium annorum, sicut etiam ipsis dominis inquisitoribus apparebat, quem ipse Guido ad ostendendum duxerat, passus fuit morbum caducum per unum annum cum dimidio et plus, videlicet in revolutione lune interdum semel, interdum bis, interdum ter, interdum quattuor, interdum sex vicibus. Et ipse timens de obitu ipsius pueri, devote recomendavit eum beato Thome de Aquino qui eum liberare dignaretur ab ipso morbo. Quem post recomendationem portavit ad sepulcrum dicti beati Thome et posuit eum super dictum sepulcrum ; et ex tunc ipse puer fuit liberatus, et nunquam postmodum sentiit neque sentit dictum morbum meritis, ut credit, dicti beati Thome.

Interrogatus quo mense vel quo die recomendavit eundem et ad sepulcrum portavit, dixit quod non recordatur. Interrogatus qui erant scientes dictum morbum, dixit quod uxor sua Margarita Francisci, mater dicti pueri, Andreas Francisci, avunculus dicti pueri, Laurentius Philipi, Bentevenga de Piperno et magister Gregorius de Iulgiano, chirurgicus, et quam plures alii vicini et vicine sue. Interrogatus qui fuerunt presentes ad dictam recomendationem, dixit quod dicta uxor eius.

[GEMMA GREGORII]

LXXIII. — Eodem die, Gemma Gregorii de Piperno, mulier LX annorum et ultra, testis eodem modo citata per dictum Iohannem nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende (fol. 36v.) memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa habet unum filium, nomine Iacobum Salatinum, quem nunc dicit esse XXXVI annorum et ultra. Qui primo anno sue nativitatis passus fuit tantam infirmitatem quod coste partis anterioris videbantur coniungi lumbis, ita quod vix poterat flatum eructare, et tam ipsa quam plures alie matrone et medici, qui viderant eum, credebant quod dictus puer ex hoc moreretur ; et tunc ipsa suadente sibi domina Stephania Sebastiana, convicina sua, bona et sancta muliere, flexis genibus, recomendavit dictum puerum beato Thome de Aquino quod eum liberare dignaretur ab infirmitate predicta, quia ipsa mitteret eum ad tumulum beati Thome predicti et afferet oblationem. Post quam recomendationem incontinenti puer fuit melioratus et sanatus et adhuc vivit.

Interrogata de anno, mense et die, dixit quod non recordatur. Interrogata si vivunt aliqui qui possint dictos dominos inquisitores instruere de dicto miraculo, dixit quod credit quod non, quia omnes sunt mortui.

[PETRUCIUS de PIPERNO]

LXXIV. — Eodem die, Petrucius domine Sibilie de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto et modo predicto, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod

in estate proxime preterita fuit annus, de mense et die non recordatur, quod Sibilia, filia sua, puella nunc quinque annorum passa fuit febrem continuam circa XV dies, et tam ipse (1) quam Gemma, uxor sua, et medici et alii quam plures qui viderunt eam, oppinabantur (fol. 37v.) et dicebant ipsam in brevi mori debere, et dicta Gemma (2), uxor sua, sicut postea retulit sibi, ipsa puella febricitante, recomendavit dictam puellam beato Thome de Aquino quod eam liberare dignaretur a dicta infirmitate, que postmodum incontinenti sanata fuit puella predicta et ex tunc non habuit aliquod malum nec habet.

Interrogatus de mense et die, dixit quod non recordatur. Interrogatus qui medici viderunt puellam predictam, dixit quod magister Nicolaus magistri Iohannis et magister Laurentius domini Andree de Piperno.

[MATTHÆUS de NORIA]

LXXV. — Die mercurii, XVIII mensis novembris Mattheus de Noria de Piperno, eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus coram dictis dominis inquisitoribus in loco et forma predictis, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod a mense augusti proxime preterito, et de dicto mense de ebdomada et die non recolit, passus fuit febrem quartanam, et passus fuit usque ad diem veneris penultimum mensis octobris proxime preteriti ; que febris ita fortiter affligebat eum et afflixerat quod ipse nil aliud appetebat nec comedere poterat nisi mala et sorba ; et quod die accessionis tenebat eum a mane usque a sero. Et illo die veneris, dum graviter vexaretur a febre predicta, et staret ante fores domus sue et contra semetipsum de ipsa infirmitate scandalizaretur, Petrus Letus de Piperno, vicinus suus, dixit sibi : « Non vexes teip-

(1) Ms : ipsa. — (2) Ms : Iacoba.

sum, sed reintra domum tuam, et quiescas et recomenda te beato Thome de Aquino quod te liberet ».

Ipse vero iuxta consilium eius domum reintrans se beate Marie de Rippa iuxta Pipernum et beato Thome de Aquino iacenti (fol. 37ᵛ.) in Fossa-Nova, devote recomendavit ut eum a dicta quartana liberare dignaretur ; promittens quod si liberaret eundem, flexibus genibus, ab introitu ecclesie Fosse-Nove accederet usque ad tumulum eiusdem beati Thome et quod ipsum tumulum cingeret cum filo argenteo.

Quo voto emisso, dormire cepit, et visum [est] sibi quod ipse staret iuxta dictam ecclesiam sancte Marie de Rippa, et videret quendam in habitu Predicatorum cum quodam baculo in manu venientem per viam qua venitur de Fossa-Nova apud dictam ecclesiam sancte Marie de Rippa, et cum pervenisset iuxta illam ecclesiam sancte Marie, egressa est de eadem ecclesia beata Virgo, ut sibi videbatur, et dixit : « Thoma, quo vadis ? » At ille respondit : « Vado iuvare quendam pauperem qui non desinit me vocare. » Et visum est eidem Mattheo quod dictus beatus Thomas ad eum veniens eundem discoperiret et incontinenti expergefactus, descendens de lecto, vocavit Bellitiam, uxorem suam, dicens eidem : « Bellitia, nunquam febris quartana arripiet me, quia beatus Thomas de Aquino discoperuit me, et propterea credo esse sanatus. » Et ex tunc nunquam dictam febrem habuit sed per Dei gratiam, meritis ipsius beati Thome, sanus est et valens facere que sani faciunt.

Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod credit esse etatis L annorum. Interrogatus qui erant scientes dictam egritudinem suam, dixit quod dicta uxor sua et Petrus Letus de Piperno et plures alii de Piperno.

[BELLITIA]

LXXVI. — Eodem die mercurii, XVIII mensis novembris, Bellitia, uxor Matthei de Noria de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem (fol. 38ʳ.) nuntium supradictum, iurata

in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, eodem modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno, de mense augusti, de die non recordatur, vir suus infirmatus est febre quartana et eam passus fuit usque circa finem mensis octobris proxime preteriti et non comedebat nisi poma et sorba ; et quodam die ipsius mensis octobris de quo non recolit, cum graviter a dicta quartana vexaretur, ex consilio Petri Leti de Piperno, recomendavit se, ea audiente, beato Thome de Aquino quod eum liberaret et post hoc dormiens adhuc ea vigilante, surrexit et vocando eandem dixit : « Liberatus sum, quia beatus Thomas de Aquino discoperuit me. » Et ex tunc nunquam sentiit dictam infirmitatem, et est sanus et comedit et facit ea que ante ipsam infirmitatem faciebat.

Interrogata de etate viri sui predicti, dixit quod est fere L annorum. Interrogata de etate ipsius, dixit quod est LX annorum et plus, ut credit. Interrogata de die quo fuit sanatus dictus vir suus, dixit quod sunt fere tres ebdomade, de die non recolit.

[MARIA SIMEONIS]

LXXVII. — Eodem die, Maria Simeonis de Piperno, testis simili modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogata de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Iohannes Garini, nepos suus, ex Petro Iohannis, filio (1) ipsius Marie, de ventre matris sue egrediens, testiculum dextrum grossum habuit et cotidie crescebat, et crevit ad quantitatem ovi galline, et erat ita tostum sicut lignum ; et erat (fol. 38v.) etiam puer cretus nam intestinum (2) egrediebatur in bursam, propter quod lumbar cre-

(1) Ms : filios. — (2) Ms : antextinum.

torum portabat prout ipsa omnia vidit et palpavit ; et cum remediis medicorum curari non valeret nisi incideretur, audiens ipsa testis famam beati Thome de Aquino, et credens eum meritis dicti beati Thome, sine incisione aliqua, posse curari precesque pueri citius exaudiri, informavit puerum et dicere faciebat : « Pulcher mi beate Thoma de Aquino, si me dignatus fueris sine incisione aliqua curare de morbo quem patior, ad tumulum veniam cum voto figure mee argenteo cum fueris canonizatus. » Quo voto emisso, ea ibidem presente, puer melioratus extitit, et totaliter postea curatus.

Interrogata (1) quanto tempore duravit puero predicto dicta infirmitas, dixit quod per septennium. Interrogata (2) quantum est quod fuit curatus, dixit quod sunt circa octo menses. Interrogata (3) de etate pueri predicti, dixit quod in festo futuro Innocentium, compleverit VIII annos.

Interrogata de mense et de die quod fecit fieri votum, dixit quod non recolit. Interrogata si erant aliqui presentes ad dictum votum, dixit quod sola fuit, ipsa cum dicto Petro, sed ipsa recitavit Iohanni, viro suo.

[IOHANNES GARINI]

LXXVIII. — Eodem die, Iohannes Garini de Piperno, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Iohannes (fol. 39r.), nepos eius, ex Petro, filio suo, habuit testiculum dextrum grossum ad quantitatem unius ovi, et quod intestinum ipsius pueri descendebat in bursam, et eum ostendens magistris Gregorio et Leonardo, fratribus, de Iulgiano, medicis cretorum, dixerunt eidem quod liberari non valebat absque incisione et si eum inciderent, reciperent eum pro homine

(1-3) Ms : interrogatus.

mortuo, de quo ipse avus multum doluit, nec commisit eum medicis predictis. Et postmodum audivit a Maria, uxore sua, avia eiusdem pueri, quod ipsa instruxerat ipsum puerum quod se recomendaret beato Thome de Aquino, et ipse puer iuxta instructionem ipsius avie se recomendaverat beato Thome predicto ; et postea vidit et videt ipsum puerum plene curatum ab infirmitate et morbo predicto. Quem puerum dictis dominis inquisitoribus exhibuit et ipsum viderunt, et nos notarii vidimus plene curatum et sanum a morbo predicto.

Interrogatus cuius etatis est dictus puer, dixit quod in festo Nativitatis Domini proxime futuro compleverit octo annos. Interrogatus quantum tempus est quod dictus puer fuit liberatus, dixit quod sunt fere octo menses. Interrogatus qui erant scientes dictam egritudinem dicti pueri, dixit quod ipse testis et dicta uxor sua et puer dicti filii sui et multe alie vicine sue.

[PETRUS LETUS]

LXXIX. — Eodem die, Petrus Letus de Piperno, notarius, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, coram dictis dominis inquisitoribus, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos de miraculis recolende memorie (fol. 39^{v}.) fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod die veneris penultima mensis octobris proxime preterito ipse misit Petrum Boccasico de Piperno Setiam, et equitavit quendam suum pullum, et rediens de Setia dixit sibi quod de dicto pullo ceciderat, et vidit eum in facie lesum et in corpore confractum et dolorosum, et etiam die sabbati sequenti audivit a magistro Andrea Papaleo quod dictus Petrus graviter infirmabatur. Die vero dominico vel die lune sequenti, vidit eundem Petrum liberatum et sanum et dicentem sibi quod meritis beati Thome de Aquino cui se recomendaverat, liberatus erat, et ex tunc vidit et videt eum liberatum et sanum, et ipse testis vere credit quod meritis dicti beati fuerit liberatus.

LXXX. — Item dicit quod hoc anno, ut credit de mense augusti proxime preterito, et a dicto mense citra usque circa finem mensis octobris, scit quod Mattheus Norie de Piperno, vicinus suus, passus fuit febrem quartanam, et die penultima dicti mensis octobris, invenit eundem Mattheum ante fores domus sue patientem ipsam febrem ; et tunc ipse testis persuasit eidem quod reintraret domum suam et se recomendaret beato Thome de Aquino quia statim liberaret eum a dicta febre ; et die sequenti, dictus Mattheus dixit eidem testi : « Ego sum liberatus a febre quartana quia beatus Thomas de Aquino cui me recomendavi, hac nocte apparuit michi et liberavit me ». Et dixit dictus testis quod ex nunc vidit et videt ipsum Mattheum sanum et liberum a febre predicta sicut ante ipsam infirmitatem fuerat.

Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit eum infirmum et (fol. 40r.) audivit ab eo predicta et vidit et videt eum sanum. Interrogatus cuius etatis est ipse Mattheus, dixit quod est L annorum et ultra. Interrogatus cuius etatis est ipse testis, dixit quod est XLV annorum vel circa.

Item interrogatus quare persuasit eidem Mattheo quod se recomendaret beato Thome predicto, respondit propter curationis gratiam quam a dicto beato Thoma recepit in seipso.

LXXXI. — Interrogatus quam gratiam curationis sibi fecerat, dixit quod anno preterito de mense septembris, quodam die dominico dicti mensis, post missam, dum sanus et incolumis se posuisset ad prandium, et primum pomum positum sibi in mensa comedere vellet, supervenit sibi quedam infirmitas que a medicis, qui eum postea habuerint in cura, nominata est sibi squilenzia, de quorum consilio facte fuerunt sibi XIII minutiones sanguinis, et alia quam plura remedia que nichil ad meliorationem sibi profuerunt, sed plus dicta infirmitas crevit ; et a sero dicte diei dominice usque ad diem mercurii sequentem de mane loquelam perdidit, ita quod prorsus loqui non potuit nec linguam ducere poterat. De mane vero diei mercurii, videns quod medici de eo desperaverant (1)

(1) Ms : despaverant.

concepta devotione ad beatum Thomam de Aquino, scripsit de manu propria quod deberet deferri ad tumulum beati Thome de Aquino predicti, sperans eiusdem sancti meritis liberari, et ipsum scriptum tradidit Petro magistri Iohannis, genero suo ; vero contradicente domina Iacoba, uxore ipsius testis, pro eo quod mulieres intrare non possunt ecclesiam Fosse-Nove, non deferebatur, et ipse advertens hoc, nichilominus infra seipsum recomendavit se eidem beato Thome ut eum (fol. 40^{v}.) liberaret, et ex tunc cepit ducere linguam et melioratus est et circa horam tertie loqui perfecte potuit et curatus est plene.

Interrogatus de nominibus medicorum, dixit quod magister Laurentius domini Andree et magister Nicolaus magistri Iohannis Guidonis de Piperno et magister Iohannes [de] Urbeveteri, habitator Setie.

Interrogatus qui sciebant infirmitatem, dixit quod uxor predicta que est in puerperio et Odolina filia eius.

[GEMMA]

LXXXII. — Eodem die, Gemma Petri Zappi de Piperno testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in loco predicto coram ipsis dominis inquisitoribus, modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis vidit fratrem Nicolaum Zappum, germanum suum, conversum monasterii Fosse-Nove, infirmum in manibus ita quod erant sibi quodammodo inutiles, et passus fuit dictam infirmitatem circa biennium et iam sunt sex menses et ultra quod vidit eum liberatum et sanatum a dicta infirmitate et dicentem sibi quod meritis beati Thome de Aquino cui se recomendaverat fuit liberatus et videt eum sanum ut antea fuerat, de mense et die non recordatur.

[SCHIMANA YLDIBRANDINI]

LXXXIII. — Eodem die Schimana Yldibrandini de Piperno testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum in loco predicto, modo et forma predictis (fol. 41r.), interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis passa est per quadriennium vel circa, continue, dolorem in spalla dextra et brachio et digito ita quod nere (1) non valebat. Et in festo beati Martini proxime preterito, videlicet hodie sunt VIII dies, quod ipsa venit ad monasterium Fosse-Nove et devote devovit et recomendavit se beato Thome de Aquino ut eam a dicto dolore liberaret, promittens sibi votum argenteum valoris duodecim denariorum, si eam liberaret. Quo voto facto, ex tunc usque in hodiernum diem non sentiit neque sentit dolorem predictum.

Interrogata qui erant scientes egritudinem, dixit quod domina Lea Pennazola, que veniens ad dictum locum cum ea, infirma similem dolorem patiens in spalla (2) dextra, fuit etiam liberata meritis dicti sancti Thome.

Interrogata quomodo scit quod dicta domina Lea fuit sic infirma et liberata, dixit quia vidit eam infirmam et postea sanam et propterea venerat cum ea ad dictum monasterium. Interrogata de etate ipsius testis, dixit quod est L annorum et ultra.

[NICOLAUS GRASSONE]

LXXXIV. — Eodem die, Nicolaus Grassone de castro Sermineti, Terracinensis diocesis, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco, modo et

(1) Ms : nettere. — (2) Ms : paspalla.

forma predictis, interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno (fol. 41[v].) circa finem mensis septembris per VII ebdomadas et ultra habuit febrem cotidianam et malum epatis, stomaci et milze (*sic*) et dolorem capitis, et die veneris auditis miraculis que dicebantur facta per beatum Thomam de Aquino et precipue in personis Bartholomei Cambelle Marescalci et Petri Craparii de Sermineto quos ab infirmitatibus eorum liberaverat, et ipse ipso die veneris peius, pessime, se haberet, cepit devotionem habere ad dictum sanctum ut die sabbati sequenti de sero suasionibus Mabilie (1), uxoris sue, et ea presente se devovit dicto beato Thome et die dominico in mane invenit se plene liberatum et dixit Mabilie uxori sue predicte : « Ego sum liberatus meritis beati Thome de Aquino cui me devovi ». Et eodem die dominico, de domo sua egressus est sanus et hodie venit ad Fossam-Novam, et exsolvit votum ; et ipsum dicti domini inquisitores et nos notarii aspeximus sanum et liberum.

Interrogatus de etate ipsius, dixit quod est XXX annorum et ultra. Interrogatus si sunt aliqui scientes ipsam infirmitatem, dixit quod dicta uxor eius.

[Frater PETRUS CRESENTII]

LXXXV. — Die iovis, XVIIII mensis novembris, frater Petrus Cresentii de Piperno, conversus monasterii Fosse-Nove testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto et eo modo quo supra, interrogatus per dictos dominos inquisitores, de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod triennium iam elapsum est quod ipsi existenti in Sicilia apud grangiam sancti (fol. 42[r].) Christophori ad monasterium Fosse-Nove spectantem, quodam die, de mane, de quo non recolit, supervenit quidam tumor et inflatura in facie sua, in gutture, in tantum quod loqui nec os aperire poterat quantumcumque

(1) Ms : Mobilie.

aliquis cum cultello conaretur os ipsius testis aperire. Et ipso stante in tanta afflictione, Nicolaus de Monte Sancti Iohannis, habitator Piperni, qui ibidem cum eo erat, consuluit sibi et persuasit quod se recomendaret beato Thome de Aquino quod eum dignaretur liberare. Ipse vero, conferens in corde suo, cum loqui non posset, se humiliter recomendavit eidem, post quam recomendationem factam per eum, eodem die, hora none obdormivit, et hora vesperarum evigilans se sanum invenit ita quod loqui potuit et pro maiori parte tumor ille cessus (1), et ex tunc fuit sanus de dicta infirmitate meritis dicti beati Thome.

Interrogatus qui sciverunt ipsum pati dictam inflationem et tumorem ac liberationem, dixit quod dictus Nicolaus qui cum eo rediit postmodum de Sicilia, frater Petrus Massarolli, monachus dicti monasterii et plures alii qui modo sunt in Sicilia.

Interrogatus de mense, dixit quod non recolit, sed dixit quod credit quod fuerit in estate.

[NICOLAUS PICCARDI]

LXXXVI. — Eodem die, Nicolaus Piccardi de Terracina, testis simili modo citatus per Iohannem Brisiensem, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod cum haberet tinnitum (fol. 42v.) in auribus tam vehementem quod vix audire poterat, etiam alta voce, loquentes sicut scire possunt illi qui cum eodem conversabantur. Et cum dictus tinnitus, et quasi surditas, per dies XV durasset, et adhuc duraret, cum Pipernum venisset, considerans miracula que Deus operabatur meritis beati Thome de Aquino, concepta devotione, presentibus Nicolao Taurello et Iacobo Capasso de Terracina, sociis suis, recomendavit se dicto beato Thome de Aquino ut eum liberare (1) dignaretur. Qua recomendatione

(1) Ms : cessa. — (2) Ms : liberaret.

facta, cum hoc mane surrexit, invenit se sanatum et bene audientem, et dicti domini inquisitores et nos notarii supradicti cognovimus et percepimus bene audientem et etiam verba depressa voce prolata audientem.

Interrogatus quando recomendavit se dicto beato Thome, dixit quod heri, hora prandii in Piperno. Interrogatus qua hora percepit se curatum, dixit quod hoc mane quando surrexit.

[NICOLAUS TAURELLUS]

LXXXVII. — Eodem die, Nicolaus Taurellus de Terracina, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum inquisitorum in loco habitationis predicte, modo et forma premissis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit quod iam sunt XV dies et ultra, quod Nicolaus Piccardi de Terracina, socius suus, passus est quamdam surditatem in auribus ipsius, quod ipsum testem et alios loquentes etiam alta voce vix audiebat, vero heri dum comoderent, dictus Nicolaus, eodem teste audiente, recomendavit se beato (fol. 43r.) Thome de Aquino quod eum a dicta surditate curaret et hoc mane perpendit quod ipse Nicolaus Piccardi bene audit etiam depressa voce loquentes et dictus Nicolaus dixit sibi quod meritis dicti beati Thome de [Aquino] est liberatus.

Interrogatus quantum tempus est quod cognovit eum et fuit eius socius, dixit quod sunt VIII anni quod fuit socius suus.

[IACOBUS CAFASSUS]

LXXXVIII. — Eodem die, Iacobus Cafassus de Terracina, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eodem modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iura-

mento quod Nicolaus Piccardi, socius suus, per XV dies habuit quandam surditatem ita quod alta voce loquentes vix audiebat, et dicebat sibi testi et aliis sibi loquentibus : « Ego non audio vos ». Et heri dum comederent et adhuc dicta surditate laboraret, audivit eundem recomendantem se beato Thome de Aquino quod eum liberaret a dicta surditate, et facta dicta recomendatione hoc mane cognovit et perpendit ipsum Nicolaum liberatum et bene audientem etiam voce non alta loquentes.

Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quia vidit et audivit predicta. Interrogatus de etate dicti Nicolai, dixit quod credit eum esse L annorum. Interrogatus quanto tempore fuit socius suus, dixit quod per annum.

[PETRUS, filius IOHANNIS GUARINI]

LXXXIX. — Eodem die, Petrus filius Iohannis Guarini de Piperno testis eodem (fol. 43^{v}.) modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum [inquisitorum], in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Iohannes Guarini, filius suus, puer nunc VIII annorum vel circa, de ventre matris egrediens, dextrum testiculum grossiorem alio eduxit ac etiam intestinum in bursam descendebat, et cretus erat, et crescente puero, cum eodem egritudo concrevit adeo quod dictus testiculus ad quantitatem unius boni ovi apparebat, et quod ipse testis Iohannes, pater suus, et Maria mater ipsius testis, avus et avia dicti pueri consuluerunt medicos qui dixerunt quod non poterat sine incisione transire ; et dicti avus et avia nolentes ipsum puerum incisioni exponere devoverunt ipsum puerum beato Thome de Aquino quod eum liberaret ; et ex tunc puer absque incisione aliqua meritis dicti beati Thome liberatus est.

Interrogatus quando fuit factum votum, dixit quod non recordatur. Interrogatus quando fuit liberatus, dixit quod de mense maii proxime preterito et circa perpendit de libera-

tione eius, asserens quod in estate consueverat esse peius quam in hieme (1) ; et ista estate erat liberatus, et continue fuit et est bene sanus.

Interrogatus si interfuit voto predicto, dixit quod non, sed mater ipsius testis sibi retulit.

[IOHANNES LIMATÆ]

XC. — Eodem die, Iohannes Limate de castro Sompnini, testis eodem (fol. 43ᵛ.) modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod, anno preterito, Theodora Manicone, uxor sua, per IV menses passa est quasi surditatem adeo ut vix decies exclamata audiret ; cumque vehementer dolerent ipse testis et dicta uxor eius de infirmitate predicta, maxime quia videbantur filium communem eorum, nomine Amatum, tunc forsan duorum mensium ex hoc periclitaturum cum dicta mater eum vagientem audire, nec per consequens perpendere necessitates pueri posset, dicta Theodora, presente ipso viro suo, beato Thome de Aquino quodam sero se devote devovit ut eam liberaret a surditate predicta, et mane facto, invenit se sanatam a infirmitate dicta et dictus vir suus aspexit et perpendit eam sanatam et audientem sicut unquam audiverit et adhuc audit.

Interrogatus quo mense fecit votum, dixit quod de mense novembris anni preteriti. Interrogatus de die, dixit quod non recolit. Interrogatus qui erant scientes ipsam infirmitatem, dixit Francisca Manicone, soror dicte Theodore et Bruna Francisci vicina et comater sua et quam plures alii

XCI. — Eodem die, magister Gregorius de Iulgiano, cirurgicus et cretorum medicus, habitator Piperni, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradic-

(1) Ms : estate.

tum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in (fol. 44v.) loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Stephanum, filium Guidonis magistri Iohannis de Piperno, infirmum morbo caduco et curatum meritis beati Thome de Aquino ut pater asserit. Interrogatus quomodo scit, dixit quia est vicinus suus, et vidit eum pluribus et diversis vicibus ipso morbo laborantem et ipse et alii vicini sui compatiebantur dicto puero et patri de morbo dicti pueri et audivit a patre quod curatus est a dicto morbo, meritis beati Thome predicti, et ipse testis videt eum plene sanatum. Item interrogatus cuius etatis est puer predictus, dixit quod est triennius ut credit. Interrogatus quantum tempus est quod vidit eum curatum, dixit quod est fere unus annus.

XCII. — Item dixit quod vidit Iohannem Guarini, filium Petri Iohannis Guarini de Piperno, puerum, iam sunt tres anni, cretum et habentem testiculum unum grossiorem (1) altero et secundum artem erat incidendus ut curaretur, audivit postmodum dictum Petrum, patrem suum, dicentem quod meritis beati Thome de Aquino dictus puer est liberatus absque aliqua incisione.

[GEMMA]

XCIII. — Eodem die, Gemma, uxor Petrucii domine Sibilie de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem Briensem, nuntium supradictum, iurata coram ipsis dominis in loco predicto, eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de mense (fol. 45r.) maii proxime preterito fuit annus quod Sibilia, filia sua, etatis nunc sex annorum vel circa passa fuit, pluribus diebus, febrem continuam adeo quod vir suus et ipsa et medici etiam qui viderant dictam puellam credebant

(1) Ms : grossiore.

eam in brevi morituram, et quodam die dicti mensis quo non recolit ipsam puellam sic febricitantem recomendavit beato Thome de Aquino quod eam a dicta egritudine liberaret ; que puella incontinenti adeo fuit curata quod nunquam febris cepit eandem.

[LEONARDUS de IULGIANO]

XCIV. — Eodem die, magister Leonardus de Iulgiano, cirurgicus et medicus cretorum, habitator Piperni, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto et modo predicto, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse testis vidit Iohannem Guarini, filium Petri Guarini de Piperno, cretum et habentem unum testiculorum grossiorem alio, ita quod non videbatur ipsi testi quod posset curari sine incisione, et postmodum audivit dici a patre dicti pueri quod erat liberatus a dicto morbo meritis beati Thome de Aquino cui recommendaverat ipsum puerum.

Interrogatus quantum tempus est quod fuit eum infirmum, dixit quod est transactus annus. Interrogatus quomodo cognovit eum, dixit quia est convicinus suus et persuasit pater dicti pueri quod eum voveret dicto beato Thome.

[IOHANNA CHRISTIANA]

XCV. — Eodem die, Iohanna Christiana de Piperno testis eodem modo citata per dictum Iohannem nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto et modo predicto, (fol. 45r.) interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod anno proxime preterito, in mense novembris, passa fuit spatio VIII dierum dolores vehementes per totam personam, et tunc suasionibus Petrucie, sororis sue, vovit dicto beato Thome, et se,

presente dicta eius sorore, eidem recomendavit quod eam liberaret et crastino fuit a dictis doloribus liberata.

Interrogata de die, dixit se non recordari.

[PETRUCIA PISTELLA]

XCVI. — Eodem die, Petrucia Pistella de Piperno, testis simili modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis vidit Iohannam Christianam, sororem suam, infirmam per plures dies, patientem graves dolores in persona, et, tunc ipsa Petrucia persuasit dicte sorori sue : « Recomenda te beato Thome de Aquino ut te liberet. » Et tunc ipsa Iohanna, ipsa teste presente, recomendavit se beato Thome quod eam liberaret a dictis doloribus, et facta dicta recomendatione in crastino vidit ipsam sororem suam liberatam meritis dicti sancti a dictis doloribus.

Interrogata quot diebus habuerat dictos dolores, dixit quod non recolit de numero dierum. Interrogata de tempore, dixit quo iam est annus elapsus. Interrogata de etate dicte Iohanne, dixit quod est XL annorum ut credit. Interrogata de etate ipsius testis, dixit quod est L annorum.

[MARIA BARROLA]

XCVII. — Eodem die, domina Maria Barrola de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum (fol. 46^{r}.) dominorum inquisitorum in loco predicto, modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis vidit Stephanum Guidonis magistri Iohannis de Piperno, puerum nunc triennium, patientem morbum caducum plusquam annum, et postea scit eum sana-

tum a dicto morbo, iam est annus et ultra, meritis beati Thome de Aquino cui pater recomendavit eundem ut postea audivit a dicto patre eius.

Interrogata quomodo scit, dixit quia vidit eum infirmum et nunc videt eum sanum et est vicina et cotidie conversatur cum eo.

[ROMICA]

XCVIII. — Eodem die, domina Romica, filia cuiusdam Botii, uxor Leonardi Iacobi de Piperno, testis simili modo citata per eundem Iohannem nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum in loco predicto eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Petrus filius suus, tunc quadriennus, passus fuit tumorem et rubedinem in costis et crure usque ad pedem ita quod nec (1) ipsa nec aliquis poterat eum tangere sine lesione et clamore ipsius pueri, nec ipse puer poterat se movere et in tanto dolore et anxietate fuit per mensem vel circa, et ipsa et vir suus predictus habuerunt consilia plurium medicorum, videlicet magistri Andree Papaleo et magistri Petri Cini, cirurgicorum, qui dicebant quod liberari non poterat sine incisione, et si incideretur quod perpetuo esset impeditus in persona. Tunc ipsa Romica, mater, recomendavit eum beato Thome de Aquino quod liberaret eum a dicto morbo absque incisione, et tam ipsa quam vir suus (fol. 46^{r}.) portaverunt eum ad monasterium Fosse-Nove, et dictus pater suus, quia ipsa mater non poterat intrare ecclesiam Fosse-Nove, portavit eum ad tumulum dicti [beati] Thome et posuit eum ibi et dictus puer, post aliquantulam (2) horam, surrexit per se supra ipsum tumulum sanus, sicut dictus eius vir sibi retulit, et postmodum posuerunt in somario et reduxerunt eum Pipernum liberatum, et ex tunc fuit et est meritis dicti sancti.

Interrogata quantum tempus est quod fuit infirmus et sanatus dictus puer, dixit quod in estate proxime preterita fuit

(1) Ms : nunc. — (2) Ms : aliquantulum.

annus, de die et mense non recordatur. Interrogata de latere dicti tumoris et rubedinis, dixit quod non recordatur.

XCIX. — Item dixit quod vidit dominam Leam, socrum suam, patientem dolorem in spalla et brachio dextro, ex quo non poterat se iuvare, et ipsum dolorem habuerat per longum tempus sed non recordatur quanto tempore, et postea vidit et videt eam sanam et facientem omnia cum ipso brachio sicut sana et audivit eam dicentem quod meritis beati Thome de Aquino cui se recomendaverat erat liberata.

[MARIA de MONTE]

C. — Eodem die, domina Maria de Monte de Piperno, testis eodem modo citata per eundem Iohannem, nuntium, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto et modo predicto, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis vidit Petrum, nepotem eius, filium Romice filie sue, patientem tumorem et rubedinem in costis et crure usque ad pedem ita quod nullo modo dictus puer poterat vertere nec erigere nec aliquis eum tangere sine magno clamore dicti pueri, et prout magister Andreas Papaleo et (fol. 47r.) magister Petrus Cinus, cirurgici, dixerant, nullo modo poterat curari sine incisione. Et postmodum pater et mater dicti pueri et ipsa avia portaverunt ipsum puerum ad monasterium Fosse-Nove ut poneretur supra tumulum beati Thome de Aquino cui eum recomendaverant, et cum pervenissent ad ipsum monasterium, quia ipse mulieres non poterant intrare ecclesiam Fosse-Nove, dictus pater suus portavit eum et posuit eum supra ipsum tumulum, super quo aliquantulum permanens, dictus puer per se surrexit sanus sicut dictus pater eius ei retulit, deinde posuerunt ipsum puerum sanum super somarium et ex tunc meritis dicti sancti fuit et est sanus, et in crastino in Piperno ivit per Pipernum sanus.

Interrogata quanto tempore passus fuit dictam infirmitatem dictus puer, dixit quod fere per mensem. Interrogata de die et mense quo fuit liberatus, dixit quod non recolit. Inter-

rogata quantum tempus est, dixit quod est plusquam medius annus, tamen non bene recolit de tempore.

[LEA PENNAZOLA]

CI. — Eodem die, domina Lea Pennazola de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata coram ipsis dominis inquisitoribus in loco et modo premissis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Petrucium, nepotem suum, puerum tunc IIII^{or}, ex Leonardo Iacobi, filio suo, patientem gravem infirmitatem : videlicet tumorem et rubedinem in costis, tibia et usque ad pedem ita quod nec (1) poterat se vertere, nec erigere, nec aliquis eundem puerum poterat tangere (fol. 47^{v}.) sine clamore dicti pueri ; et medici dicebant quod sine incisione non poterat curari et etiam ex incisione non plene sanabitur. Et tunc pater dicti pueri et Romica mater eius et domina Maria de Monte, avia dicti pueri, mater dicte Romice, portaverunt eum ad monasterium Fosse-Nove, et dictus pater eius posuit eum supra tumulum beati Thome de Aquino et ibidem aliquantulum permanens dictus puer extitit liberatus, et reduxerunt eum Pipernum curatum et vidit et videt eum sanum.

Interrogata quomodo scit predicta, dixit quia vidit eum infirmum et sanatum et predicta audivit dici a dictis filio et nuru eius.

Interrogata quantum tempus est quod dictus puer fuit infirmus, dixit quod non recordatur. Interrogata de mense et die, dixit se non recordari. Interrogata de latere infirmitatis dicti pueri, dixit quod non recordatur.

CII. — Item dixit quod ipsa testis per unum annum cum dimidio fuit passa dolorem et infirma in spalla et brachio dextro ita quod ex eo non poterat se iuvare, et cum quadam die audivisset quod quedam reliquie beati Thome delate erant ad ecclesiam sancte Marie de Piperno, ipsa ivit ad

(1) Ms : nunc.

ipsam ecclesiam et videns reliquias super altari maiori ipsius ecclesie et recomendans se beato Thome predicto, posuit brachium supra cassam in qua dicebantur esse reliquie dicti beati Thome, et statim sanata est et eodem brachio usa est et utitur, sicut prius est sana.

Interrogata de tempore sanitatis sue, dixit quod credit in mense maii anni proxime preteriti quodam die dominico. (Fol. 48r.) Interrogata que erant scientes dictam infirmitatem, dixit quod Deodita, Bellicia et Romica, nurus sue et Schimana vicina sua et filii sui et multi alii.

CIII. — Item dixit quod Schimana infirmabatur in spalla et brachio dextro, ut credit, ita quod non poterat se iuvare de eo, et postmodum audivit eam dicentem sibi quod meritis dicti beati Thome cui se recomendaverat, erat liberata et videt eam sanam.

Interrogata de tempore, dixit quod non recordatur. Interrogata quomodo scit, dixit quia vidit predicta et audivit ab ipsa Schimana. Interrogata de etate ipsius, dixit quod est LX annorum et ultra.

[NICOLAUS de MONTE SANCTI IOHANNIS]

CIV. — Die veneris, XX mensis novembris, Nicolaus de Monte Sancti Iohannis de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo predicto, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod in estate preterita fuit triennium transactum quod ipso existente in insula Sicilie apud grangiam Sancti Christophori, spectantem ad monasterium Fosse-Nove, quidam tumor magnus supervenit in gutture fratris Petri Cresentii, conversi dicti monasterii, adeo quod nec loqui poterat nec confiteri peccata sua. Et nunc ipse Nicolaus suasit eidem fratri Petro quod se beato Thome de Aquino recomendaret, ipse vero frater Petrus iunxit manus (1) suas tanquam reco-

(1) Ms : nanus.

mendans se eidem beato Thome, cum tunc loqui non posset et post aliqualem horam cepit loqui, ipso teste presente et audiente, et confessus fuit peccata sua fratri Gregorio (fol. 48v.) de Cisterna, monacho dicti monasterii, qui tunc stabat et nunc, ut credit, stat in Sicilia, et postea tumor ille recessit ex toto.

Interrogatus de mense, dixit quod credit quod fuit de mense augusti, de die non recolit. Interrogatus de presentibus, dixit quod dictus frater Gregorius et frater Petrus Massarelli, monachus dicti monasterii, qui etiam est modo in Sicilia.

[CECCUS RONILGIONE]

CV. — Eodem die, Ceccus Ronilgione de Terracina, testis eodem modo citatus ad presentiam (1) dictorum dominorum per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in eorumdem [presentia], in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de dictis miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse testis vidit dominam Gemmam, matrem suam, pati de mense octobris proxime preterito febrem quartanam et passa fuit eam per sex accessiones et audivit ipsam matrem suam recomendantem se beato Thome de Aquino quod dignaretur eam liberare a febre predicta. Post quam recomendationem unica vice passa fuit ipsam accessionem, et hora accessionis iterato recomendavit se beato Thome de Aquino predicto dicens : « Beate Thoma, patiens me iterato habere quartanam, per Dei misericordiam libera me ». Et ex tunc fuit liberata et sana sicut unquam fuit, et nunquam habuit aliquem accesionem, nec habet. De die autem accessionis ultime non recordatur.

Interrogatus de etate dicte domine Gemme, dixit quod est L annorum ut credit. Interrogatus de sua etate dixit (2) quod excessit XXVI annorum.

(1) Ms : apresentiam. — (2) Credit... quod : credit de etate dicte domine Ge. quod : Ms.

[NICOLAUS]

CVI. — Eodem die, magister Nicolaus magistri Iohannis, medicus de Piperno, (fol. 49rv.) testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, modo quo supra.

Interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse vidit Stephanum, nepotem suum, filium Guidonis magistri Iohannis, fratris sui, iam est annus et ultra, morbum caducum patientem, et postmodum vidit ipsum puerum liberatum a dicto morbo et audivit dictum Guidonem, fratrem suum, dicentem quod meritis beati Thome de Aquino cui eum recomendaverat liberatus est.

Interrogatus de etate ipsius pueri, dixit quod est modo trium annorum vel circa. Interrogatus quanto tempore dictus puer passus fuit dictum morbum, dixit quod per duos menses scivit eum patientem. Interrogatus de mense et die egritudinis, liberationis et recomendationis, dixit quod non recordatur.

[PETRUS CINUS]

CVII. — Eodem die, magister Petrus Cinus de Piperno, cirurgicus, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, eo modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse testis vidit Adelasiam filiam Gemme Rubee de Piperno, etatis X vel XII annorum patientem in gutture quandam infirmitatem que dicitur squilentia. Quam infirmitatem ipse testis iudicabat mortalem, et postea vidit eam liberatam a dicta infirmitate, et audivit dici a dicta Gemma, matre ipsius, quod ipsa duxerat eam ad monasterium Fosse-Nove et eam recomendaverat beato Thome de Aquino, et statim liberata fuerat a dicta infirmitate meritis dicti sancti, et ipse testis vidit et (fol. 49v.) videt ipsam puellam sanam.

Interrogatus de tempore, dixit quod fuit in estate proxime preterita, de mense et die non recordatur. Interrogatus quanto tempore passa fuit dictam infirmitatem, dixit quod plus quam per XX dies.

[GEMMA RUBEA]

CVIII. — Eodem die, Gemma Rubea de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem nuntium supradictum, iurata in loco predicto, modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de mense aprilis proxime preterito supervenit Adelasie filie sue una infirmitas in gutture que vocatur squilentia, et eam passa fuit circa XX dies, et magister Petrus Cinus de Piperno cirurgicus, qui eam habebat in cura, suspicabatur de ea. Ipsa tunc suasit dicte filie quadam nocte, cum iam dicta filia nec sorbilia nec potabilia sumere posset, dicens : « Filia mea, recomenda te beato Thome de Aquino quod liberet te .» Et ipsa puella se recomendavit, et mane facto, duxit eam ad monasterium Fosse-Nove, et fecit sibi ostendi quasdam reliquias dicti beati Thome de Aquino. Que delate ipsi puelle fuerunt in quadam cassula, et dicta cassula fuit posita circa comam (1) eius, et dicta puella rediens Pipernum comedebat panem in via et deinde sana fuit et est.

Interrogata de etate puelle, dixit quod est XII annorum. Interrogata de die recomendationis et liberationis, dixit quod non recordatur.

[ADELASIA]

CIX. — Eodem die, Adelasia, filia (1) Gemme Rubee de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de mira-

(1) Ms : cannam. — (2) Ms · filie.

culis eiusdem recolende memorie (fol. 50r.) fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa de mense aprilis proxime preterito passa fuit quandam infirmitatem in gutture ita quod non poterat aliquid comedere nec bibere, et vix poterat respirare. Cum teneretur tanta infirmitate, Gemma, mater sua, persuasit eidem quod ipsa se recomendaret beato Thome de Aquino quod eam liberaret : quod ipsa puella fecit ; et mane facto, mater sua predicta duxit eam ad monasterium Fosse-Nove et fecit apponi iuxta comam (1) ipsius testis reliquias dicti beati Thome in quadam cassula delatas, quo facto statim ipsa puella sentiit se melioratam et comedens panem Pipernum rediit sana et libera.

Interrogata de die liberationis dicte puelle, dixit quod non recordatur.

[NICOLAUS BRUNI]

CX. — Die sabbati XXI mensis novembris, Nicolaus Bruni de castro Sompnini, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum inquisitorum, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Amatum Bruni, germanum suum, cretum esse et portantem propterea bracale seu lumbar quod creti deferre consueverunt, et postea a tribus mensibus citra vidit eum curatum sine aliqua incisione ; et dictus Amatus dixit sibi quod meritis beati Thome de Aquino cui se pro curatione dicte infirmitatis devote recomendaverat, erat liberatus.

Interrogatus si scit a quo latere dictam creturam habebat, dixit quod non recolit. Interrogatus quanto tempore fuit sic cretus, dixit quod longo tempore tamen ipse recordatur de duobus annis et amplius et credit quod antequam ipse (fol. 50v.) revelaret sibi ipse Amatus fuisset passus per plura tempora ipsam egritudinem.

(1) Ms ; cannam.

Interrogatus de grossitie dicte creture, dixit quod credit quod ad grossitiem unius ovi et ultra. Interrogatus de etate dicti fratris sui, dixit quod dictus frater eius habet plus quam L annorum. Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod est XXX annorum et ultra.

[NICOLAUS PETRI NICOLAI]

CXI. — Eodem die, Nicolaus Petri Nicolai de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem nuntium supradictum iuratus in loco predicto, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc mense novembris Iacoba Nicolai Adelasie, uxor sua, passa fuit febrem continuam per V dies que adeo debilitavit eam quod perdiderat loquelam et die V credebatur mori. Et Herminia Luce, socrus sua, et ipse et alii astantes plorabant de ea, et tunc ipse testis, vir eius, recomendavit dictam uxorem suam beato Thome de Aquino quod eam dignaretur liberare ab infirmitate predicta, promittens quod, si eam sanaret, portaret ad tumulum dicti sancti lampadem et candelam et pecuniam pro una missa, et tunc incontinenti cepit vomere et restituta fuit sibi loquela et febris eam dimisit et sanata est.

Interrogatus quibus presentibus dictam recomendationem fecit, dixit quod presente dicta eius socru. Interrogatus de die curationis, [dixit] quod de die non recolit. Interrogatus si votum exsolvit, dixit quod sic.

[PETRUS AMATI]

CXII. — Eodem die, Petrus Amati de Piperno, oblatus monasterii Fosse-Nove, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto, modo quo supra coram ipsis dominis inquisitoribus, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo

iuramento quod ipse testis vidit fratrem Valdebrunum Froscie, conversum et carpentarium monasterii Fosse-Nove, patientem dolorem tam vehementem in brachio dextro et spalla dextra fere per unum annum quod non poterat laborare et exercere dictum artem carpentarie tantum gravabatur a dolore predicto ; et postea vidit eum sanatum et exercentem artem carpentarie ut prius exercuerat dicentem sibi quod meritis beati Thome de Aquino cui se recomendaverat, sanatus erat.

Interrogatus si scit quantum tempus est quod fuit liberatus, dixit quod credit quod sit circa annum. Interrogatus si cognoscit dictum fratrem Valdebrunum, dixit quod cognoscit et cognovit eum iam sunt XXXVI anni. Interrogatus de mense et die curationis, dixit quod non recordatur.

[MABILIA]

CXIII. — Eodem die, Mabilia, uxor Nicolai Grassone de castro Sermineti (1), Terracinensis diocesis, testis eodem modo citata per Iohannem nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum, modo predicto et in loco predicto, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc anno de mense septembris proxime preterito, in fine dicti mensis, vidit Nicolaum Grassone, virum suum predictum, patientem malum epatis, febrem ac malum stomaci et passus est per VII ebdomadas continuas (fol. 51v.) et quodam die sabbati, de sero, recomendavit se beato Thome de Aquino quod eum liberare dignaretur a predictis, ipsa teste presente et audiente ; et sequenti mane, die videlicet dominico, vidit eum sanatum et liberatum et dixit sibi quod meritis beati Thome predicti sanatus erat, et ex tunc fuit sanus, et exercuit omnia que sani exercent.

Interrogata de mense et die curationis, dixit quod de presenti mense, de die autem non recolit.

(1) Ms : Serimeti.

[THEODORA MANICONE]

CXIV. — Eodem die, Theodora Manicone, uxor Iohannis Binate, de castro Sompnini, Terracinensis diocesis, testis simili modo citata per Iohannem nuntium supradictum, iurata eodem modo coram ipsis dominis inquisitoribus, in loco predicto, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento, quod ipsa testis de anno preterito passa fuit dolorem quendam in capite ex quo resultabat sibi surditas ita quod puerum suum parvulum, vagientem, vix audire poterat, vel virum suum seu alium se alta voce vocantem. Et dum sic iaceret infirma dictus vir suus veniens de Fossa-Nova, de mense novembris preteriti, sicut credit, persuasit sibi quod se devote voveret beato Thome de Aquino quod eam liberaret ; quod et ipsa fecit : et voto emisso, dormivit illa nocte et in crastino se sanatam a morbo predicto invenit. Interrogata quanto tempore habuit dictam egritudinem, dixit quod plusquam per IIII^{or} menses. Interrogata de die voti et liberationis, dixit quod non recolit. Interrogata si aliquis fuit presens, dixit quod non nisi dictus vir suus quod ipsa sciat.

[BLANDITIA NICOLAI]

CXV. — (Fol. 52^r.) Die lune XXIII mensis novembris, Blanditia Nicolai domini Gregorii, mulier de Terracena, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in loco predicto, in presentia dictorum dominorum, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod in proxime preterito mense augusti, fuit annus quod ipsa passa fuit febrem continuam per XV dies, et dum sic pateretur ultimo die accesionis dicte febris recolens de miraculis que dici audiverat de dicto beato Thoma de Aquino, devotione concepta, recomendavit se dicto beato Thome, vovens quod si eam liberaret a febre predicta quod veniret ad monasterium Fosse-

Nove visitare tumulum suum, et poni facere super eum candelam et oblationem. Quo voto facto, statim meritis dicti beati Thome de Aquino, ut firmiter credit, a dicta febre extitit liberata, et nunquam postmodum passa fuit febrem predictam.

Interrogata qui erant scientes ipsam suam egritudinem, dixit quod non recordatur. Interrogata de die voti predicti, dixit quod non recordatur.

[AGNES PHILIPPI]

CXVI. — Eodem die, Agnes Philippi de castro Sancti Laurentii de Valle, Ferentinatis diocesis, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in loco predicto coram ipsis dominis inquisitoribus, modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie (1) fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod (fol. 52^{v}.) iam sunt duo anni vel circa quod ipsi testi supervenit tantus dolor in brachio et spalla dextra et toto latere dextro sui corporis quod non poterat se erigere de lecto nec movere vel ambulare nisi ab alio iuvaretur et sustentaretur. Quam infirmitatem portavit et habuit per septem ebdomadas continuas, et dum sic infirmaretur, audita fama miraculorum dicti beati Thome de Aquino, devotione concepta, recomendavit se eidem beato Thome quod eam (2) liberare dignaretur ab infirmitate predicta, et facta dicta recomendatione statim fuit liberata ab infirmitate predicta ; et ex tunc nunquam dolorem sentiit.

Interrogata de anno quo incepit dicta egritudo dixit quod non bene recordatur, sed credit quod sit circa duos annos. Interrogata de mense dicte recomendationis et liberationis, dixit quod non recordatur. Interrogata qui erant scientes ipsam suam egritudinem, dixit quod Gemma Coruina, filia sua, et Thomasia Abbatis et Maria Carella de dicto castro.

Interrogata si fuerint presentes aliqui quando recomendavit se dicto beato Thome de Aquino, dixit quod nullus fuit pre-

(1) Ms : memorie dicti fratris. — (2) Ms : eum.

sens, sed postea recitavit diem dicte liberationis dicte filie sue et etiam recitavit dictam recomendationem et liberationem multis de dicto castro.

[NICOLAUS BARTHOLOMÆI]

CXVII. — Eodem die, Nicolaus Bartholomei de Piperno, testis simili modo citatus per dictum Iohannem Brisiensem, nuntium, iuratus in loco predicto coram dictis dominis inquisitoribus, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod iam est annus et ultra quod ipsi testi supervenit dolor vehemens in genu (fol. 53r.) dextro, ita quod nullo modo poterat plicare tibiam, sed semper tenebat eam extensam, et licet pluribus remediis ex consiliis medicorum usus fuisset, nihil tamen ei meliorationis et curationis advenerat, cumque sic afflictus iaceret, circa principium presentis mensis, post suasionem sibi factam per Czituaram, matrem suam, quod se devoveret beato Thome de Aquino pro curatione dicte egritudinis : quodam sero intra (1) seipsum eidem beato Thome devote se recomendavit, vovens quod si eum liberaret eius tumulum cum oblatione candele et oblatione unius denarii visitaret. Quo facto de mane sanatum se invenit meritis dicti beati Thome, et matri sue predicte intimavit dictam eius liberationem et votum.
Interrogatus qui sciebant eius egritudinem, dixit quod dicta mater sua, Maria, soror sua, et Gemma, uxor eius et plures alii de Piperno. Interrogatus de die curationis, dixit quod non recolit, sed sunt bene XX dies elapsi. Quem dicti domini inquisitores et nos notarii vidimus sanum et bene et libere ambulantem.

[NICOLUCIUS AFFINNATI]

CXVIII. — Eodem die, Nicolucius Affinnati de Piperno etatis XX annorum vel circa, eodem modo citatus per Iohan-

(1) Ms : infra.

nem, nuntium supradictum, iuratus modo predicto coram ipsis dominis inquisitoribus in loco predicto, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse per tres menses passus fuit dolorem in spalla et brachio dextro, ita quod ipsum brachium ad os sibi ponere non valebat ; et quodam die sabbati, de mense septembris anni preteriti, recomendavit se beato Thome de Aquino quod eum liberare dignaretur (fol. 53v.) a dicto dolore, et die dominico immediate sequenti de mane surgens invenit se liberatum et ex tunc fuit sanus et liberatus sicut unquam fuerat, et eodem mane venit videre tumulum dicti beati Thome et obtulit ibi oblationem et candelam sicut voverat.

Interrogatus qui erant presentes quando votum emisit, dixit quod Leonarda uxor sua. Interrogatus qui erant scientes ipsam egritudinem, dixit quod dicta uxor sua, Fredericus et Barbatus fratres filii Nicolai Affinnati de Piperno qui etiam venerunt cum eo ad ipsum tumulum quando votum exsolvit.

[PETRUS GUALGANI]

CXIX. — Eodem die, Petrus Gualgani de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto coram dictis dominis inquisitoribus, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipse passus est quandam percussionem in brachio sinistro, et licet vulnus fuisset consolidatum tamen remansit sibi dictum brachium debile et dolorosum, et eum plicatum tenebat in tantum quod ipsum brachium nec amplius claudere vel apperire poterat, et circa mensem predicta passus et dum hec patiebatur, quodam sero de mense maii, de die non recolit, dum amplius solito gravaretur, persuasu Bellicie Casse, uxoris sue, recomendavit se beato Thome de Aquino ut eum Deus suis meritis curare dignaretur ; et in crastinum, antequam surgeret, in dicto brachio se absque dolore sentiit et ipsum extendit sicut sanus, et ostendit extensum ipsi uxori

sue, et surgens se sanum plene, credens meritis beati Thome, invenit, (fol. 54r) et omnia ut sanus que consueverat exercuit et exercet.

Interrogatus de anno et die percussionis predicte, dixit quod fuit percussus in die mercurii sancta quadragesime precedentis istam quadragesiman proxime preteritam, curatus autem fuit circa medium mensis maii tunc subsequentis.

[PETRUS VALLA]

CXX .— Eodem die, Petrus Valla de Piperno, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, nuntium, iuratus in domo habitationis predicte, in presentia dictorum dominorum, modo et forma predictis, interrogatus per ipsos dominos [inquisitores] de miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod in preterito mense maii fuit annus quod ipse testis vidit Petrum Gualgani de Piperno habentem brachium sinistrum debilitatum ex quadam percussione quam recepit, ita quod non poterat ipsum extendere, et habebat ipsum prorsus inutile, et demum circa medium dicti mensis maii, vidit eum plene sanatum de dicto brachio et audivit eum dicentem sibi quod meritis beati Thome de Aquino erat liberatus.

Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit eum infirmum et postea sanatum. Interrogatus si interfuit quando recomendavit se dicto beato Thome, dixit quod non.

[PETRUS ECTARI]

CXXI. — Die martis XXIIII mensis novembris, Petrus Ectari de Piperno, testis eodem modo citatus per dictum Iohannem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo predicto (1), interrogatus per dictos dominos inquisitores de miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod hoc (fol.

(1) Ms : modo predicto modo quo supra.

54r.) anno, quodam die dominico, de mense octobris proxime preterito, dum esset in missa in ecclesia sancte Marie de Piperno arripuit eum febris fortissima et ad domum suam rediens, et gravatus dicta febre et vomitu affligeretur, et ex hoc se mori dubitaret, persuasu Gayte uxoris sue, recomendavit se beato Thome de Aquino, ut eum adiuvaret. Et incontinenti, recomendatione emissa, in presentia dicte uxoris sue et Marie Gayte (1), matris sue, Marie Piperis amice sue, febris et vomitus cessaverunt, et ita sanus fuit quod die martis sequenti arripuit iter in Calabriam.

Interrogatus quota dominica fuit dicti mensis, dixit quod die dominico precedenti festum beati Luce.

[GEMMA CORRUINA]

CXXII. — Eodem die, Gemma Corruina, filia Agnetis Philippi, de castro Sancti Laurentii de Valle, testis eodem modo citata per dictum Iohannem, nuntium, iurata simili modo coram ipsis dominis inquisitoribus, in loco predicto, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis — iam est annus et ultra — vidit dictam Agnetem matrem suam patientem vehementem dolorem in spatula et brachio, ita quod se induere non poterat, nec per se ambulare ; et dictus dolor tenuit eam per VII ebdomadas, et postea audivit eam dicentem : « Volo me vovere beato Thome de Aquino ». Et postea vidit eam sanatam et audivit eam dicentem sibi quod meritis dicti beati Thome qui se voverat liberata erat a dolore predicto.

[PETRUS magistri IOHANNIS]

CXXIII. — Eodem die, Petrus magistri Iohannis de Piperno, notarius (fol. 55r.) gener Petri Leti de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum,

(1) Ms : Gaytan.

eodem modo iuratus in loco predicto coram ipsis dominis inquisitoribus, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod in estate proxime preterita fuit annus quod Petrus Letus, socer suus, infirmatus est infirmitate que dicitur squilentia ; et loquelam perdidit et adeo gravis erat quod de eius convalescentia diffidebat, et demum dum sic graviter infirmaretur, et aliquibus diebus sine loquela mansisset, annuit ipsi testi ut sibi traderet ad scribendum, et ipse testis dedit sibi cartam, calamare et pennam, et dictus Petrus Letus de manu sua scripsit quod eum deberent portare apud monasterium Fosse-Nove ad tumulum beati Thome de Aquino, et deberent cantari facere missam in altari maiori ecclesie dicti monasterii quod est iuxta tumulum supradictum ; ipsumque scriptum tradidit dicto testi. Et cum, impediente domina Iacoba, uxore ipsius Petri, ad dictum tumulum non defferetur, et cum manu annueret et ostenderet viam dicti monasterii, turbari videbatur, et denuo post aliqualem horam cepit loqui et dicere quod meritis beati Thome de Aquino erat liberatus et ex tunc sanatus est.

Interrogatus de mense et die, dixit quod non recolit, nisi quod tunc erant ficus mature.

[Magister MARCUS]

CXXIV. — Die mercurii XXV mensis novembris, magister Marcus, clericus ecclesie sancte Lucie de Piperno, testis eodem modo vocatus per ipsos dominos, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, eo modo quo supra, (fol. 55ᵛ.) interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis dicti recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod iam sunt XVI anni elapsi quod ipse habuit quandam tussim que duravit sibi per triennium, ita quod per dictum triennium ab initio cuiuslibet yemis dicti triennii usque circa introitum maii, tussiebat graviter et sputum grossum ac copiam sanguinis per os et per nares cum impetu, bis et ter cotidie, effundebat. Vero cum quodam die apud Fossam-Novam venisset, devotione concepta ad beatum Thomam de Aquino, se eidem beato Thome pro recupera-

tione sue sanitatis devote recomendavit, et posuit se, presentibus domina Guerra Gulferame de Piperno et domino Petro Andree Sancti Iohannis, monacho dicti monasterii, supra sepulcrum dicti beati Thome ; et Pipernum rediens, nocte sequenti supervenit sibi vomitus magnus et vomit multum sanguinem et ex tunc fuit sanus et est ab illa infirmitate meritis dicti beati Thome ut credit.

Interrogatus quantum tempus est quod curatus est, dixit quod sunt XIII anni elapsi. Interrogatus quo mense venit ad tumulum supradictum, dixit quod de mense martii tunc currenti. Interrogatus de die, dixit quo non recolit, sed credit quod fuerit in ebdomada qua venit Annuntiatio beate virginis Marie. Interrogatus si fuerunt aliqui presentes quando vomit et liberatus est, dixit quod Angelus, frater eius qui mortuus est, et Iohanna de Monte Sancti Iohannis que non est in partibus istis.

[CZITUARA]

CXXV. — Eodem die, Czituara uxor quondam Bartholomei Cathene de Piperno (fol. 56r.) testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in loco predicto coram ipsis dominis inquisitoribus, in modo predicto, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Nicolaus Bartholomei de Piperno, filius suus, habuit dolorem vehementem in genu dextro per annum, et iam sunt XX dies quod quodam sero cum graviter affligeretur persuasit dicto filio suo quod se recomendaret beato Thome de Aquino quod eum liberaret et in crastinum de sero dixit dicte matri sue : « Liberatus sum meritis beati Thome de Aquino, cui post tuam persuasionem me recomendavi ». Et ex tunc vidit et videt eum sanatum.

Interrogata de die curationis, dixit quod non recordatur.

[GEMMA]

CXXVI. — Eodem die, Gemma, uxor Nicolai Bartholomei

de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata coram ipsis dominis inquisitoribus in loco predicto, eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod dictus Nicolaus, vir suus, quasi per annum, passus fuerat dolorem gravem in genu et cum quodam sero dictus Nicolaus pro dolore fleret, Czituara, mater dicti viri sui, et ipsa Gemma persuaserunt eidem quod se recomendaret beato Thome de Aquino, ut eum liberare dignaretur, et mane sequenti dictus Nicolaus dixit ipsi testi quomodo liberatus erat meritis dicti beati Thome de Aquino cui se recomendaverat, et ex tunc vidit et videt eum sanatum a dolore predicto.

Interrogata de tempore liberationis, dixit quod sunt fere XX dies, de die autem non recordatur.

[BARBATUS]

CXXVII. — (Fol. 56v.) Eodem die, Barbatus, filius Nicolai Affumati de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem, nuntium supradictum, iuratus in loco predicto coram dictis dominis inquisitoribus, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Nicolutium Affinnati (1) de Piperno patientem dolorem in spalla et brachio et adeo gravabatur ex dicto dolore quod brachium ad os ponere non valebat, et postmodum quodam die de quo non recolit, vocavit ipsum testem, et Fredericum, fratrem ipsius testis, et rogavit eosdem quod associarent eundem usque ad tumulum beati Thome de Aquino, cui se recomendaverat : quod et fecerunt ; et dum veniebat ad dictum monasterium Fosse-Nove, ipse Nicolutius portabat lanceam in manu brachii ubi passus fuerat, licet non videretur ipsi testi plene et libere eam portare ; et cum pervenissent ad dictum monasterium, iverunt ad tumulum dicti beati Thome et eis recedentibus, vidit dictum Nicolutium bene portantem dictam lanceam et ex tunc vidit eum sanum et facien-

(1) Ms : Affinnatum.

tem omnia sicut sanus.

Interrogatus quanto tempore passus fuerat dictus Nicolutius, dixit quod plusquam per unum mensem vidit eum in dicto brachio patientem. Interrogatus in quo brachio, dixit quod non recordatur. Interrogatus quantum tempus est quod fuit liberatus, dixit quod sunt tres menses vel circa. Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod est XVI annorum et sicut ipsis dominis inquisitoribus videbatur.

[ODDOLINA]

CXXVIII. — Eodem die, Oddolina, filia Petri Leti, uxor Petri magistri Iohannis (fol. 57r.) de Piperno, mulier XV annorum et ultra ut ipsa asseruit et dictis dominis inquisitoribus et nobis notariis videbatur, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata coram ipsis dominis inquisitoribus in loco predicto, et eo modo quo supra, interrogata per ipsos dominos de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit quod de mense septembris proxime preterito fuit annus quod vidit dictum Petrum Letum, patrem suum, patientem quandam infirmitatem in gutture et lingua, ita quod loqui non poterat ; et vidit quod, dum loqui non posset, tradidit dicto Petro, viro suo, quandam scriptam in qua dictus vir suus dixit sibi quod continebatur quod dictus Petrus Letus defereretur ad monasterium Fosse-Nove ad tumulum beati Thome de Aquino. Et post hec vidit eundem patrem suum liberatum a dicta infirmitate et audivit eum dicentem quod meritis beati Thome de Aquino, cui se recomendaverat, erat liberatus : aliud non recordatur.

[BELLITIA]

CXXIX. — Eodem die, Bellitia, uxor Petri Gualgani de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogata per ipsos inquisitores de miraculis recolende memorie fratris Thome de Aqui-

no, dixit suo iuramento quod vidit dictum Petrum, virum suum, vulneratum in brachio, non tamen recolit in quo — iam est annus et VIII menses vel circa — et quamvis vulnus esset sanatum, tamen remansit sibi dictum brachium dolorosum et portabat ipsum ad cannam (?) cum linteo, nec ipsum brachium extendere poterat, et quodam sero, dum dolore ipsius brachii gravaretur, persuasit sibi (fol. 57v.) quod se recomendaret beato Thome de Aquino, et mane veniente dictus vir suus vocavit eam dicens : « Bellitia, Deo gratias quia meritis beati Thome de Aquino cui me recommendavi, brachium non doleo et sanus sum ». Et ea vidente, extendit et replicavit brachium, et vidit ex tunc et videt eum sanatum plene et ex tunc facientem omnia cum dicto brachio sicut sanus.

Interrogata de mense curationis, dixit quod nescit computare, sed scit (1) quod dictus vir suus fuit percussus in die mercurii sancta et stetit sic infirmus fere per mensem cum dimidio.

[ANDREAS FRANCISCI]

CXXX. — Eodem die, Andreas Francisci de Piperno, testis eodem modo citatus per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iuratus coram dictis dominis inquisitoribus, in loco predicto et eo modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod vidit Stephanum, nepotem suum, filium Guidonis magistri Iohannis, cognati sui, patientem morbum caducum, et hoc vidit plusquam per tres menses et postea — iam est annus — quod vidit eum sanatum et audivit a dicto cognato suo et a Margarita, sorore sua, parentibus ipsius pueri, quod meritis beati Thome de Aquino, cui eum recomendaverat, liberatus est.

Interrogatus cuius etatis est dictus puer, dixit quod est trium annorum modo. Interrogatus de etate ipsius testis, dixit quod est XVIII annorum. Interrogatus si audivit dictum

(1) Ms : nescit.

votum et recomendationem quando facta sunt (1) per dictos parentes dicti pueri, dixit quod non. Interrogatus quomodo scit quod dictus puer passus fuerit dictum morbum, dixit quod vidit eum patientem et aliquando cadentem.

[LEONARDUS IACOBI]

CXXXI. — Eodem die, Leonardus Iacobi de Piperno, testis simili modo citatus (fol. 58r.) per eundem Iohannem Briensem, nuntium, iuratus in presentia dictorum dominorum, in loco predicto, modo quo supra, interrogatus per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod Petrus, filius suus, tunc quatriennius passus fuit tumorem (2) et rubedinem in lumbis, costis et crure, ita quod non poterat ambulare nec aliquis eum sine lesione et dolore tangere, et tunc Remica, uxor sua, eo presente, recomendavit dictum puerum beato Thome de Aquino quod dignaretur eum liberare a dicto morbo absque incisione. Qua recomendatione facta, portaverunt ipsum puerum ad monasterium Fosse-Nove et ipse Leonardus ipsum puerum portavit et posuit super tumulum dicti beati Thome, et post aliqualem horam recepit dictum puerum de dicto tumulo et posuit eum rectum in terram, et ipse puer per se ipsum, sine dolore, rediit cum ipso Leonardo, patre suo, tenendo eum per manum ad matrem ; et ex tunc fuit sanus et est meritis dicti beati Thome.

Interrogatus quanto tempore dictus puer fuit infirmus, dixit quod per duos menses vel circa. Interrogatus quando fuit liberatus, dixit quod in estate preterita fuit annus. Interrogatus de mense et die, dixit quod non recordatur. Interrogatus de latere in quo dolebat, dixit quod non recordatur.

[GAYTA]

CXXXII. — De iovis XXVII mensis novembris, domina

(1) Ms : fuit. — (2) Ms : timorem.

Gayta, uxor Petri Ectari de Piperno, testis eodem modo citata per Vannen[sem] Angeli, nuntium iuratum predictorum dominorum, iurata coram ipsis dominis inquisitoribus, in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod de hoc anno iam est (fol. 58v.) mensis cum dimidio quod quodam die dominico dum ipsa rediret a missa invenit dictum Petrum Ectari, virum suum, male dispositum in persona, et post modicam comestionem fortiter cepit febricitare et graviter affligi ; et dum plurimum gravaretur, persuasit eidem viro suo quod recomendaret se beato Thome de Aquino quod liberaret eundem : quod eodem die dictus vir eius fecit, ea audiente ; et incontinenti cepit vomere, et eodem die curatus est a febre et ab illo languore meritis eiusdem beati Thome ut firmiter credit, et infra triduum ivit ad nundinas quasdam : et aliud nesci.

[MARIA PEPE]

CXXXIII. — Eodem die, Maria Pepe de Piperno, testis eodem modo citata per Iohannem Brisiensem, nuntium supradictum, iurata in presentia dictorum dominorum inquisitorum in loco predicto, modo et forma predictis, interrogata per ipsos dominos inquisitores de miraculis eiusdem recolende memorie fratris Thome de Aquino, dixit suo iuramento quod ipsa testis, quodam die dominico, de mense octobris proxime preterito, vidit Petrum Ectari, nepotem suum, de Piperno graviter infirmum, et vidit eum dicto die recomendantem et voventem se beato Thome de Aquino quod eum liberaret, et postea eodem die vidit eum vomentem et statim liberatus est ab infirmitate et langore predicto, et tertia die dictus Petrus ivit in Regnum ad nundinas.

CXXXIV. — Ut autem premissis omnibus, fides adhibeatur indubia, presens contextus sive quaternus in horum testimonium factus per manus mei, Laurentii Egidii Leporis de Urbe, sancte Romane ecclesie auctoritate notarii, mei ac prenominati Petri dicti Sarraceni de Piperno, imperiali auctoritate notarii, Terracinensis diocesis, signis ac subscriptionibus roboratus, ac sub dictorum reverendorum patrum

dominorum Petri, Dei gratia episcopi Anagnini et (fol. 59r.) magistri Pandulphi de Sabello, domini pape notarii, sigillis propriis interclusis.

Et ego qui supra, Laurentius Egidii Leporis de Urbe, Dei gratia sancte Romane ecclesie auctoritate notarius ad requisitionem, rogatum et mandatum supradictorum reverendorum patrum dominorum Petri, episcopi Anagnini et magistri Pandulphi de Sabello, domini pape notarii, predictis presentationi litterarum papalium, actis, inquisitioni, testium iuramentis et examinationi atque processui actitatis et factis presentialiter per dictos dominos episcopum et magistrum Pandulphum, seu coram eis, in locis predictis , in dicto monasterio Fosse-Nove, pretitulatis anno, mense et diebus, una cum prenominato Petro dicto Sarraceno, publico imperiali auctoritate notario, presens fui ; et in scriptis simul cum ipso fideliter illa redegi, et ea omnia in presenti contextu seu quaterno ordinavi et propria manu scripsi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi, meoque solito signo signavi.

Et ego qui supra Petrus dictus Sarracenus de Piperno, imperiali auctoritate notarius ad requisitionem, rogatum et mandatum supradictorum reverendorum patrum dominorum Petri, episcopi Anagniensis, et magistri Pandulphi de Sabello domini pape notarii, predictis presentationi litterarum papalium, actis, inquisitioni, testium iuramentis et examinationi atque processui actitatis et factis presentialiter per dictos dominos episcopum et magistrum Pandulphum seu coram eis, in locis predictis, in dicto monasterio Fosse-Nove, pretitulatis anno, mense et diebus una cum prenominato Laurentio Egidii Leporis de Urbe, publico sancte Romane ecclesie auctoritate notario, presens fui ; et in scriptis simul cum ipso fideliter illa redegi, et ea omnia in presenti contextu seu quaterno ordinato et propria manu dicti Laurentii scripta, me subscripsi meoque solito signo signavi.

RÉCITS DE LA CANONISATION DE S. THOMAS D'AQUIN

Avignon — 14 (ou 16) - 21 Juillet 1323

1. Les événements qui marquèrent la canonisation de saint Thomas d'Aquin en Avignon nous sont connus par deux récits émanant de témoins oculaires : l'un composé par un écrivain anonyme, probablement dominicain ; l'autre par un frère Prêcheur italien, frère Bentius (a).

La première de ces relations a été conservée dans le manuscrit 610 de la Bibliothèque de Toulouse (France). Ce bref récit a été attribué tantôt à Bernard Gui (b) : Mandonnet (c) ; tantôt à Jean Colonna (d) : Walz (e). Il est possible que ces deux Prêcheurs se soient trouvés à Avignon lors de la canonisation de Thomas d'Aquin (f), mais il paraît difficile, étant donné la brièveté et le caractère impersonnel de ce fragment, de pouvoir l'attribuer d'une manière certaine à l'un ou à l'autre de ces religieux également connus par leurs travaux historiques.

Le compte rendu que fr. Bentius adressa d'Avignon le 22 juillet 1323 à l'ancien général des Prêcheurs, Aymeric de Plaisance, au provincial de Lombardie inférieure, Benvenuto dei Borghesini, et aux prieur et religieux du

(a) L'existence de fr. Bentius n'est pas autrement connue : le P. Taurisano (*Tre documenti inediti su S. Tommaso*, dans *S. Tommaso d'Aquino, O. P., Miscellanea storico artistica* (STM), Roma, 1924, p. 312) a proposé une identification possible de cet auteur avec Benoît d'Assignano (Bentius devant être lu Benedictus).

(b) Sur Bernard Gui, voir THOMAS (A.), *Bernard Gui*, dans *Histoire littéraire de la France*, t. XXXV, Paris, 1921, p. 139-232.

(c) MANDONNET (P.), dans *Mélanges Thomistes*, p. 35.

(d) Sur Jean Colonna, voir TAURISANO, dans STM, p. 170-174.

(e) WALZ (A.), *Historia canonizationis sancti Thomae de Aquino*, dans *Xenia Thomistica*, t. III, Romae, 1925, p. 145.

(f) Sur la présence de Jean Colonna à Avignon, voir WALZ, *op. cit.*, p. 128 ; pour ce qui concerne Gui dans le cas où ce dominicain aurait été présent à Avignon, il n'a dû y arriver que quelques jours avant ces cérémonies car le 19 juin précédent il était encore à Pamiers où il rend un jugement inquisitorial, voir LIMBORCH (P.), *Historia Inquisitionis*, Amsterdam, 1692, p. 394.

couvent de Bologne, a été incorporé par Taëgio (g) dans sa monumentale compilation d'histoire dominicaine (Rome, Archives des frères Prêcheurs, XIV, 54, 1). Plus détaillée que la précédente, cette relation apporte de nombreuses précisions au récit anonyme de ces événements.

2. Édition. — Éditée au cours du XVII[e] siècle par Percin (h), la narration anonyme de la canonisation de saint Thomas a été réimprimée dans la suite par Brémond (i), Douais (j), Berthier (k) et Mandonnet (l). Le récit de fr. Bentius a été publié par le P. Taurisano (m) lors du VI[e] centenaire de la canonisation du Docteur Commun.

3. Texte. — Le texte de la présente édition a été établi d'après le manuscrit unique qui renferme chacun de ces fragments. On a donc utilisé pour le récit anonyme le manuscrit (n) de Toulouse 610, fol. 80-82, et pour le fragment de fr. Bentius le codex XIV, 54, I, des archives des frères Prêcheurs à Rome, p. 152-153.

(g) Quetif-Echard, *Scriptores ordinis Praedicatorum*, t. II, Paris, 1721, p. 35.

(h) Percin (J.-J.), *Monumenta conventus Tolosani ord. fr. Praedicatorum...*, Toulouse, 1693, VIII[e] partie, p. 229.

(i) *Bullarium Ordinis Praedicatorum*, t. II, Romae, 1730, p. 163, note 22.

(j) Douais (C.), *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des Frères Prêcheurs*, Toulouse-Paris, 1884, pp. 268-270.

(k) Berthier (J.-J.), *Sanctus Thomas Aquinas. Doctor Communis Ecclesiae*, t. I, Romae, 1914, pp. 50-52.

(l) Mandonnet, *Mélanges*, pp. 35-37 en note.

(m) Taurisano, dans STM, pp. 321-323.

(n) *Catalogue des manuscrits des bibliothèques de France*, série in-4°, t. VII, Paris, 1885, p. 358 ; Douais (C.), *Les reliques de saint Thomas*, Paris, 1903, pp. 4-6.

RÉCIT ANONYME

Anno Domini M°CCC°XXIII°, Dominus Iohannes papa XXII, pontificatus sui anno VII°, in Avenione, XV kal. augusti, cum solemnitate mirabili canonizavit sanctum Thomam de Aquino, doctorem venerabilem ordinis fratrum Predicatorum.

Feria enim quinta ante festum sancti Alexii, quod fuit II idus iulii (d), facti sunt sermones in palacio domini pape super canonizatione eius ; et ipse dominus papa primo predicavit, premictens antithema : *Hec dies boni nuncii est ; si tacuerimus, et celaverimus usque mane, sceleris arguemur* [IV Reg., VII, 9]. Post hoc predicavit de hoc themate : *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum ; Dominus exaudivit me, cum clamavero ad eum* [Psalm., IV, 4].

Et mirabiles comendationes proposuit tam de Predicatorum ordine quam de sancto. Inter cetera, dixit quod iste sanctus in ordine sancto Predicatorum gessit vitam apostolicam, quum ordo nihil habet in proprio [et] in

RÉCIT DE FR. BENTIUS

Reverendis in Christo fratribus magistro Aymerico (a), priori provinciali Lombardie inferioris (b), priori Bononiensi, magistro et patribus dicti conventus frater Bentius reverentiam et amorem.

Nova gaudia nuper nuntiata, que iam per alias litteras vobis scripsi, modo vobis scribo Dei graciam fore completam, scilicet de canonizatione gloriosi doctoris fratris Thome de Aquino.

Siquidem die precedenti (c) festum beati Alexii tenuit dominus papa consistorium publicum, et primum sermonem fecit incipiens : *Hec dies boni nuncii est*, quia bona vobis annuntiare habemus de fratre Thoma de Aquino, ideo : *Scitote quia mirificavit dominus sanctum suum ; Dominus exaudivit me, quum clamavero ad eum.*

Hoc thema divisit et sermonem fecit ; dicens eum in sancto ordine Predicatorum apostolicam vitam duxisse ; qui ordo, sive fratres, nihil habens proprium, licet aliquid habeant in communi sicut apostoli habuerunt, et apos-

(a) Aymeric de Plaisance, maître général des Prêcheurs de 1304 à 1311.
(b) Benvenuto dei Borghesini.
(c) Samedi, 16 juillet 1323.
(d) Jeudi, 14 juillet 1323.

speciali, licet habeat in communi, addens : « Et hanc vitam apostolicam reputamus. » Addidit etiam quod nullus haberet pro malo quod iste gloriosus doctor post apostolos et doctores primos plus illuminavit ecclesiam Dei. Item quod virginitatem usque in mortem conservavit. Item quod in tota vita sua peccatum mortale non commisit. Item quod inventa fuerunt de eo miracula non minus [quam] trecentis (e).

Post dominum papam, predicavit fr. Petrus Canterii de ordine Predicatorum, tanquam qui negocium ducebat, quia magister Iohannes de Neapoli (f), procurator negocii sancti Thome, iacebat infirmus ; et predicavit de hoc themate, inter omnes alios eleganter : *Ad preceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum* [Iob, XXXIX, 27].

Post hunc, predicavit dominus Robertus, rex Cicilie et Ierusalem, frater sancti Ludovici episcopi (g), de hoc : *Ille erat lucerna ardens et lucens* (h) [Joh., V, 35].

tolicam vitam ducunt, et eius miracula esse plene probata, specificans de inefabili odore procedente de corpore eius et sepultura, quum fuit aperta, et quod firma et certa confessorum suorum assertione usque ad mortem servavit integram virginitatem. De claritate vero doctrine, quod citra apostolos et primos doctores nullus tantum quantum iste ecclesiam illuminavit, et quod merito et digne erat sanctorum cathalogo ascribendus.

Quo domino cessante et annuente, procurator ordinis respondit : *Ad preceptum tuum elevabitur aquila et ponet in arduis locum suum*, quod pulcerime exposuit et probavit, petens ex parte magistri et totius ordinis dictum doctorem egregium canonizari.

Post quem, dominus rex Robertus incepit suum : *Ipse*, inquit, *erat lucerna ardens et lucens*, et perpulchre prosecutus ; in fine genuflexit petens tantum doctorem in tanta sanctitate nutritum et fama et in tam sancto Predicatorum ordine, canonizari et sanctorum cathalogo ascribi.

(e) L'édition de Percin, reproduite par Brémond et Berthier, ajoute le texte suivant : « ...trecentis, et quod tot fecerat miracula quot scripserat articulos ».

(f) Sur Jean de Naples voir la bibliographie donnée lors de sa déposition au procès de Naples, n° XLVIII : *Fontes vitae S. Thomae*, p. 328.

(g) S. Louis d'Anjou, évêque de Toulouse, canonisé par Jean XXII le 7 avril 1317.

(h) Le plan du sermon de Robert d'Anjou a été publié par le P. Walz, *Historia canonizationis*, p. 171.

Postea, quidam patriarcha (i) de ordine Predicatorum, de hoc : *Similem illum fecit in gloria sanctorum* [Eccli., XLV, 2].

Post, patriarcha Alexandrinus, condam archiepiscopus Pisanus, frater Odo, proposuit : *Similem illum fecit in gloria sanctorum.*

Postea, archiepiscopus Capuanus (j) de hoc excellenter : *Lucerna splendens super candelabrum* [Eccli., XXVI, 2].

Post ipsum, dominus archiepicopus Capuanus : *Lucerna super candelabrum.*

Postea, quidam episcopus (k) de hoc : *Ite, renunciate Iohanni que audistis et vidistis* [Luc., VII, 22], quasi dirigens verbum ad eos qui fuerunt missi, ex parte domini Iohannis pape, ad inquirendum de vita et miraculis huius sancti.

Post eum, dominus episcopus Victoriensis [*lege:* Vintoniensis].

Post hunc, archiepiscopus Arelatensis (l) de hoc : *Enoc translatus est in paradisum* [Eccli., XLIV, 16].

Post, Anataiensis [*lege:* Arelatensis].

Postea, episcopus Ludonensis [*lege:* Lodovensis] frater Minor (m), de hoc : *Doctor gentium in fide et veritate* [I Tim., II, 7]. Nec fuerunt tunc audite tot comendationes de sancto Thoma, sicut ab illo.

Ultimo episcopus Lodovensis : *Modo novus doctor gentium in fide et veritate.* Qui pulchre dixit, nominans eius sanctitatem et ordinis Predicatorum sacram religionem et eius doctrine claritatem, petens sicut omnes alii ipsum canonizari.

Quo cessante, surrexit dominus papa iudicans ipse digne canonizandum, et de consilio do-

(i) Eudes Sala, patriarche d'Alexandrie, sur ce dominicain voir : [Bonaini], *Cronaca di Santa Caterina di Pisa*, dans *Archivio storico italiano*, vol. VI, 2 par. sez. III, Florence, s. d., pp. 488-491.

(j) Ingerran Stella, archevêque de Capoue : Eubel, *Hierarchia*, t. I, p. 165.

(k) Jean Stratford, évêque de Winchester : Eubel, *Hierarchia*, t. I, p. 529.

(l) Gaillard de Saumate, archevêque d'Arles : Eubel, *Hierarchia*, t. I, p. 103.

(m) Jean de Tixanderie, évêque de Lodève : Eubel, *Hierarchia*, t. I, p. 310.

minorum cardinalium, benedictione data, consistorium est terminatum, ubi ego presens fui in presentia domini pape a principio usque in finem.

Hec facta sunt feria quinta, que fuit II idus iulii.

In sequenti vero, feria secunda, que fuit crastinum sancti Alexii, XV scilicet kal. augusti, in ecclesia beate Virginis (n) in Avinione, presentibus rege predicto et regina, omnibus cardinalibus et omnibus prelatis curie dominus papa celebravit missam de sancto Thoma et predicavit de hoc : *Magnus es tu et faciens mirabilia* [Ps., LXXXV, 10].

Tertia die sequenti, scilicet feria secunda in crastino s. Alexii, dominus papa et cardinales cum omnibus prelatis curie, scilicet episcopis ut supra, in ecclesia beate Marie parati omnes, facta primum collatione per dominum papam dicentem : *Magnus est tu et faciens mirabilia*, invocato Spiritu sancto, *Veni creator Spiritus* cantaverunt ; quo facto sedit et proposuit : *Redde quod debes* [Matth., XVIII, 28] exponens se beati Thome debitorem ut quem Deus tam clare honoravit in celis et ecclesia honoret in terris. Et tunc auctoritate Dei et beatorum Petri et Pauli, dictum doctorem gloriosum publice ascripsit cathalogo sanctorum. Tunc alta voce cantatum est : *Te Deum laudamus*. Quo finito, incepta est missa de uno confessore solemnis, quam celebravit dominus papa ; cuius introitus fuit : *In medio ecclesie*, et oratio : *Deus qui ecclesiam tuam beati Thome ;* et epistola : *Optavi ;* responsorium : *Os iusti ;* alleluia pulcherrimum novum sed longum ; evangelium : *Vos estis sal terre*, sicut de beato Dominico.

Plena fuit ecclesia luminaribus magnis et completum est gau-

(n) Notre-Dame des Doms, à Avignon.

dium diu desideratum. Per omnia gratias Salvatori qui *refulsit sol in clipeos aureos et resplenduerunt mentes ab eis* [I Mac., VI, 39].

De mutis pauca vobis epilogavi, quia omnia scribere longum esset valde, nec potui omnia retinere, gravorque etiam in scribendo.

Volui tamen quod officium eius compilatum per ecclesiam habeatis donec ordo sic vel aliter ordinabit.

Et dominus rex fecit preconizari per totam civitatem, quod omnes festivarent sicut in die Natalis, quod et factum est.

Postea vero facta sunt iugiter solemnia festa in conventu Predicatorum in Avinione per regem et reginam et per diversos prelatos, ad que venerunt cum mirabili leticia domini cardinales.

His peractis, conventus noster, altera hora, Avenioni cum vicario provincie et prioribus circumstantibus cantaverunt *Te Deum* alta voce, et dominus archiepiscopus Capuanus eum oratione supradicta finivit.

Per idem tempus, cum venirent fratres Predicatores ad regraciandum predicto domino regi, quia fideliter laboraverat in facto sancti Thome, respondit rex :

« Nos ita efficaciter laboravimus et laborasse voluimus, quod quum volumus aliquid per [*lege :* pro] persona nostra a sanctissimo patre nostro, significamus ei per cedulam ; et pro isto sancto libenter, quando oportuit, accesimus

In crastinum cantavit ipse solemniter missa de beato Thoma : *In medio*, et domino rege presente, et aliquibus cardinalibus in domo nostra cum personarum multitudine copiosa : mensa etiam copiosa fuit.

In alia die, scilicet feria quarta, dominus archiepiscopus Aquensis (o), et totius istius negotii apud dominum papam mirabilis procurator, congregari fecit prelatos ex ordine assumptos ; et

(o) Jacques de Concots, archevêque dominicain d'Aix-en-Provence : EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 96.

personaliter ad beatitudinem suam.»

Explicit sollempnitas canonizationis sancti Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum.

missam cantavit dominus archiepiscopus Arborensis (p), et mensam Aquensis copiosius fecundavit.

In alia die sequenti, scilicet feria quinta, dominus episcopus Methensis (q) de eodem, ut supra, missam cantavit et comes Sancti Severini (r) mense providit.

In crastino, presente rege, facta est solemnitas Magdalene (s).

Solemnitatis veritas superat verba mea.

Scriptum in curia in festo Magdalene.

(p) Gui Cattano, archevêque dominicain d'Oristano : Eubel, *Hierarchia*, t. I, p. 101.
(q) Henri, évêque de Metz : Eubel, *Hierarchia*, t. I, p. 338.
(r) Thomas de San Severino, comte de Marsico, neveu de S. Thomas d'Aquin.
(s) 22 juillet 1323, fête de Se Marie-Madeleine.

BULLE DE CANONISATION DE SAINT THOMAS D'AQUIN

Avignon — 18 Juillet 1323

ORIGINAL : Arch. Haute-Garonne (France), H. Jacobins, liasse 99.

(Pour la description de ce document et les diverses éditions qui en ont été données : voir WALZ (A.), *De bulla canonizationis S. Thomae Aquinatis*, dans *Analecta s. Ordinis Praedicatorum*, t. XXXI, 1923-1924, pp. 173-192.)

Iohannes episcopus, servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbiteris, aliisque ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

I. *Redemptionem misit* dominus *populo suo* (a), cum Dei Verbum in virginalis uteri thalamo Spiritus Sancti cooperatione conceptum, *caro factum est et habitavit in nobis* (b), verbo suo nos instruens, exemplo nos docens, celestia reserans, occulta depromens, miraculis roborans, ac sacri eloquii testimoniis futura eadem fuisse confirmans, tandemque se Deo patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos spoliavit infernum, ac tertia die resurgens a mortuis et *per quadraginta dies apparens* discipulis suis *et loquens de regno Dei* (c), ipsis cernentibus est elevatus in celum, et *captivam* ducens *captivitatem, dedit dona hominibus* (d) quibus patescere celum innotuit, reserata dudum clausa in se credentibus ianua paradisi.

(a) *Psalm.*, CX, 9.
(b) *Iohann.*, I, 14.
(c) *Act. Apost.*, I, 3.
(d) *Ephes.*, IV, 8.

Patet ergo celum credentibus, patet humilibus, patet et hiis maxime qui honestatis, paupertatis et obedientie votis se Deo, a quo per inobedientiam stulti discesserant, voluntaria sponsione devovent. *Regnum* enim *celorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (e), dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora contendunt.

Hec itaque beatus Thomas de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus, sedula meditatione revolvens, et attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius ordinis Predicatorum habitum suscepit, in eo, invito patre etiam, qui eius felicibus actibus invidebat, constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit, ubi in brevi adeo scientia, vita et moribus profecit, ut etate adhuc iuvenis ad sacerdotium promoveretur, et ad eiusdem theologie magisterium Parisius, loco utique celeberrimo, assumptus, magno inibi sui suique ordinis, ac Parisiensis studii favore per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore, admirationem merito exhiberent ut illud psalmi : *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra* (f), in eo verissime impleretur. Quod utique thema idem sanctus, dum esset in sacra pagina incepturus assumpsit, quodque, ut fertur, revelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter iuventutem suam ipse se inhabilem ad magisterium reputans, quid proponeret in instanti sibi principio hesitaret.

II. Nam et in primitivis scientiis et diversis philosophie partibus, ut non esset otiosus, sed operaretur terram,

(e) *Matth.*, XI, 12.
(f) *Psalm.*, CIII, 113.

necnon in sacre scripture pagina, tam super novum quam vetus testamentum scripta, plurimaque alia opera in Dei laudem, fidei dilatationem, eruditionemque studentium, clara, cum sciens esset, famosa, cum cognitus, non absque specialis doni gratie infusione perfecit. *Doctrina* quippe *prudentium facilis*, et *omnino scientis signum est posse docere* (g).

Perfecit utique vir peritus, a terrenorum ambitione semotus, et ad celestium assecutionem intentus, profecto vacans studio, intendebat Deo, pretermittebat terrena ut assequeretur eterna, premittebat divina ut roboraretur in scola, cum singulis diebus antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, missam unam celebraret, aliam audiret vel duas integre missas si non celebrasset audiret, in quibus, et alias etiam in oratione, cum in illa foret assiduus, lacrimarum effusione, mentis sue dulcedinem, devotionemque Deo, cui nihil est absconditum, revelabat.

Cumque castitatis nitore canderet, in parsimonia devota hanc custodiebat humilitate, hancque eadem sobrietate medica nutriebat, adeo ut multi eum in carne virginitate mansisse incorruptum extimarent. Quod eiusdem sancti confessor ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publice, ut ad nos testimonio fide digno pervenit, coram omnibus die defunctionis eiusdem asseruit, dicens : « Ego confessionem generalem istius sancti viri audivi, de quo testificor, quia ita inveni eum purum, sicut puerum quinque annorum, quia numquam sue carnis sensit corruptelam. » Qui preterea vir Dei, cibis religiosorum, vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis, benignitate suavis, pietate misericors, humilitate subiectus, ceterarumque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat ; non elatus, ut premineret, nec et disputans, quod et interdum disputantium solet esse commercium, iactator effectus, ut ampullosis, etiam

(g) *Proverb.*, XIV, 6.

si sibi eadem iniicerentur ab aliis, in illo palestrice silogizationis exercitio uteretur. Totus ergo Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua precellebat, aut predicationi, qua motivus erat, aut orationi, qua devotus, aut scripture, qua profundus, sedulus vacabat ; adeo ut preter naturalis necessitatis aut quietis horas, nullum sibi aut vix temporis spatium relinqueret otiosum.

III. Appropinquante autem die qua de hoc seculo migraturus erat ad dominum, quaque devicto triumphatoque mundo, in perpetuas eternitates recipiendus erat in patria, nam *laborum bonorum gloriosus est fructus* (h), cum a felicis recordationis Gregorio papa X, predecessore nostro, ad Lugdunense concilium propter eius eminentem scientiam diceretur esse vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more solito famose legebat ut doctor, et per maritimam transiens, cum ad monasterium Fosse Nove ordinis Cisterciensis, Terracinensis diocesis, parumper discrasiatus, per dies aliquot antea, id ipsum, ut illuc deferretur affectuose depostulans, pervenisset, intrans monasterium, plenus Dei spiritu, hec verba protulisse refertur : « *Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam preelegi eam* (i). » Quod verum esse eventus edocuit, et sacri corporis sui inibi facta tumulatio manifestat. Cepit enim illic in infirmitate corporis gravari, eadem viribus paulatim destitui‘ infirmitatem tamen ipsam, etsi dierum plurium, non impatienter tolerans, sed equanimiter, totus ut erat humilis, patientia supportans, qua sibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, ministris de se, quod non intendebat, aggeneraret reverentiam, imitande queque patientie exempla preberet, adeo ut eiusdem monasterii Fosse Nove fratres inibi Deo devotius famulantes, hec in sancto viro religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obsequiis mancipari, quem utique tanta refertum fore patientia cernebant singuli ligna de silva,

(h) *Sapien.*, III, 15.
(i) *Psalm.*, CXXXI, 14.

singuli queque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant, non extimantes fore conveniens, ut brutorum animalium humeri, in portandis eidem rebus accommodis prestarent obsequia, qui tantarum virtutum prerogativa pollebat.

IV. Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, sacratissimum Dei et domini nostri Ihesu Christi Corpus, in cibum sumendum sibi et viaticum deferretur, totus profusus in lacrimas, et dulci amore eiusdem anima assueta dulcedini Dei liquefacta, inter cetera multa, et decora, que protulit, hec vel similia fidei et devotionis verba, toto illius monasterii conventu, multisque dicti Predicatorum et Minorum ordinum assistentibus fratribus, eructasse refertur : « Ego de isto sacratissimo corpore Dei et domini nostri Ihesu Christi et aliis sacramentis multa docui, multa conscripsi in fide Christi Ihesu et sancte Romane ecclesie, cuius correctioni cuncta subicio, cuncta expono. » Receptoque deinde ab ipso eodem vivifico sacramento, cunctisque aliis sacramentis ecclesie debita veneratione cum lacrimarum effusione susceptis, tertio die obdormivit in domino, cui credidit, quem amavit, et tota mentis affectione dilexit. *Fidelis* inquam *servus et prudens* (j) non pertinax, non proprio sensui aut prudentie initens, et nulla de se scientie sue opinione superbus nam *qui perscrutator est maiestatis opprimetur a gloria* (k). Unde sapienter doctor idem, atque humiliter, ut prefati sumus, omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad eiusdem ecclesie fidei normam fideli devotione reduxit, quam Petri ore diffusam stabilem noverat, et nullis concussionum flatibus agitandam ; cum post veram divinitatis Christi recognitionem qua respondit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (l), ab ipso audire meruerit : *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam* (m) : et

(j) *Matth.*, XXIV, 45.
(k) *Prov.*, XXV, 27.
(l) *Matth.*, XVI, 16.
(m) *Matth.*, XVI, 18.

alibi : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua* (n) ; dumque pro Petro Christus rogat, pro ipsius ecclesia intercedit.

V. Verum quia dignum erat et consonum, ut quem Deus viventem in hoc seculo tantis suis donis, gratiisque perfecerat, assumptum in celis sanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem virum Dei post ipsius de hac vita transitum licet etiam antea nonnulla fecisse memoretur, magnisque fecit clarere miraculis, multis clarisque signis gloriosus coruscare, ut illud psalmi merito de ipso dicamus : *Scitote quia mirificavit dominus sanctum suum* (o), sicque vita eius attestaretur miraculis, et illius miracula eiusdem vite testimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem sancti huius commendationem, edificationem fidelium, idoneis comprobata testibus, presentibus subnectemus.

Post septimum namque mensem, vel circa, a die obitus ipsius sancti Thome de Aquino, cum corpus eius, quod in capella sancti Stephani dicti monasterii, per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulcrum eiusdem primum, scilicet iuxta altare maius ecclesie monasterii antedicti, unde ad tempus per monachos eiusdem monasterii, timoris causa sublatum fuerat, ne corpus ipsius omnino de dicto monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferri exinde decrevissent, in apertura ipsius sepulcri eiusdem capelle sancti Stephani, tanta fragrantis odoris suavitas manavit, quod totam ipsam capellam, claustrumque ipsius monasterii quod diffusum est, mira eadem suavitate replevit. Que de ipsius sancti corpore exiens, prout ex solicita curiosaque monachorum ipsorum indagine est compertum, mirifice fundebatur. Propter quod maiori per monachos concepta ad ipsum devotione, totus conventus processionaliter, priore tamen dicti monasterii cum quibusdam ex monachis paramentis

(n) *Luc*, XXII, 32.
(o) *Psalm.*, IV, 3.

induto, corpus ipsum ad prefatum primum eius sepulcrum honorifice detulerunt, cantantes in crastino, propter illa que viderant, missam veluti de uno confessore solemniter, cum reputarent incongruum, si missam de *Requiem eternam*, ac si pro defuncto, pro illo cantarent. Hanc similemque fragrantiam post septem annorum spatium, quidam ex testibus, quidam vero quasi post quatuordecim annorum spatium sensisse se referunt dum corpus ipsum diversis ex causis per temporum vices sedulo inspexissent. Quippe odor carnis eius munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum illius odoramenta representabat, famam quoque claram eius diffusionemque virtutum et illarum aromata non celabat.

VI. Quidam arte cirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se vel ambulare nequaquam absque cabulorum substentatione aut aliorum suffragio poterat, se Deo et beato Thome devovens, iuxtaque eius tumulum incumbens, oratione facta, sanus prosiliit, et currens Deum laudans, quod meritis eius esset de tam longe infirmitatis languore curatus.

VII. Alter quidam ex horribili quadam visione fanthasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit, et ore ac facie distortus, sensibus carens, et omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat, sed mortuo similis videbatur, adeo ut igne membris eius admoto nullatenus sentiret, portatus ad tumulum illius post morulam, liber et sanus omnino a dicto sepulcro surrexit.

VIII. Alius dum non devote de sancto sentiret, virtutem Dei in sancto in se duplicem expertus est, infirmitatis dum contempnit, sanitatis dum a contemptus culpa discedit. Nam cum sibi devotionis causa a quodam capellano plures venerande reliquie monstrarentur, ipseque ostensor pretiosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum fratris Thome de Aquino, fateretur, illico hunc derisorie de hiis truffantem, cum eas videre non curaret

dicens : sanctus non est, sed quidam ordinis Predicatorum frater, tremor apprehendit, et caput eius ad modum cuiusdam magne ciste grossum et valde ponderosum sibi esse videbatur, sed infirmitate correctus, et penitens, simulque de sua incredulitate dictisque deplorans, dum veniam a sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum eiusdem sancti Thome deosculans, confestim a tremore et inflatione capitis liberatus evasit, sensitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu suavitatis odorem. Qui odor cum ipsius curati caputio, personeque ex tactu manus eiusdem per magnum tempus inhereret, multis eumdem postmodum percipientibus siscitantibusque quid esset, hoc signo narrare quod acciderat, etsi nolens, miraculum cogebatur.

IX. Notarius quidam dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa gravi squinantie infirmitate tentus est. Duobus diebus propterea et linguam movere non potuit, et loquelam amisit. Cumque multa ei medicorum remedia adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet non prodessent, immo de illo desperarent, ad sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum eius deferretur, quam lingua non valebat, manus sue scriptura deprompsit. Verum cum illuc repugnante uxore sua, quia mulieribus intrare prefati monasterii ecclesiam non liceret, nequaquam duceretur, ipse hoc infirmus, advertens infra seipsum, eidem beato viro se, ut eum liberaret, affectuosius commendavit. Cepit ex tunc linguam ducere, meliorari et convalere, ac brevi temporis intervallo perfecte curatus fuit.

X. Dum alius quidam per septem ebdomasdas et ultra febre cotidiana, malo epatis et stomachi affligeretur, quadam die veneris, cum peius haberet, auditis quibusdam miraculis, que per virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum devotione sequenti die sabbati de sero, uxoris sue suasibus, eaque presente, devovisset, die dominico proximo in mane se a prefatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

XI. Mulier quedam, cum filium suum duorum mensium in cunis decubantem periclitari non immerito formidaret, pro eo presertim, quod per menses quatuor ex surditate adeo gravata esset, ut decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, viri sui inductione, qui mestus una cum illa communis filii periculo condolebat, predicto viro Dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet obnixius devovit, emissoque voto, cum nocte secuta dormisset, in crastino se liberatam sancti meritis reperit, ut optabat.

XII. Puella gutturis sui fauces squinantie habens infirmitate constrictas, in tantum ut nec quid sumere solidum aut liquidum valeret, et hanelitus sibi meatus, ut vix respirare posset intercluderentur ; dum devote se beato viro a matre persuasa commendaret, ductaque foret in crastinum ad dictum monasterium Fosse-Nove, superpositis gutturi suo dicti viri sancti reliquiis in quadam cassa delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata redivit.

XIII. Quidam prefati monasterii Fosse-Nove conversus, adeo gravem in brachio dextro et spatula dolorem patiebatur, ut ipsum brachium, quod per trium mensium cum dimidio spatium detulerat suspensum ad collum, ei erat inutile, dolore presertim vehementer afflictum. Qui cum requisitum medicorum remedium non haberet, et amplius dolore gravaretur, dum dicto sancto pro sua liberatione se quodam emisso voto humilis commendasset, seque supra eius tumulum posuisset, ibidem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti monasterii monacho, brachium, quod linteo prius habebat, incumbens, collo adhuc dependenti, extractum a linteo reperit, excitatorumque a sompno more, dum ambas manus capiti suo, ut ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, id confratribus retulit ac astantibus, quod notum fuerat, miraculum non celavit.

XIV. Infans quidam quatuor annorum tumorem et ruborem in costis et crure usque ad pedem patiebatur adeo

afflictivum, ut nec a matre sua vel alio tangi lesione et clamore suo aliquatenus potuisset, movere se non poterat, per mensem in tanto dolore et anxietate fuit ; a medicis spes curationis eius sine incisione pueruli non inveniebatur ; illaque, si fieret, perpetuo eum in persona futurum impeditum, mestis amaritudine mentibus nunciabat, deficiente natura, artisque suffragio non invento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in sanctis suis, faciens prodigia. Nam mater infantuli, que ipsum diligebat, ut mater, eum beato Thome devotius commendavit, ut a dicta infirmitate absque incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad monasterium, positus super tumulum sancti, postque aliquantulam morulam, sanus inde surrexit.

XV. Hec sunt igitur *testimonia tua*, Deus, que de hoc viro iusto, nobis *credibilia facta sunt nimis* (p) ; nam *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est* (q), quo eius animam celum possidere iam credimus ; intercessorem ipsum expectamus ac inter sanctorum agmina quasi stellam matutinam eum fidimus esse locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Ihesu, nutris, spem erigis, dilectionis caritatem accendis. Letetur itaque mater ecclesia, exultet Italia, parens Campania iocundetur, Predicatorum sacer ordo iam iubilet, religiosorum devotio concrepet, doctorum turba complaudat, animentur ad studia iuvenes, provecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exequantur. Nam *dedit illi cor ad precepta, et legem vite et discipline* (r) *et sapientia humiliati exaltabit caput illius* (s). *In medio* enim *ecclesie aperuit os eius, et implevit eum Dominus spiritu sapientie et intellectus, stolam glorie induit illum* (t). Nam veritas, que Christus est, ipsa veris non fictis doc-

(p) *Psalm.*, XCII, 5.
(q) *I Iohann.*, V, 9.
(r) *Eccles.*, XIV, 6.
(s) *Eccles.*, XI, 1.
(t) *Eccles.*, XV, 5.

toribus pollicetur : *Qui elucidant me, vitam eternam habebunt* (u). Quamvis ipse verus iustitie sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum radiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem, *qui est splendor glorie et figura substantie eius* (v), idcirco tenebris non obscuratur, ut deficiat, aut nebulis obfuscatur, ut sue claritatis radios non diffundat.

Ceterum, quia rationis ordo depostulat, ut triumphantem in celis ecclesiam devota in terris militans subsequatur, illumque veneratione proficua percolat, quam in celestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscit, Nos, de sanctitate vite ac miraculorum veritate confessoris eiusdem, non semel tantum, sed et primo, et secundo, non festine, sed mature inquiri fecimus, et per Nos etiam, et fratres nostros sancte Romane ecclesie cardinales, inquisitionem huiusmodi, exacta discussione examinavimus diligenter, ut tanto firmius quanto maturius, tanto certius quanto disquisitius, inquisitum et examinatum existeret, in sic arduo sicque difficili negotio procedere valeremus. *Difficile* namque *extimamus que in terra sunt et que in prospectu sunt, invenimus cum labore. Que autem in celis sunt, quis investigabit?* (x). Cumque per huiusmodi nostram et eorumdem fratrum nostrorum examinationem solicitam, et solicitudinem examinatam, vitam eius sanctam, et miracula vera, eius meritis facta, probata fuisse constiterit supplicantibus Nobis idipsum humiliter et devote, multis tunc prelatis apud sedem apostolicam existentibus, de dictorum fratrum nostrorum consilio et assensu, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, eum sanctorum confessorum cathalogo duximus ascribendum.

Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus nonis martii festum confessoris eiusdem devote ac solemniter celebretis, et faciatis a vestris

(u) *Eccles.*, XXIV, 31.
(v) *Hebr.*, I, 3.
(x) *Sapien.*, IX, 16.

subditis veneratione congrua celebrari, ut pia eius intercessione, et hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Ut autem ad venerabile ipsius sepulcrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem confessoris colatur festivitas, omnibus vere penitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et eorumdem beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies ; accedentibus vero annis singulis ad predictum sepulcrum infra septem dies festum ipsum immediate sequentes, centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus.

Datum Avinione xv kal. augusti, pontificatus nostri anno septimo.

APPENDICE

Nous avons cru bon de placer à la suite des divers documents concernant la canonisation de Thomas d'Aquin un relevé des dépenses faites, à l'occasion de ces différentes cérémonies, par la chambre apostolique. Les livres de compte du Saint-Siège sont, de nos jours, conservés aux Archives Vaticanes dans le fonds Introitus et Exitus (I.E.): ils ont été publiés en partie pour la période qui nous intéressent par SCHAEFER (K. H.), *Die Ausgaben der apostolichen Kammer unter Johann XXII*, Paderborn, 1911.

Copie : Arch. Vat., I.-E., 54 fol. 135 r (anc. 160 r).
Édition : SCHAEFER, *op. cit.*, p. 706.

Die XVIII mensis iulii pro pitantia facta per dominum nostrum fratribus Predicatoribus Avin. qua die fuit facta canonizatio sancti Thome, confessoris, de Aquino solvimus et tradidimus domino Petro Marini, clavario Avin., qui dictam pecuniam tradidit locum tenenti prioris...

XX flor. auri.

Copie : Arch. Vat., I.-E., 54 fol. 135 r (anc. 160 r).
Édition : SCHAEFER, *op. cit.*, pp. 709-710.

Die XXV mensis iulii pro quatuordecim quintalibus et triginta novem libris cum dimidia cere empte die XVIII istius mensis iulii ab Hugolino, ypotecario Romane curie (ad rationem viginti novem lib. et X sol. tur. parv. pro carga qualibet et computatis tribus quintalibus pro carga) que cera fuit posita in torticiis et faculis pro canonizatione sancti Thome de Aquino confessore ; que canonizatio fuit facta in ecclesia B. Marie Avin. per dominum nostrum papam die XVIII huius mensis predicta, solvimus dicto Hugolino CLXXII lib. XIII sol. VII den. vien...

in CLVII flor. auri, VII den. vien.

Item pro fusta cavilheriorum et operatura eorum cum dicta fusta clavis et salario magistrorum et quadam cathedra lignea et factura gradarii lignei et aliis constructis in ecclesia predicta B. Marie pro canonisatione predicta solvimus magistro Bernardo de Tausanegues XXIII lib., III sol., VIII den. vien., in singulis flor. pro XXII sol. vien. computatis...

XXI flor. auri, XXI sol., VIII den. vien.

Copie : Arch. Vat., I.-E., 54 fol. 31 v (anc. 41 v).

A die XV mensis iulii usque ad diem XXII mensis eiusdem, dixit [magister Guillelmus Martini, canonicus et cantor Montisalbani, administrator expensarum coquine domini nostri pape] se expendisse in potagio, gallinis, pullis, ovis, tartris, pastillis, speciebus, zucara, riso, amicdalis, caseis, lardo, oleo, lactucis, candelis, cereis et cepeis pro coquina et portis, farina, portatura lignorum, ablutione pannorum, salsis et aliis minutis... XVIII lib., IX sol., IIII den.

Item in carnibus grossis... XXXVI lib., I sol., VI den.

Item in piscibus eadem septimana. XXXI lib., I sol., VI den.

(Dans la marge.) Fuit canonizatio sancti Thome de Aquino et comedit rex (a) et VII domini cardinales.

(a) Robert, roi de Sicile.

DOCUMENTS INEDITS PUBLIES PAR LA « REVUE THOMISTE »

FONTES
VITÆ S. THOMÆ AQUINATIS

CURA ET LABORE

P. M.-H. LAURENT, O. P.

FASCICULUS VI

DOCUMENTA

REVUE THOMISTE
SAINT-MAXIMIN (Var)
1937

Cum permissu Superiorum

SCUOLA TIPOGRAFICA MISSIONARIA DOMENICANA - S. SISTO VECCHIO - ROMA

Grouper en un unique recueil les documents antérieurs au 14 février 1325 concernant saint Thomas d'Aquin et sa famille (père, frères et soeurs): tel est le but de ce sixième fascicule des Fontes Vitae S. Thomae Aquinatis. A l'exception de quelques-unes d'entre elles, la plupart des pièces ici éditées ont déja été publiées, mais il est souvent malaisé de les consulter, soit qu'elles figurent dans des ouvrages actuellement hors commerce, soit qu'elles aient pris place dans des publications que seules possèdent quelques rares bibliothèques.

Je me suis efforcé, en travaillant à une telle compilation, d'être le plus complet possible, et il m'a semblé qu'il ne serait point hors propos de mêler aux documents d'origine diplomatique des fragments d'oeuvres littéraires ou même théologiques offrant un certain intérêt pour l'histoire de l'Angélique Docteur. Pour chaque texte, j'ai utilisé les meilleures éditions, celles même qui sont signalées en note, ayant eu soin de consulter les originaux quand un tel recours s'avérait de quelque utilité. Je n'ai pas cru nécessaire de compiler pour ce fascicule un index spécial: le lecteur le trouvera pour l'ensemble des Fontes dans un septième et dernier fascicule dont la publication, j'ose l'espérer, ne saurait tarder.

M.-H. Laurent, O. P.

Rome, Angelicum.

DOCUMENTS

I — *Extraits de la Chronique de Richard de San Germano*[1] *concernant Landolphe d'Aquin. (1197-1229).*

Tunc etiam (1197) Oddo, frater ipsius [Dyopuldi, comitis Acerrarum], ad expugnandum Roccam Siccam, in qua se Raynaldus et Landulfus de Aquino[2], fratres, contra imperatorem receperant, ab ipso imperatore dirigitur; et ipse se confert in Siciliam imperator, ubi ad se duci imperatricem iubet[3]...

Tunc (1210) idem Otto se Capuam confert, ubi receptis a Dyopuldo ceteris munitionibus quas habebat in regno, ducem Spoleti efficit illum. Hic cum gente ipsius Ottonis ivit ad debellandum civitatem Aquini, in qua Landulfus, Thomas, Pandulfus et Robbertus domini Aquini, qui regis fidem servabant, se receperant cum gente sua; et cum non prevaleret in eam, viribus resistentibus predictorum, confusus et non sine dampno recessit[4]...

---

1) Sur la Chronique de Richard de San Germano et les diverses éditions qui en ont été données, cfr. B. CAPASSO, *Le Fonti della storia delle provincie Napoletane dal 568 al 1500,* Naples, 1902, p. 104-105. — J'ai utilisé ici l'édition faite par A. GAUDENZI (*Ignoti Monachi Cisterciensis S. Mariae de Ferraria chronica et Ryccardi de Sancto Germano chronica priora, Società Napoletana di storia patria, Monumenti storici, s.* I, Naples, 1888), ayant soin d'indiquer aussi les pages de l'édition donnée par G. H. PERTZ, en 1866, dans le tome XIX des *Monumenta Germaniae historica.*

2) Sur Landolphe d'Aquin, cfr. F. PELSTER, *La famiglia di S. Tommaso d'Aquino, studio sulle Fonti,* dans *La Civiltà Cattolica,* t. LXXIV, vol. 2, 1923, p. 404-410; F. SCANDONE, *La Vita, la famiglia e la patria di S. Tommaso,* dans *S. Tommaso d'Aquino O. P., Miscellanea storico artistica,* Rome, 1924, p. 46-51.

3) Edition : édit. Gaudenzi, p. 68 ; édit. Pertz, p. 329.

4) Edition : édit. Gaudenzi, p. 76 ; édit. Pertz, p. 334.

Tunc (decembri 1220) apud Sanctum Germanum Landulfus de Aquino, filius domini Aymonis, per imperatorem iustitiarius factus est Terre Laboris [1]...

Venerat tunc (1229) temporis ad Sanctum Germanum Nycolaus de Cicala pro parte imperatoris, et Henricus de Morra magister iustitiarius superius nominatus cum regni filiis, Raone de Balbano comite, Landulfo de Aquino et Stephano de Anglone iustitiario; Adenulfo de Aquino, filio nobilis viri Thome de Aquino Acerrarum comitis, Roggerio de Galluccio, aliisque undique congregatis imperatoris fidelibus, ad resistendum hostibus prompta voluntate paratis; domini etiam de Aquino Pandulfus et Robbertus Aquinum pro fide Cesaris laudabiliter munierunt [2]...

II — *Les chanoines de saint Pierre de Canneto renoncent à l'élection de Jacques, fils de Landolphe d'Aquin, comme abbé de leur église, faite contrairement aux droits du Saint-Siège* [3]. *(11 février 1217).*

In nomine Domini amen. Anno incarnationis Christi millesimo CC° XVII°, pontificatus domini Honorii pape III anno primo, mense februarii, die XI, indictione quinta. Nos quidem presbyter Taddeus prior et Nycolaus subdiaconus, canonici ecclesie sancti Petri de Canneto [4], nuntii et procuratores capituli eiusdem ecclesie apud Sedem apostolicam constituti, hac die presenti, propria et spontanea voluntate in presentia vestra, do-

1) Edititio : édit. Gaudenzi, p. 101. Ce texte ne figure pas dans l'édition des Monumenta Germaniae historica.

2) Edition : édit. Gaudenzi, p. 129-130 ; édit. Pertz, p. 351.

3) Edition : P. FABRE et L. DUCHESNE, *Le Liber Censuum de l'église romaine*, t. I, Paris, 1910, p. 254.

4) Sur l'église saint Pierre de Canneto (de nos jours : Colli, commune de Monte San Giovanni, province de Frosinone), cfr. P. F. KEHR, *Italia Pontificia, Latium*, t. II, Berlin, 1907, p. 165-166.

mine Pandulfe [1] et domine Sinibalde, domini pape camerarii, nomine nostro et totius capituli memorati recognoscimus et firmiter protestamus electionem eiusdem ecclesie sancti Petri de Canneto et ius electionis ipsius immediate ad dominum papam Honorium et successores eius et ad Romanam ecclesiam pertinere. Ideoque pro nobis et dicte ecclesie capitulo universo, libera et spontanea voluntate, ad opus et nomen ipsius domini pape et Romane ecclesie renuntiamus illi electioni seu nominationi a nobis et a dicto capitulo facte de persona domini Iacobi [2] clerici, filii domini Landulfi de Aquino, ad regimen ecclesie memorate ; presertim cum dicta electio, si electio dici debet, in eiusdem domini pape et Romane ecclesie noscatur preiudicium attemptata. Quam electionem auctoritate propria a dicto capitulo factam in manus vestras nomine dicti pape et Romane ecclesie libere resignantes, renuntiamus etiam quicquid iuris et actionis utilis vel directe, tacite vel expresse, pro electione seu occasione vel respectu electionis predicte nobis et dicto capitulo competit vel inde posset competere quoquomodo ; ita ut deinceps contra dictum dominum papam et successores ipsius ac Romanam ecclesiam nulla super hoc vel occasione huiusmodi materia remaneat questionis. Actum est hoc in camera dictorum camerariorum domini pape coram subscriptis testibus ab hoc specialiter rogatis, scilicet :

domino Iohanne de Theobaldo, clerico sancti Clementis, teste ; Alkerutio Iohannis Bobonis, teste ; Roberto de Arpino, serviente camere, teste ; Petro de Aquino, cursore domini pape, teste ; Iohanne de Sancto Germano et aliis testibus. Et ego Riccardus imperialis aule scriniarius hanc cartam de predictorum canonicorum consensu scripsi et complevi rogatus.

---

1) Sur Pandolphe, devenu évêque de Norwich, cfr. T. F. TOUT, art. *Pandulf*, dans *Dictionary of National Biography*, London, 1909, p. 174-179.

2) Sur Jacques d'Aquin, cfr. SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 77-79.

III — *Jacques d'Aquin, qui avait été choisi comme abbé de saint Pierre de Canneto, renonce à son élection*[1]. *(11 février 1217).*

In nomine Domini amen. Anno incarnationis Christi millesimo CC°XVII°, pontificatus domini Honorii pape III anno primo, mense februarii, die XI, indictione V. Ego quidem Iacobus clericus, filius domini Landulfi de Aquino, electus in abbatem sancti Petri de Canneto a capitulo eiusdem ecclesie, hac die presenti, propria et spontanea voluntate, in presentia vestra, domine Pandulfe, Norwicensis electe, et domine Sinibalde, camerarii domini pape, recognosco atque protestor electionem eiusdem ecclesie sancti Petri de Canneto et ius electionis ipsius immediate ad dominum papam Honorium et successores eius ac Romanam ecclesiam pertinere. Ideoque libera et propria voluntate renuntio libere ac resigno in manus vestras ad manus et nomen ipsius domini pape et Romane ecclesie nominationem seu electionem illam, si electio dici debet, que de persona mea facta est a capitulo ad ecclesiam memoratam, presertim cum in eiusdem domini pape et Romane ecclesie noscatur preiudicium attemptata, renuntians nichilominus et refutans quicquid iuris et actionis utilis vel directe, tacite vel expresse super electione predicta seu occasione vel respectu electionis ipsius mihi competit vel dehinc in antea posset competere quoquomodo; ita quod deinceps contra dictum dominum papam et successores eius ac Romanam ecclesiam nulla super hoc materia remaneat questionis.

Actum est hoc in palatio Lateranensi in camera dictorum camerariorum domini pape coram subscriptis testibus ad hoc specialiter rogatis, scilicet:

Alkerutio filio Iohannis Bobonis, teste ; Iohanne de Sancto Germano, teste ; Cencio Iohannis Bonelli, teste ; Bonoseniore

---

1) Edition : FABRE et DUCHESNE, *Le Liber Censuum*, t. I, p. 254.

de Camera, teste ; Roberto de Arpino, teste ; Actone et aliis testibus.

Et ego Riccardus imperialis aule scriniarius hanc cartam de consensu predicti Iacobi scripsi et complevi rogatus.

IV — *Acte de Landolphe Sinibaldi, abbé du Mont-Cassin, mentionnant une donation faite par Landolphe d'Aquin en faveur du monastère*[1]. *(3 mai 1231).*

In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo tricesimo primo, regnante domno nostro Frederico, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, mense madii, tertia die eiusdem mensis, indictione quarta :

Nos Landulfus[2], Dei gratia Casinensis abbas, attendentes quod propter frequentes et diversas undique turbationes, plurimas necessitates fratres nostri, qui Deo et beato Benedicto in nostro monasterio serviunt, patiuntur, pro pietate et fraterna caritate providimus atque dedimus conventui Casinensi duo molendina nostra, que sunt ad pontem de Linulo, reparanda propriis sumptibus ipsius conventus, ita quod omnes proventus qui haberi poterunt de ipsis molendinis sint omni tempore pro refectionibus fratrum nostrorum in eodem monasterio servientium.

Set quia vir nobilis domnus Landulfus de Aquino dedit pro anima sua monasterio nostro uncias auri viginti quas expen-

1) Edition : E. GATTULA, *Historia abbatiae Cassinensis per saeculorum seriem distributa*, t. II, Venise, 1733, p. 452 (fragments) ; P. MANDONNET, *Date de naissance de S. Thomas d'Aquin*, dans *Revue Thomiste*, t. XXII, 1914, p. 663 ; *Regesto di Tommaso Decano o Cartolario del convento cassinese (1178-1280)*, Montecassino, 1915, p. 67-68 ; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 48.

2) Landolphe Sinibaldi, abbé du Mont-Cassin de décembre 1227 au 23 juillet 1236, cfr. GATTULA, *Historia*, t. II, p. 435.

dimus pro edificandis domibus curie nostre et reparandis molendinis monasterii nostri, volumus quod omni anno habeant predicti fratres nostri unam refectionem de proventibus suprascriptorum duorum molendinorum, pro remissione peccatorum predicti domni Landulfi ; post mortem vero ipsius domni Landulfi eandem refectionem habebunt in anniversario eius et reliquum similiter prout est superius pretaxatum, obligantes nos et posteros nostros hanc provisionem et dationem firmam et incorruptam in perpetuum conservare. Unde ad ipsius rei plenam fidem futuris temporibus faciendam et cautelam ipsorum fratrum nostrorum, hoc exinde publicum instrumentun per manus Stephani, nostri et civitatis Sancti Germani publici notarii, scribi mandavimus, nostra et magistri Tancredi iudicis et advocati Casinensis et aliorum bonorum hominum subscriptione roboratum.

Actum in suprascripta civitate Sancti Germani. Ego qui supra Landulfus Dei gratia Casinensis abbas. Ego magister Tancredus iudex et advocatus Casinensis, de mandato domini abbatis Landulfi subscripsi. Ego magister Raynaldus iudex et advocatus Casinensis de mandato domini abbatis me subscripsi.

V — *Grégoire IX demande au patriarche d'Antioche d'intervenir auprès du roi de Chypre en faveur d'Aymon d'Aquin retenu prisonnier par Jean d'Ibelin*[1]. *(13 janvier 1233).*

Patriarche[2] Antiochen. apostolice sedis legato.

Ad ea per que carissimus in Christo filius noster .. illustris rex[3] Cypri nobis et ecclesie gratis potest se reddere gra-

---

1) ARCH. VAT. *Reg. Vat.* 16, fol. 69r, an. VI, n. 241 ; cfr. L. AUVRAY, *Les Registres de Grégoire IX,* t. I, Paris, 1896, n° 1037.

2) Albert de Parme, cfr. L. DE MAS LATRIE, *Les Patriarches latins d'Antioche,* dans *Revue de l'Orient latin,* t. II, 1894, p. 196-197.

3) Henri I de Lusignan, cfr. L. DE MAS LATRIE, *Histoire de l'île de Chypre sous le règne des princes de la maison de Lusignan,* t. I, Paris, 1861, p. 197-362.

tiosum, celsitudinem eius precibus et monitis eo facilius excitamus quo plenius de sua sinceritate confidimus eum illa libenter efficere, que nostro beneplacito grata valeant residere. Hinc est quod cum nobilem virum Haymonem de Aquino [1], nobis et ecclesie Romane fidelem, nobilis vir I. de Ybelino [2] in quadam munitione Templi cepisse dicatur et in carcere detinere, serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente ut pro nostra et apostolice sedis reverentia predictum nobilem, quem nobis restitui pro munere postulamus, ad nostram procuret remitti presentiam redditum libertati, preces nostras taliter admissurus quod suis, cum oportunum fuerit, et nos etiam annuamus. Quo circa mandamus quatinus predictos regem et nobilem ad id moneas et inducas et si necesse fuerit eundem nobilem per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, proviso ne in terram dicti nobilis, et cetera.

Dat. Anagnie id. ianuarii, anno sexto.

---

1) Sur Aymon d'Aquin, cfr. SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 76-77.

2) Jean d'Ibelin, cfr. E. G. REY, *Les Familles d'Outremer de Du Cange*, Paris, 1869, p. 221-223; 231-233; pour la guerre entre Chypre et les Impériaux et le rôle joué par Jean d'Ibelin, cfr. DE MAS LATRIE, *Histoire de... Chypre*, t. I, p. 264-301.

VI — *Grégoire IX charge Riccardo, chanoine de Fondi, de régler le différent, né entre l'abbaye du Mont-Cassin et Philippe d'Aquin au sujet d'un moulin que l'on disait appartenir à l'église de Saint-Nazaire à Comino* [1]. *(12 juillet 1236).*

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro Riccardo de Egido, canonico Fundano, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas [2], conventus monasterii Casinensis nobis conquerendo monstrarunt quod nobilis vir Philippus [3], dominus Aquini, et quidam alii Aquinatensis et Sorane civitatum et diocesum super quodam molendino ecclesie Sancti Nazarii de Cammino, ad idem monasterium pertinentis, et rebus aliis iniuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis, audias causam, et, appellatione remota, debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari ; proviso ne in terram dicti nobilis excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi a nobis super hoc mandatum receperis speciale. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum Reate quarto idus iulii, pontificatus nostri anno decimo.

---

1) Edition : L. TOSTI, *Storia della badia di Monte-Cassino*, t. II, Naples, 1842, p. 310 ; cfr. A. POTTHAST, *Regesta Pontificum Romanorum*, Berlin, 1874, n° 10203.

2) Landolphe Sinibaldi, abbé du Mont-Cassin de décembre 1227 au 28 juillet 1236, cfr. GATTULA, *Historia*, t. II, p. 435.

3) Sur Philippe d'Aquin, cfr. SCANDONE, *La vita... di S. Tommaso*, p. 80-81.

VII — *Landolphe d'Aquin figure parmi les barons auxquels Frédéric II confia la garde des prisonniers lombards, faits durant la bataille de Cortenova*[1]. *(1239).*

....Barones in justitiariatu Terre Laboris quorum custodie singillatim commissi sunt prisones Lombardi....

Landulfus de Aquino: Iacobum Guidonem de Mangr. Med.

VIII — *Jacques d'Aquin réclame l'ouverture du testament de Roffredo del Monte an lieu et place de son frère Adenulphe* (Fragments)[2]. *(11 août 1242).*

In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, regnante domno nostro Frederico, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, mense augusti, undecimo die eiusdem mensis, indictione quintadecima, fatemur, nos magister Petrus de Ota, iudex et advocatus Casinensis, fratrem Riccardum, vice decanum Casinensem, de mandato domni Stefani, Dei gratia venerabilis abbatis Casinensis, petisse a nobis pro parte et vice venerabilis conventus Casinensis ut testamentum domni Roffridi de Monte, sigillis eiusdem domni Roffridi et magistri Raynaldi, iudicis et advocati Casinensis, sigillatum, ad petitionem nobilis viri domni Iacobi de Aquino, qui gerebat vices domni Adenulfi de Aquino, fratris sui executoris dicti testamenti, domni Nicolai, monachi, domni Bartholomei de Monte, fratris ipsius domni Roffridi, et Malgerii Petri de Aymone executorum testamenti prefari coram eodem domno abbate, nobis

1) Edition: J. L. A. HUILLARD-BRÉOLLES, *Historia Diplomatica Friderici secundi*, t. V, p. I, Paris, 1857, p. 613.

2) Edition: GATTULA, *Historia*, t. II, p. 498 (fragments); *Regesto di Tommaso Decano*, p. 74-87; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 77-78 (fragments).

ipsis, Stephano, monasterii Casinensis et Sancti Germani publico notario et subscriptis testibus ad hoc specialiter rogatis videlicet : magistro Leonardo, magistro Bartholomeo domni Petri, magistro Sifrido, notario Philippo et aliis quam pluribus bonis hominibus de Sancto Germano, sollemnipter apertum et lectum in hoc praesens publicum instrumentum transcribi faceremus, quod ideo prenominatus vice decanus se petere dicebat quia cum idem domnus Roffridus quasdam res dicto conventui pro anima sua in eodem testamento legaverit, desiderabant tam predictus abbas quam dicti vice decanus et conventus Casinensis ut transcriptum ipsum fieret ad perpetuum commodum et cautelam perpetuam Casinensis conventus.

Nos autem, petitionem ipsam utpote iustam et rationabilem admictentes, testamentum ipsum videntes attente ac diligenter inspicientes [cum] integris predictis sigillis sigillatum, consequenter, ut predictum est, apertum et lectum manu suprascripti notarii Stephani scriptum ut cognovimus, et idem notarius asserebat constanter subscriptionibus suprascripti magistri Raynaldi et aliorum testium roboratum, omni vitio, litura et suspicione carere, ipsum de verbo ad verbum fideliter per manus suprascripti notarii Stephani, nullo verbo addito, mutato vel detracto, in hoc transcribi fecimus publicum instrumentum. Erat autem tenor ipsius testamenti per omnia et singula talis...

Aprés différents dons faits au Mont-Cassin, aux frères Mineurs, aux églises de sa ville, Roffredo ajoute: «Preterea ego constitui quartam uxori mee quinquaginta uncias auri in bonis meis, et ipsa confessa fuit coram domino Philippo de Aquino et fratre eius magistro Raynaldo et quampluribus aliis se iam recepisse pro ipsa quarta a me viginti et novem uncias... » *Roffredo demande à son frère Barthélemy de payer les 21 onces qui lui restent encore à solder, dans le cas où ce dernier ne s'en acquitterait pas :* « quod si non fecerit, volo ut dominus Philippus de Aquino et dominus Adenolfus hoc faciant. Preterea eandem uxorem meam relinquo in manibus dominorum Philippi et Adenulphi de Aquino et Bartholomei fratris mei... » *Il confie aux mêmes sei-*

gneurs un nommé Paul, peut-être son fils naturel, et compte sur leur loyauté pour que soient exécutées ses dernières volontés.

IX — *Fragment du nécrologe de l'abbaye du Mont-Cassin mentionnant l'anniversaire de Landolphe d'Aquin*[1]. *(aprés 1245*[2]*)*

IX kal. ianuarii obiit... Landulphus de Aquino miles, etc.

X — *Innocent IV confirme l'élection de Marotta d'Aquin, comme abbesse du monastère de sainte Marie de Capoue*[3]. *(27 janvier - 23 mars 1254).*

Magistro Iohanni de Sancto Germano, subdiacono et capellano nostro.

Exposuit nobis dilecta in Christo filia Marotta[4], abbatissa monasterii sancte Marie de Capua[5] ordinis sancti Benedicti, soror nobilis viri Aymonis de Aquino, nostri et ecclesie Romane devoti, quod olim venerabilis frater noster .. episcopus[6] Alatrinus de mandato dilecti filii nostri P., sancti Geor-

1) Edition: MURATORI, *Rerum Italicarum Scriptores,* t. VII, Milan, 1725, col. 947; E. GATTULA, *Ad Historiam abbatiae Cassinensis accessiones,* t. II, Venise, 1734, p. 861.

2) Pour la date ici indiquée, cfr. SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso,* p. 50-51.

3) Edition: C. RODENBERG, *Epistolae saeculi* XIII *e regestis pontificum Romanorum selectae,* t. III, Berlin, 1894, p. 613-614. cfr. S. BERGER, *Les Registres d'Innocent IV,* t. III, Paris, 1897, p. 367, n. 7252.

4) Sur Marotta d'Aquino, cfr. SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso,* p. 56-57.

5) Sur le monastère de sainte Marie de Capoue, cfr. P. F. KEHR, *Italia Pontificia, Regnum Normannorum-Campania,* t. VIII, Berlin, 1935, p. 231-234.

6) Jean, évêque d'Alatri, cfr. UGHELLI-COLETI, *Italia sacra,* t. I, Venise, 1717, col. 290.

gii ad velum aureum diaconi cardinalis [1] tunc in regno Sicilie apostolice sedis legati, ipsam prefecit in abbatissam eidem monasterio tunc vacanti, nosque, quod per eundem episcopum factum fuerat in hac parte gratum et ratum habentes, id auctoritate apostolica duximus confirmandum, eidem legato nostris dantes litteris in mandatis ut ipsi M. benedictionis munus faceret exhiberi, prefatus autem episcopus ad ipsius legati mandatum huiusmodi sibi munus impendit. Postmodum vero condam Altruda de Preturo ipsius monasterii moniali asserente se a conventu eiusdem monasterii in abbatissam fuisse electam et electionem de se factam a capitulo Capuane ecclesie confirmatam, super abbatia ipsius monasterii inter easdem M. et A. questio est exorta, quam primo bone memorie P. Sabinen, episcopo [2] ac demum, eo defuncto, dilecto filio magistro Martino Ispano, cappellano nostro, commisimus audiendam. Cumque super eadem abbatia fuisset aliquandiu litigatum, tandem questione ipsa pendente, predicta A. viam fuit universe carnis ingressa, unde prefata M. nobis humiliter supplicavit ut providere in hac parte sibi de benignitate solita curaremus. Nos igitur ipsius supplicationi inclinati, provisionem factam eidem monasterio auctoritate eiusdem legati de ipsa firmam manere volentes, mandamus quatinus, premissis nequaquam obstantibus, provisionem eandem debite auctoritate nostra confirmans ac supplens defectum, si quis in ea extitit, de plenitudine potestatis, amota ab ipso monasterio qualibet illicita detentione, inducas eam per te vel per alium in possessionem eiusdem abbatie et defendas inductam ; faciens ei a personis eiusdem monasterii obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores.

Dat. Laterani VI kal. februarii, anno XI.

---

1) Pierre Capoccio, cardinal diacre de saint Georges en Vélabre, cfr. C. EUBEL, *Hierarchia Catholica Medii Aevi*, t. I, Münster, 1913, p. 7, 50.

2) Pierre de Barro, cardinal évêque de Sabine mort en 1252, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I. p. 7, 38.

Marote, abbatisse monasterii sancte Marie de Capua ordinis sancti Benedicti, sorori nobilis viri Aymonis de Aquino, nostri et ecclesie Romane devoti [1].

Cum a nobis petitur, et cetera usque effectum. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis quod cum olim venerabilis frater noster .. episcopus Alatrinus de mandato dilecti filii nostri P. sancti Georgii ad velum aureum diaconi cardinalis, tunc in regno Sicilie apostolice sedis legati, prefecerit te in abbatisssam eidem monasterio tunc vacanti, nosque postmodum quod per eundem episcopum factum fuerat in hac parte gratum et ratum habentes, idque auctoritate apostolica confirmantes, eidem legato nostris dederimus litteris in mandatis, ut tibi benedictionis munus faceret exhiberi, idem legatus huiusmodi auctoritate mandati prefato mandavit episcopo ut tibi benedictionis munus impendere procuraret, qui ad ipsius legati mandatum huiusmodi tibi munus impendit. Postmodum vero condam Altruda de Preturo ipsius monasterii moniali asserente se a conventu eiusdem monasterii in abbatissam fuisse electam et electionem de se factam a capitulo Capuane ecclesie confirmatam super abbatia ipsius monasterii inter te et predictam A. questio est exorta, quam primo bone memorie P. Sabinen. episcopo ac demum, eo defuncto, dilecto filio magistro Martino Yspano capellano nostro commisimus audiendam. Cumque super abbatia predicta fuisset aliquandiu litigatum, tandem questione ipsa pendente, predicta A. viam fuit universe carnis ingressa. Unde nos tuis supplicationibus inclinati provisionem auctoritate prefati legati eidem monasterio de te factam firmam manere volentes, magistro Iohanni de Sancto Germano, subdiacono et capellano nostro, per litteras nostras iniunximus, ut, premissis nequaquam obstantibus, provisionem eandem debite auctoritate nostra confirmans ac supplens defectum, si quis in ea extitit, de apostolice plenitudine potestatis, amota ab ipso

1) ARCH. VAT. *Reg. Vat.* 23, fol. 75, n. 550; cfr. BERGER, *Les Registres d'Innocent IV*, t. III, p. 388-389, n. 7387.

monasterio qualibet illicita detentione, te in possessionem eiusdem abbatie induceret et tueretur inductam, faciens tibi a personis eiusdem monasterii reverentiam et obedientiam debitam exhiberi. Contradictores, et cetera. Prefatus autem capellanus, iuxta predicti mandati nostri tenorem provisionem confirmans, eandem supplevit defectum si quis in ea extitit auctoritate nostra de apostolice plenitudine potestatis, amovens ab eodem monasterio quamlibet illicitam detentionem prout in ipsius capellani litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod per eundem capellanum super hoc factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et cetera usque communis. Nulli et cetera; nostre confirmationis et cetera.

Dat. Laterani X kal. aprilis, anno XI.

XI — *Alexandre IV félicite le Chancelier de l'université de Paris d'avoir conféré la licence à fr. Thomas d'Aquin et l'invite à lui accorder au plus tôt la maîtrise*[1]. *(3 mars 1256).*

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario[2] Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Delectabile nobis est auditu percipere, quod te in hiis promptum reddis et vigilem, que pietatem continent vel sapiunt hone-

---

1) Editition : H. DENIFLE et E. CHATELAIN, *Chartularium universitatis Parisiensis*, t. I, Paris, 1889, p. 307 ; J. BERTHIER, *Sanctus Thomas Aquinas Doctor Communis Ecclesiae*, t. I, Rome 1914, p. 9-10 ; E. BALUZE, *Vitae Paparum Avenionensium* (édit. G. MOLLAT), t. III, Paris, 1921, p. 1-2. Pour les éditions antérieures, cfr. POTTHAST, *Regesta*, n. 16272.

2) Aymeric de Veire, chancelier de l'université de Paris depuis 1250, cfr. P. GLORIEUX, *Répertoire des Maîtres en théologie de Paris au XIIIe siècle* (*Etudes de philosophie médiévale, t. XVII*), t. I, Paris, 1933, p. 332.

statem, prout ex eo patenter agnoscitur, quod dilecto filio fratri Thome de Aquino, ordinis Predicatorum, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis scientie per Dei gratiam assecuto, dedisti licentiam in theologia facultate docendi, priusquam illuc nostre littere[1] pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus. Quia vero condecens est, ut huiusmodi negotium a te laudabiliter inchoatum festinum habeat exitum et felicem, devotionem tuam rogandam duximus et monendam per apostolica scripta tibi mandantes, quatinus eundem fratrem in predicta facultate cito facias regiminis habere principium, et dilectos filios .. priorem et conventum Parisienses eiusdem ordinis habeas pro divina et nostra reverentia commendatos eosque favoris opportuni presidio prosequaris; maxime cum ipsi pro turbatione studii, per quosdam iniquitatis filios nequiter procurata, in multa vexatione hactenus extiterant et existant, Parisiensi ecclesia de ipsorum laboribus, sicut nosti, utilitatem non modicam consequente. Preces autem et mandatum nostrum sic adimpleat tua sinceritas, quod nos qui letitiam de predictorum fratrum prosperitate concepimus, de tua benevolentia gratiosa circa ipsos exhibita speciales tibi gratias referamus.

Dat. Laterani V non. martii, pontificatus nostri anno secundo.

---

1) La bulle à la quelle fait ici allusion Alexandre IV, semble perdue.

XII — *Alexandre IV réprouve l'attitude prise à l'égard des frères Prêcheurs, et principalement de fr. Thomas d'Aquin, par différents maîtres de l'université de Paris ; il prive de toute dignité écclésiastique Guillaume de Saint-Amour, Odon de Douai, Nicolas de Barre et Chrétien de Beauvais* [1]. *(17 juin 1256).*

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo [2] Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cunctis processibus et ordinationibus vel statutis, que malitie sunt plena tribulis et ordine carentia rationis, vel que apostolice sedis auctoritati derogant et multos Christi fideles enormiter scandalizant, ac in divine legis vertunt preiudicium et evidens continent periculum animarum, prompto spiritu debemus obsistere, ut nulla prorsus gaudeant firmitate, sed redigantur ad nichilum, ne transeant aliis in exemplum, inflicta nichilominus tali pena temerariis actoribus eorundem, quod sit eis omnino necessitas de sua presumptione dampnabili humiliter et propere penitendi. Sane pro dilectissimo nobis Parisiensi studio in vigore debito conservando quedam olim circa ipsum de fratrum nostrorum consilio diligenti examinatione premissa provide duximus statuenda, sicut in specialibus litteris [3] nostris inde confectis, quarum principium est « Quasi lignum vite... » plenius continetur, certis super hoc executoribus deputatis. Dilectis etiam filiis magistris Parisiensibus per litteras nostras dedimus in mandatis, ut dilectos filios fratres Predicatores regentes Parisius in theologia facultate, qui per felicis recordationis I. papam [4] predecessorem nostrum et subsequenter per nos res-

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 319-323. Pour les éditions annérieures, cfr. POTTHAST, *Regesta*, n. 16424.

2) Réginald de Corbeil, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 391.

3) Constitution « Quasi lignum vite » du 14 avril 1255, cfr. DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 279-285.

4) Innocent IV.

tituti fuerunt, infra quindecim dies post receptionem litterarum ipsarum ad consortium iam dictum admitterent, alioquin ab officiis et beneficiis essent ipso facto suspensi [1]. Dicti vero et quamplures alii magistri et scolares Parisienses restitutionis, ordinationis et litterarum ac sententiarum executorum ipsorum temerarii transgressores in delusionem earum ab Universitate nequiter recesserunt, et preter ipsam Universitatem, ut dicebant, in quadam societate seu congregatione morantes Parisius, actumque legendi postmodum ex sola malitia suspendentes, licet nos nomine Universitatis in dicta ordinatione nostra sepius iterata intelligamus et velimus intelligi omnes magistros et scolares Parisius existentes, asserebant, se cum de Universitate non essent, ad restitutionis, ordinationis et litterarum ac sententiarum ipsarum observantiam non teneri, frustratorie, ne super hoc in preiudicium ipsorum aliquid fieret, appellando, prout in litteris eorum transmissis nobis et fratribus nostris perspeximus contineri. Iuraverunt etiam, ut fratres Predicatores et scolares fratrum regentium in scolis suis et ad scolasticam societatem nunquam reciperent, nisi prius quod possent ad hoc recipi esset per ecclesiam diffinitum. Et sic huiusmodi ac aliis malitiosis exceptionibus et appellationibus interiectis, quas frivolas reputamus, prefatas restitutionem, ordinationem, litteras et sententias obstinato animo non servantes, nostre intentioni circa effectum ordinationis ipsius presumunt calumpniosis adinventionibus obviare, ad tantam nichilominus prorumpendo vesaniam, quod in proprie salutis dispendium et scandalum plurimorum conati sunt per dampnabilem astutiam impedire ne aliqui predictis fratribus elemosinas largirentur, vel ab eis vel in domo ipsorum sermones seu lectiones aut disputationes audirent, vel confiterentur ipsis peccata propria, etiamsi licentia super hoc a nobis vel a te loci dio-

1) Constitution « Controversiam » du 14 avril 1255, cfr. DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 285-286.

cesano aut sacerdote proprio haberetur. Preterea in divinam et nostram offensam non modicam, ipsi sacre religionis emuli ac turbatores quietis ac laudabilium operum quibus dicti fratres ferventer invigilant, nefarii detractores, claram et celebrem illorum famam obfuscare falsis obsequiis molientes, litteras, per quas ipsos, virtutum odore perfusos, ac pium et sanctum eorum ordinem quasi quoddam sydus in ecclesia Dei refulgentem, qui a longis retro temporibus per sedem apostolicam solempniter approbatus fructus desiderabiles et felices in eadem ecclesia continua fecunditate producit, odibiles redderent et despectos, prelatis diversarum partium et nobis etiam ac fratribus nostris dirigere presumpserunt, illa ducti crudelitate nequissima, quod doctrina catholica et salubris ac predicatio fratrum ipsorum Deo gratissima et delectabilis eum timentibus contempnatur, ac invalescat hereticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter et omnimode confutanda dicti fratres velut strenui pugiles orthodoxe fidei sunt ita vigiles et intenti, quod ducunt pro deliciis, si hac de causa bibant aliquando calicem passionis. In quosdam etiam de fratribus eisdem quidam ex scolaribus supradictis maligno concitati spiritu, vel quasi frenetico furore possessi, violentas manus, ut dicitur, iniecerunt, et ipsos alias tot affecerunt iniuriis, ut vix de claustro suo auderent egredi pro cotidianis elemosinis in sue pauperis vite remedium acquirendis. Demum vero iidem fratres tam duris afflicti molestiis et obprobriis lacessiti ad quandam compositionem cum dictis magistris et scolaribus sine conniventia sedis apostolice minus provide devenerunt, per quam inter alia reprobatione dignissima dicti fratres et scolares a scolis et scolastica societate magistrorum et universitatis contemptibiliter excluduntur, quod est apertissime in contumeliam creatoris et animarum iacturam ac discrimen fidei, et in favorem heretice pravitatis; maxime cum non solum virtuosi et religiosi viri, sed etiam iudei et quicunque alii christiani nominis inimici libere in scolis legis divine recipi et etiam ad hoc deberent precibus invitari, ut ibi lumen fidei et morum susciperent disciplinam. Quid plura? Predicti magistri

et scolares huiusmodi concordiam stimulis discordie circumseptam observare, sicut accepimus, non curarunt, illis qui volunt fratrum ipsorum lectiones et disputationes ac predicationes audire, necnon et illis qui dilecti filii fratris Thome de Aquino voluerunt interesse principio, se nequiter opponendo.

Licet igitur ex parte dictorum fratrum, qui pacem cum omnibus habere cupiunt, et persecutores etiam pro divina reverentia diligere delectantur, nobis fuerit humiliter supplicatum, ut sententias occasione ipsorum in eosdem magistros et scolares prolatas et expressum superius iuramentum, cum pax esset inter eos ad invicem reformata, relaxare misericorditer dignaremur, quia tamen pacem ipsam nobis irrequisitis initam seu presumptam, quod nullo modo provenire debuit, omnino duximus reprobandam, cum sit iniqua et attemptata contra ordinationem nostram, quam illibatam et firmam semper volumus observari, preces ipsorum fratrum super hoc decrevimus nullatenus admittendas. Quinimmo, ne tante rebellionis vitium contra Romanam ecclesiam ausu detestabili attemptatum, quod diu apud nos sub nimia dissimulatione preteriit, possit esse aliis occasio scismatis et contumacie perniciose fomentum, Guillermum [1] de Sancto Amore et Odonem de Duaco, doctores theologie, ac magistros Nicolaum de Barro super Albam et Christianum, canonicum Belvacensem, tanquam principales huiusmodi rebellionis et contumacie incentores omnibus dignitatibus et beneficiis suis ecclesiasticis ac officio magistrali, dictumque G. cappellania nostra privamus sub pena simili districtius inhibentes, ne aliquem ipsorum quis audiat, si forsan contra inhibitionem huiusmodi docere presumpserit aut cathedram ascendere magistralem. Ipsos etiam doctores et magistros iam dictis beneficiis et aliis indignos reddimus, ac de toto regno Francie precipimus amoveri. Alios autem huiusmodi rebellionis consortes pari vel acriori pena, prout nobis videbitur, puniemus,

1) Sur ces différents maîtres de l'université de Paris, cfr. GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 343-348.

nisi reverenter et humiliter infra quindecim dies, postquam presentes fuerint Parisius publicate, restitutioni, ordinationi et litteris ac sententiis memoratis parere studuerint, ac de prestanda nobis super hiis iuxta beneplacitum nostrum satisfactione plenaria vel condigna se tibi sufficienter duxerint obligandos. Iuramenta quidem aut obligationes quascunque a dictis doctoribus ac magistris et scolaribus, sive de non recipiendo ad scolas vel scolasticam societatem dictos fratres et scolares fratrum ipsorum regentium, sive alias contra prefatam nostram ordinationem facta decernentes penitus non tenere, predictorum executorum sententias in doctores et magistros ac scolares eosdem aut ipsorum aliquos promulgatas appellationibus nullis obstantibus auctoritate apostolica confirmamus. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie ac etiam sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, quatinus tenorem presentium omni dilatione et occasione postposita per te vel per alios studeas Parisius publicari. Si prefati doctores et magistri, que premisimus, non duxerint omnimode adimplenda, ipsos ex tunc excommunicatos denuncies et denunciari facias, ubicunque videris expedire, ac illis, ad quos dignitatum ac beneficiorum ipsorum collatio dinoscitur pertinere, per litteras tuas sine mora demandes, ut infra quindecim dies post receptionem litterarum, omni occasione cessante, dignitates et beneficia ipsa conferant personis idoneis ecclesie Romane devotis. Quod si facere forte neglexerint, tu illa conferre auctoritate nostra infra dies totidem non postponas. Carissimum in Christo filium nostrum .. illustrem regem [1] Francie, cui super hoc scripta [2] nostra dirigimus, diligenter moneas et inducas, ut dictos doctores et magistros tanquam ecclesie Romane rebelles et Parisiensis studii turbatores de toto regno suo, postposita tarditate, propellat, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postpo-

1) Louis IX.

2) Constitution « Vere fidei et pie » du 27 juin 1256, cfr. DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 324-326.

sita compescendo. Non obstantibus appellationibus et exceptionibus aut occasionibus supradictis vel aliis quibuscumque sive litteris vel indulgentiis ab apostolica sede concessis, per quas precepti nostri executio in hac parte impediri valeat vel differi, aut de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem, seu etiam, quod dicti fratres omnibus litteris apostolicis impetratis et impetrandis renunciasse dicuntur, quando in compositione huiusmodi consenserunt, presertim cum ipsam nullam esse ac iam dictas apostolicas litteras in suo robore remanere velimus, et ipsas tibi ac eisdem fratribus ab earum detentoribus exhiberi, quos ad id si necesse fuerit per censuram eandem appellatione remota compellas. Preceptum nostrum quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, ut efficacis obedientie gaudeamus in te promptitudinem invenisse. Alias autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram sub incursu predicte pene contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissime diligamus, gravissime provocabis. Quod autem super hoc inveneris et feceris, nobis fideliter rescribere non omittas.

Dat. Anagnie XV kal. iulii, pontificatus nostri anno secundo.

XIII — *Articles qu'à Anagni, en présence des cardinaux, maîtres Eudes de Douais et Chrétien, chanoine de Beauvais, jurèrent d'observer* [1]. *(23 octobre 1256).*

In nomine Christi amen. Anno Domini M° CC° LVI, vicesimo tertio die mensis octobris, XV^{a} indictione, Anagnie in palatio domini pape venerabiles patres domini Hugo [2], tituli

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 338-340.

2) Hugues de Saint-Cher, cardinal du titre de Sainte Sabine, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 7 ; G. GUMBLEY et A. WALZ, *S. R. E. Cardinales ex ord. Praed. assumpti*, dans *Analecta ord. Praedicatorum*, t. XXXIII, 1925, p. 333.

sancte Sabine presbyter, et Iohannes [1], sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, presentibus et audientibus me Bernardo de Littera, notario, et testibus infrascriptis, scilicet: providis viris Iohanne, archipresbytero ecclesie sancte Marie de Castro Cerveteris, Thomasio de Rivofrigido, canonico Casleten., Iohanne presbytero canonico Capuan. et quampluribus aliis ex parte sanctissimi patris domini Alexandri pape iiij providis viris, magistro Odoni de Duaco, theologice facultatis doctori, et Christiano, canonico Belvacensi in eorum presentia constitutis — qui etiam octavo decimo die mensis eiusdem iuraverant corporaliter coram eisdem dominis cardinalibus et me predicto B. notario stare precise mandatis dicti domini pape in virtute prestiti iuramenti — mandaverunt :

Primo scilicet quod salvis aliis mandatis, que eidem domino pape semel vel pluries ipsis magistris mandare placuerit, et salvo, si circa infrascripta idem dominus aliter ordinaret, ipsi magistri quantum in eis esset ex tunc reciperent et publice Parisius recipiant, cum ibi fuerint, ex tunc obedirent et obediant in posterum ordinationi [2] prefati domini pape, que incipit : « Quasi lignum vite, etc... », et quod contra eam scienter non veniant nec contradicentibus ordinationi predicte in contradicendo auxilium vel consilium prestarent publice vel private.

Secundo, quod fratres Predicatores et Minores Parisius degentes, magistros et auditores eorum et specialiter ac nominatim fratres Thomam de Aquino de ordine Predicatorum et Bonaventuram de ordine Minorum, doctores theologie, ex tunc quantum in eis esset in societatem scolasticam et ad Universitatem Parisiensem reciperent, et expresse doctores ipsos reciperent ut magistros, et quod cum Parisius fuerint faciant pu-

---

1) Jean Orsini cardinal diacre de Saint Nicolas in Carcere, devenu pape sous le nom de Nicolas III, cfr. EUBEL, *Hierarchia,* t. I, p. 7, 9.

2) Constitution « Quasi lignum vite » du 14 avril 1255, cfr. DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 279-285.

blice illum idem, ipsosque iuxta ordinationem predictam ab Universitate seu magistris et scolaribus Parisius commorantibus procurent recipi bona fide, et contra predicta numquam prestent consilium vel assensum.

Tercio, quod scienter iuramenta, statuta vel obligationes non faciant seu a religiosis vel aliis exigant vel quantum in eis fuerit exigi permittant, per que vel quos infringatur ordinatio supradicta, seu contra eam modo quolibet veniatur.

Quarto, quod non procurent nec quantum in eis est fieri permittant, quod Parisiense studium absque licentia domini pape occasione cuiusquam preterite turbationis seu facti dissolvatur seu alio transferatur.

Quinto, quod tam in Romana curia quam Parisius bona fide ac sine fraude non adiciendo aliquid scienter, quod sapiat aliquid principaliter vel consequenter, sed ista que eis in hoc articulo iniunguntur predicent publice et in civitate Parisiensi pluries et in diversis locis, et asseverent fideliter in ipsis predicationibus infrascripta, scilicet: quod reprobent libellum in ipsis predicationibus, qui nuper fuit per summum pontificem condempnatus, et errores in ipso contentos, qui sunt contra infrascripta, que in ipsis predicationibus asserant et affirment, videlicet de potestate Romani pontificis, quod possit predicatores et confessores mittere ubique per mundum iuxta sue beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum prelatorum quorumcumque seu parrochialium sacerdotum. Item quod archiepiscopi et episcopi in suis diocesibus licentiam dare possint predicandi et confessiones audiendi sine consensu inferiorum sacerdotum vel rectorum ecclesiarum, cum viderint expedire, quodque predicatores et confessores sic missi possint libere predicare et licite confessiones audire ac absolvere penitentes. Item de mendicitate, quod status mendicitatis propter Christum est status salutis et perfectionis. Item quod religiosi pauperes, qui omnia relinqunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student verbo Dei, legendo, disputando, predicando. Item quod

ea, que continebantur in libello predicto et quibusdam articulis a magistro Christiano prefato confectis, que explicite vel implicite videbantur seu poterant in predictorum ordinum infamiam redundare, sicut de pseudoprophetis et apostolis et de nuntiis Antichristi, de penetrantibus domos et periculis novissimorum temporum, non intelligunt nec intellexerunt de fratribus ordinum predictorum, quod tales ipsi sint vel fuerint vel etiam sint futuri, sed fateantur ordines ipsos esse bonos et ab ecclesia approbatos, et inter cetera asserant et affirment, quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula, scilicet que per sanctos utriusque ordinis sanctorum cathalogo per Romanam ecclesiam canonice legitime fideliter ac rite ascriptos est misericorditer operari dignatus.

In cuius rei testimonium ego prefatus Bernardus, apostolice sedis auctoritate notarius, qui premissis rogatus interfui, de mandato dictorum dominorum cardinalium hoc presens publicum instrumentum propria manu scripsi ac in publicam formam redegi et signum meum apposui.

XIV — *Déclaration faite à Paris par maître Chrétien, chanoine de Beauvais*[1]. *(12-27 août 1257).*

Reginaldus[2], miseratione divina Parisiensis ecclesie minister indignus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod, anno Domini M° CC° LVII, die domenica[3] ante Assumptionem beate Marie virginis, in pleno sermone facto in domo fratrum Minorum Parisiensium, magister Christianus de Virdunio in presentia mandati nostri iurati ad hoc a nobis specialiter destinati dixit publice omnia et singula inferius annotata in hunc modum:

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 364-367.

2) Réginald de Corbeil.

3) 12 août 1257.

Duo intendo facere, primo dicam ad quid veni; postea faciam illud et incipio sic sicut alias incepi: « Curam habe de bono nomine; magis tibi proderit », etc. Nomen obedientis bonum est propter quinque, quia scilicet facit amicos Christi ; in Joh. [1]: « Vos amici mei estis », etc. Secundo quia facit a Deo provideri in necessariis ; in Ys.[2]: « Si volueritis et audieritis me », etc. Tertio quia Deus eos qui habent istud nomen protegit ne mala cooperentur eis in malum, sed in bonum ; Eccl. [3] : « Qui custodit preceptum », etc. Quarto quia qui vere habent istud nomen, se possint dicere victores iuxta illud [4] : « Vir obediens loquetur victorias ». Quinto quia introducit ad vitam eternam ; Mat. [5]: « Si vis ad vitam ingredi », etc., et in Proverb. [6]: « Melius est nomen bonum », etc. Ex quo nomen obedientis ita bonum est, bene custodiendum est, et si quis amisit illud, bene debet laborare quod reciperet. Aliqui suggesserunt domino pape, quod eram ei rebellis et quod essem incentor rebellionum, quod nunquam fui. Et tamen hoc credidit papa, et illi qui suggesserunt domino pape, nomen obedientis michi abstulerunt. Propter quod studui recuperare illud nomen. Nesciebam aliam viam, nisi quod ivi ad dominum papam ad excusandum me de inobedientia. Ad quod quatuor feci : primo dixi quod nunquam fueram rebellis, quod scirem. Secundo rogavi, ut ostenderetur michi, si in aliquo fuissem rebellis et agerem penitentiam. Quibusdam dicentibus quod non receperam fratres, dixi quod hoc fuit falsum. Immo postquam separati [fuerunt] ab Universitate, fui cum ipsis in scolis magistri Iacobi [7] decani Turonensis, et apposui cum ipsis. Et

---

1) Ioan. XV, 14.

2) Isai. I, 19.

3) Eccle. VIII, 5.

4) Prov. XXI, 28.

5) Matth. XIX, 17.

6) Prov. XXII, 1.

7) Jacques de Guérande, doyen de Tours et chanoine de Paris, devenu évêque de Nantes en janvier 1264, cfr. GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 349.

ita me excusavi, quod quidam auditorum meorum in curia dixit, se habere me excusatum in publica audientia. Postea processi: volens me ostendere obedientem per omnia promisi pape quod in omnibus obedirem. Secundo voluit quod ego iurarem. Ego dixi, simplex verbum et iuramentum non differt christiano, et iuravi quod facerem mandatum pape. Postea preceptum fuit michi, quod aliqua facerem in curia, et feci. Item preceptum fuit michi, quod Bononie idem facerem, et fuit relaxatum, quia linguam ignorabam. Item preceptum fuit michi, ut Parisius idem facerem. Ad hoc veni, ut dicam que precepta fuerunt michi ut dicerem. Illi qui abstulerunt michi nomen obedientis, vulneraverunt me, ut dicere possim illud Cant. [1]: « Percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum ». Vulneraverunt me quinque vulneribus: primum disponit ad mortem corporis, secundum impedit curationem eiusdem, tertium disponit ad mortem anime, quartum impedit curationem eiusdem, quintum repellit medicos ne accedant ad me curandum. Primum vulnus est procuracio privationis beneficii quo provisum erat michi in vite necessariis; secundum est procuracio, ut redderer indignus aliis beneficiis optinendis; tertium est procuracio, ne predicarem aut legerem, contra illud [2]: « Spiritum nolite extinguere », et sic in me extinxerunt spiritum; quartum est procuracio, quod a regno Francie amoverer, quod impedit curacionem tertii vulneris, quia alias linguas ignoro; quintum est diffamacio, per quam a me repellebantur, qui me possent curare. Si ista sunt crudelia, iudicate. Isti crudeliores fuerunt latronibus, qui vulneraverunt descendentem a Ierusalem in Iericho [3], quia illi dimiserunt eum semivivum, isti me totaliter interfecerunt. Melius esset michi, quod procurassent mortem meam, quia tunc non moverer ad odiendum illos et essem sine anime periculo; modo autem cotidie sum in periculo anime. Aliqui dixerunt, quod

1) Cant. V, 6-7
2) I Thes. V, 19.
3) Luc. X, 30-37.

omnia, que dixeram de penetrantibus domos, revocarem in curia. Bene scit papa, quomodo est de hoc. Nunquam fuit michi aliquid oppositum in iudicio, nec unquam fuit michi iniunctum ut aliquid revocarem, quia nichil dixi contrarium hiis que dicturus sum, quia non dicam revocando, sed obediendo, quia michi iniunctum est.

Quibus dictis legit idem magister Christianus publice ea, que inferius continentur : Ego magister Christianus, quantum in me est, ex nunc recipio et ex nunc obedio, et obediam in posterum nisi dominus papa aliter ordinaverit, ordinationi domini pape que incipit : « Quasi lignum vite, etc... », et contra eam scienter non veniam nec contradicentibus ordinationi predicte auxilium vel consilium prestabo publice vel private. Secundo fratres Predicatores et Minores Parisius degentes, magistros ac auditores eorum ac specialiter et nominatim fratres Thomam de Aquino de ordine Predicatorum, et Bonaventuram de ordine Minorum doctores theologie, ex nunc, quantum in me est, in societatem scolasticam et ad Universitatem Parisiensem recipio, et expresse predictos doctores recipio ut magistros, ipsosque iuxta ordinationem predictam ab Universitate seu magistris et scolaribus Parisius commorantibus procurabo recipi bona fide, et contra predicta nunquam prestabo consilium vel consensum. Tertio, quod scienter statuta et obligationes et iuramenta non faciam seu a religiosis vel ab aliis exigam, vel in quantum in me fuerit exigi permittam, per que vel per quos infringatur [ordinatio] supradicta seu contra eam quomodolibet veniatur. Quarto, quod non procurabo nec quantum in me est fieri permittam, quod Parisiense studium absque licentia domini pape occasione cuiuslibet preterite turbationis seu facti dissolvatur seu alio loco transferatur. Item reprobo libellum secundum formam traditam in littera de libelli condempnatione, qui nuper fuit per summum pontificem condempnatus, et errores in ipso contentos, qui sunt contra infra scripta. Assero et affirmo, quod Romanus pontifex potest predicatores et confessores mittere ubique per mundum iuxta sue beneplacitum voluntatis sine con-

sensu inferiorum prelatorum quorumcumque seu parrochialium sacerdotum. Item quod archiepiscopi et episcopi in suis dyocesibus dare possunt licentiam predicandi et confessiones audiendi sine consensu inferiorum sacerdotum vel rectorum ecclesiarum, cum viderint expedire, quodque predicatores et confessores sic missi possunt libere predicare et licite confessiones audire ac absolvere penitentes. Item quod status mendicitatis propter Christum est status salutis et perfectionis. Item quod religiosi pauperes, qui omnia reliquerunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student verbo Dei, predicando, disputando, legendo. Item quod ea que continebantur in libello predicto et in quibusdam articulis a me confectis, que implicite vel explicite videbantur seu poterant in predictorum ordinum infamia redundare, sicut de pseudoapostolis et de pseudoprophetis, de nuntiis Antichristi, de penetrantibus domos, de periculis novissimorum temporum, non intelligo nec intellexi de fratribus ordinum Predicatorum et Minorum, quod tales sint vel fuerint vel etiam futuri sint, sed fateor ordines ipsos esse bonos et ab ecclesia approbatos, et assero et affirmo, quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula scilicet, que per sanctos [1] utriusque ordinis sanctorum cathalogo per Romanam ecclesiam canonice legitime fideliter ac rite ascriptos est misericorditer operari dignatus.

Quibus lectis dixit idem magister ea que sequuntur: Quando recepi mandatum, ut dicerem quod Predicatores et Minores non sunt nec fuerunt nec futuri sunt de discipulis Antichristi, etc., recepi mandatum hoc modo, et dixi coram cardinalibus, scilicet: « qui vivunt secundum ordinem suum ». Et ipsi dixerunt, quod ipsi nec aliter intelligebant. Fratres etiam

---

1) Allusion aux canonisations de saint François d'Assise (16 juillet 1228), saint Antoine de Padoue (30 mai 1232), saint Dominique (3 juillet 1234) et saint Pierre de Véorne (24 mars 1253).

dicunt, quod hoc aliter non intelligunt. Et peto a nuncio domini episcopi, ut det michi que dixi sub sigillo domini episcopi. Nos vero in testimonium predictorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Datum in vigilia beati Augustini anno predicto.

Nos Reginaldus, Dei gratia episcopus Parisiensis, ad omnem ambiguitatem tollendam, verbum litteris nostris insertum, quibus presens scriptura est annexa, quod est tale : « Nos vero in testimonium predictorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum », « in testimonium predictorum » ita intelleximus et intelligimus, id est, in testimonium, quod dictus magister Christianus ita proposuit in presentia mandati nostri ; non enim constat nobis, quod cardinales dixerint vel quod fratres dicant, quod non aliter intelligebant vel intelligunt, quam dictus magister intellexerit de discipulis Antichristi.

Datum anno Domini M° CC° LVII, mense augusto.

XV — *Ordonnances du chapitre général de l'ordre de saint Dominique, célébré à Valenciennes, concernant l'organisation des études chez les frères Prêcheurs* [1]. *(Juin 1259).*

Parisius non petatur licentia legendi theologiam pro aliquo fratre, nec licentiatus incipiat, nec legens dimittat, nisi de consilio magistri si fuerit in provincia Francie, vel de consilio prioris provincialis Francie, si magister ordinis in Francia non fuerit...

---

1) Edition : C. DOUAIS, *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des frères Prêcheurs au treizième et quatorzième siècle (1216-1342)*, Paris-Toulouse, 1884, p. 173-174 ; DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 385-386 ; C. DOUAIS, *Acta capitulorum provincialium ord. fr. Praedicatorum*, Toulouse, 1894, p. 89 ; B. REICHERT, *Acta capitulorum generalium ord. Praed. hist.*, (*Monumenta ord. fr. Praed. hist.*, t. III), t. I, Rome-Stuttgard, 1898, p. 99-100.

Apud Valencenas anno Domini Mº CCº LIXº de mandato magistri et diffinitorum pro promocione studii ordinatum est per fratres Bonumhominem [1], Florentium [2], Albertum Theutonicum, Thomam de Aquino, Petrum de Tharantasia [3], magistros theologie Parisius, qui interfuerunt dicto capitulo, quod lectores non occupentur in factis vel negotiis, per que a lectionibus retrahantur.

Item, quod diligenter inquiratur per priores provinciales de iuvenibus aptis ad studium, qui possint in brevi proficere, et eos in studio promoveant.

Item, quod talis inquisitio fiat singulis annis per visitatores in singulis conventibus, et referatur capitulo provinciali.

Item, quod ad studia ordinis generalia non mittantur fratres, nisi qui sunt bene morigerati et apti ad proficiendum.

Item, quod si in aliqua provincia non possint haberi lectores in omnibus conventibus, provideatur saltem quod fratres et maxime iuvenes non semper remaneant in illis conventibus, sed mittantur ad loca ubi sunt lectores.

Item, quod si inveniri non possunt lectores sufficientes ad legendum publice, saltem provideatur de aliquibus qui legant privatas lectiones, vel ystorias, vel summam de casibus, vel aliud huiusmodi, ne fratres sint otiosi.

Item, quod fratribus iuvenibus aptis ad studium parcatur a discursibus et aliis occupationibus, ne a studio retrahantur.

Item, quod ordinetur in provinciis, que indiguerint, aliquod studium artium vel aliqua, ubi iuvenes instruantur.

---

1) Fr. Bonhomme, cfr. J. QUÉTIF et J. ECHARD, *Scriptores ord. fr. Praedicatorum*, t. I, Paris, 1719, p. 140; GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 83.

2) Fr. Florent de Hesdin, cfr. QUÉTIF et ECHARD, *Scriptores*, t. I, p. 139; GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 84.

3) Fr. Pierre de Tarentaise, devenu pape sous le nom d'Innocent V, cfr. QUÉTIF et ECHARD, *Scriptores*, t. I, p. 350-354; GUMBLEY et WALZ, *Cardinales ex ord. Praed.*, p. 334; GLORIEUX *Répertoire*, t. I, p. 107-112.

Item, quod fratres, qui remanent a scolis, dure puniantur.

Item, quod fratres tempore lectionis non occupentur in missis celebrandis, vel aliis huiusmodi, nec vadant in villam, nisi pro magna necessitate.

Item, quod etiam priores vadant ad scolas, sicut ceteri fratres, quando commode poterunt.

Item, quod lectores vacantes vadant ad scolas et precipue ad disputationem.

Item, quod non fiant lectores vel predicatores vel confessores, nisi sint sufficientes, ita quod possint sine periculo notabili huiusmodi officia exercere.

Item, quod priores et visitatores et magistri fratrum sint solliciti diligenter inquirere, qualiter fratres et precipue iuvenes circa studium occupentur, et qualiter in studio proficiunt et puniant negligentes.

Item, quod lectores, quantumcumque fieri poterit, continuent lectiones suas.

Item, quod visitatores singulis annis diligenter inquirant de lectoribus, quantum legant in anno et quot questiones disputaverint ac etiam determinaverint, et quot conventus sue visitationis careant lectoribus, et quod quidquid circa hoc invenerint, referant capitulo provinciali, et etiam defectus notabiliores qui circa hoc invenerint ; prior provincialis et diffinitores referant postmodum capitulo generali.

Item, quod in singulis provinciis singulis annis in quolibet provinciali capitulo ordinetur, qualiter provideatur studentibus sue provincie missis ad quecumque studia generalia.

Item, visitatores diligenter inquirant qualiter studentibus provideatur, et referant defectus notabiles capitulo provinciali, per quod efficax remedium apponatur.

Item, provideatur quod quilibet lector, tenens aliquod studium solempne, habeat bacellarium, qui legat sub eo.

Item, quod fratres portent ad scolas libros qui leguntur in scola, si habent, et non alios.

Item, quod in quolibet conventu, ubi est lector, instituatur aliquis frater qui diligenter repetat, dummodo sit in conventu aliquis sufficiens.

Item, quod fiant repetitiones de questionibus et collationes de questionibus semel in septimana, ubi hoc commode poterit observari.

XVI — *Alexandre IV demande à l'évêque de Paris de veiller à ce que le recteur et les maîtres de l'université reçoivent en leur amitié les maîtres et les étudiants dominicains et franciscains; il lui ordonne de punir le bedeau de la nation picarde qui s'est permis d'injurier publiquement fr. Thomas d'Aquin* [1]. *(26 juin 1259.)*

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo [2] Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ex alto fuisse conspicimus civitati Parisiensi provisum, quod honorificata decore studii generalis et tantorum universitate scolarium illustrata preluceret orbis civitatibus, orbemque lucidum redderet sui luminis claritate. Ipsa quidem Universitas fons irriguus consuevit esse virtutum, universale speculum, mater studere volentium et magistra scientiarum ad singulos dona derivans, cunctosque clarificans illustribus radiis doctrinarum. Et quia nonnulli seditionis et nequitie filii lucem in tenebras convertere satagentes tantum studium subvertere conabantur, nos eorum conatibus obviantes certa statuta de nostrorum consilio fratrum edidimus, per que studio soliti reddebantur incrementa vigoris et talium perversorum intentio tollebatur. Cumque noster animus optata super eo tranquillitate quiesceret,

1) Edition: DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 390-392; BERTHIER, *Doctor Communis*, t. I, p. 19 (fragment). Pour les éditions antérieures, cfr. POTTHAST, *Regesta*, n. 17630.

2) Réginald de Corbeil.

quod sicut habebat relatio plurimorum statum quietis et pacis Universitas resumpsisset, postmodum (quod turbati referimus), qui dicebantur a suarum seditionum languore sanati, passos fore didicimus recidivam in divini contumeliam nominis, apostolici mandati contemptum et subversionem studii memorati. Nuper enim nostris est auribus intimatum, quod magistri et rectores artistarum Parisiensium se a dilectorum filiorum Predicatorum et Minorum ordinum fratrum et quorundam aliorum magistrorum et scolarium religiosorum et secularium societate seu consortio separantes ipsos in elusionem mandati apostolici super hoc directi ad suum consortium pro sue voluntatis arbitrio non admittunt contra statuta olim a nobis super hoc edita temere veniendo. Verum quia ad id animum nostrum eo acerbius vulnerat, quo materia maioris turbationis et scandali, nisi super hoc a nobis salubre exhibeatur remedium, posset exinde non absque gravi ecclesie generalis dispendio facilius exoriri, maxime cum huiusmodi separatio, quacunque arte vel ingenio adinventa fuerit et quocunque nomine censeatur, expresse contra ordinationem nostram et statuta predicta pro tranquillo statu Parisiensis studii edita sit presumpta: volumus et per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eisdem rectoribus et artistis ac aliis magistris et scolaribus Parisius commorantibus ex parte nostra districte precipias, ut infra quindecim dies post huiusmodi preceptum eosdem fratres ac alios in suum consortium seu societatem iuxta eorundem statutorum tenorem admittere studeant et efficaciter retinere, nichilominus inhibendo ne similia decetero attemptentur, alioquin tam rectores et artiste predicti, ac alii, qui memoratos fratres et eis super hec adherentes ad huiusmodi societatem seu consortium iuxta preceptum nostrum taliter admittere ac retinere non curarint, quam etiam omnes illi, qui contra inhibitionem huiusmodi publice vel occulte, seu quovis alio modo venire presumpserint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nullatenus absolvi valeant, nisi personaliter ad apostolicam sedem accesserint, absolutionem huiusmodi petituri. Porro cum per predicationes et disputationes

Guillermi de Sancto Amore fratres predicti, qui, ut Christum lucrifaciant, abiectionem voluntarie paupertatis elegisse noscuntur et quamplures alii fuerint graviter diffamati, nos ad confutandam super hoc ipsius Guillermi maliciam et elucidandam in talibus veritatem, universis prelatis litteras nostras, quibus statum dictorum fratrum non indigne approbavimus, duximus destinandas, quarum tenores per te vel per alios Parisius et alibi in ecclesiis et locis aliis in predicationibus publicis prout expedire videris coram clero et populo tam latinis quam vulgaribus verbis exponere studeas diligenter. Insuper quendam libellum famosum et detestabilem ab eodem G. editum, prout publice apud sedem apostolicam confessus extitit, quem per nos de fratrum nostrorum consilio condemnatum igne cremari fecimus [1], cuius titulus : « Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum [2] », nuncupatur ; principium autem eius erat : « Ecce videntes clamabunt foris... », necnon et quosdam alios libellos famosos in infamiam et detractationem eorundem fratrum ab eorum emulis in litterali et vulgari sermone necnon rismis [3] et cantilenis indecentibus de novo ut dicitur editos, quos tibi exhiberi facias, detentores ad exhibitionem ipsorum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, convocatis magistris et scolaribus Parisius existentibus facias publice coram omnibus igne cremari.

Preterea Guillotum, bedellum scolarium nationis Picardorum, pro eo, quod sue salutis immemor in dominica de Ramis Palmarum proximo preterita [4] predicante dilecto filio

1) Cfr. la bulle « Romanus Pontifex » du 5 octobre 1256 : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 331-333.

2) Sur le traité de Guillaume de Saint-Amour et les réponses qu'il provoqua de la part de saint Bonaventure et de saint Thomas, cfr. P. GLORIEUX, *Le « Contra Impugnantes » de S. Thomas*, dans *Mélanges Mandonnet*, t. I, Paris, 1930, p. 51-81.

3) Allusion aux poésies de Rutebeuf, cfr. A. JUBINAL, *Oeuvres de Rutebeuf*, t. I, Paris, 1839, p. 71, 78, 151.

4) 6 avril 1259.

fratre Thoma de Aquino eiusdem ordinis Predicatorum quendam libellum famosum, quem utpote contra eosdem fratres editum publice reprobaveras, contempta excommunicationis sententia, quam in omnes auctores, detentores et publicatores ipsius libelli auctoritate ordinaria promulgasse diceris, in conspectu cleri et populi tunc ibidem existentium in tui et ipsorum fratrum iniuriam publicare presumpsit, excommunicatum presentibus magistris et scolaribus supradictis studeas nuntiare, privando ipsum nichilominus perpetuo bedellionatus officio, ita quod illud nec per se neque per alium decetero exercere presumat, nec etiam salarium aliquod sibi, quem de civitate Parisiensi sublato appellationis obstaculo perpetuo procures expellere, petere vel recipere liceat ratione officii supradicti, auxilio carissimi in Christo filii nostri . . regis Francie illustris ad premissa, si opus fuerit, invocato, non obstantibus quibuscumque appellationibus a dictis magistris, rectoribus et scolaribus interiectis. Ad hec volumus, ut omnes illi, qui deinceps huiusmodi libellos vel consimiles edere vel detinere seu publicare, aut prefatum bedellum Parisius reducere presumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua nonnisi iuxta modum absolvi valeant prenotatum. Presentes autem litteras omni mora et difficultate postposita coram universitate predictorum magistrorum et scolarium studeas publicare.

Dat. Anagnie VI kal. iulii, pontificatus nostri anno quinto.

XVII — *Urbain IV ordonne à l'évêque élu de Capoue d'instituer dans les églises de saint Jean et de sainte Marie, situées sur les territoires de Monte San Giovanni et de Gallinaro, des clercs présentés par Aymon d'Aquin* [1]. *(2 juillet 1264).*

.. electo [2] Capuano.

Merita devotionis dilecti filii nostri Aymonis de Aquino, sancti Iohannis, site in territorio castri Montis Sancti Iohannis, et sancte Marie de Gallinario ecclesiarum patroni, Verulane et Sorane diocesium, nos inducunt ut ipsum et suos, tanquam speciales ecclesie Romane filios et devotos, dignis prosequamur honoribus et favoribus apostolicis attollamus. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes ac intendentes eidem nobili gratiam facere specialem, mandamus quatinus aliquos idoneos clericos quos idem nobilis, una cum aliis earumdem ecclesiarum patronis, qui ad presens voluerunt et potuerunt, dummodo sint eiusdem ecclesie Romane devoti, dictos clericos presentare, tibi hac vice ad easdem sancti Iohannis et sancte Marie ecclesias nunc vacantes, ut dicitur, duxerit presentandos, admittas, et ipsos, auctoritate nostra, instituas in eisdem. Contradictores, et cetera. Ita tamen quod iidem clerici ad omnes ordines, quos requiret onus earumdem ecclesiarum, se faciant statutis temporibus promoveri, et in eisdem ecclesiis residentiam faciant personalem. Volumus autem quod venerabilibus fratribus nostris Verulano et Sorano episcopis per hoc in posterum nullum quo ad premissa preiudicium generetur.

Dat. apud Urbem veterem VI non. iulii, anno III.

---

1) Edition : J. GUIRAUD, *Les Registres d'Urbain IV (1261-1264)*, t. II, Paris, 1901, p. 324, n. 681.

2) Marino d'Eboli, nommé au siège de Capoue le 13 janvier 1252, pourvu de nouveau de ce siége le 27 mai 1266, cfr. EUBEL, *Hierarchia,* t. I, p. 164.

XVIII — *Urbain IV interdit au comte d'Acerra et à tous ceux qui ont part à la possession de Monte San Giovanni d'y laisser pénétrer les troupes de Manfrède sous peine de perdre leurs droits, droits qui seraient dévolus à Aymon d'Aquin* [1]. *(8 juillet 1264).*

Ad futuram rei memoriam. Inter ceteras sollicitudines que mentem nostram in vigiliis excitant, super eo specialiter nostri versantur affectus ut provincie [*lege* : provinciam] Campanie, ortum sedis apostolice predilectum, in statu prospero conservemus. Nam, quanto potius ipsam provinciam visceribus dicte sedis connexam esse prospicimus, tanto de ipsius quiete in qua nos non indigne quiescimus, vigilantius cogitamus. Ne igitur per castrum Montis Sancti Iohannis, Verulane diocesis, hostibus ecclesie Romane vicinum, aliquid emergere valeat, quod cedat in ipsius castri vel prefate provincie lesionem, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne nobiles viri .. comes [2] Acerrarum vel aliqui illorum qui partem habent in dominio dicti castri, aliquam masnadam militum, balistarum vel peditum Manfredi [3], quondam principis Tarentini, vel quorumvis indevotorum eiusdem ecclesie illuc introducere seu introductam retinere vel quomodolibet receptare presumant. Nos ergo illos qui secus attemptare presumpserint, omnibus bonis, iuribus et dominio que obtinent in eodem castro, apostolica ex nunc perpetuo auctoritate privamus, illa nichilominus ecclesie Romane de nostre potestatis plenitudine confiscantes ac mandantes universis dicti castri hominibus ut dilecto filio nobili viro, Aymoni de Aquino, in devotione ipsius ecclesie persistenti, de bonis, iuribus et dominio illorum ad quos contigerit sententiam huiusmodi privationis ex-

1) Edition: RODENBERG, *Epistolae*, t. III, p. 613-614; GUIRAUD, *Les Registres d'Urbain IV*, t. II, p. 410, n. 853.

2) Thomas II d'Aquin, comte d'Acerra.

3) Manfrède, fils naturel de Frédéric II, prince de Tarante en 1240, couronné roi de Sicile à Palerme en 1258, mort le 26 février 1266.

tendi, respondeant, sibique in hiis, ecclesie prefate nomine, plenarie studeant obedire, ut reis culpa propria redundet in penam, et boni de sue merito bonitatis consequi premia dinoscantur.

Dat. apud Urbem veterem VIII id. iulii, anno III.

XIX — *Urbain IV interdit à Aymon d'Aquin et aux habitants de Monte San Giovanni de recevoir les armées de Manfrède*[1]. *(8 juillet 1264).*

Aymoni et aliis dominis nec non militibus et universis hominibus castri Montis Sancti Iohannis.

Ad manutenendam et gubernandam in statu quieto et prospero Campanie provinciam, utpote specialem et predilectam ecclesie Romane cameram, studia nostra mente vigili convertentes, intenta sollicitudine precavemus, ne aliqui devotionis ignari, nequitie spiritu concitati, quietem ipsius provincie turbare valeant vel quicquam in ipsa zizanie seminare. Volentes igitur nonnullis, que per terram vestram hostibus ecclesie predicte vicinam possent emergere, periculis obviare, universitati vestre, sub debito fidelitatis qua ipsi ecclesie tenemini, et pena mille marcarum argenti quam eo ipso vos incurrere volumus, si prevaricatores apostolici mandati fueritis, districte precipimus quatinus nullos fautores nullamque masnadam militum seu quorumcumque armatorum Manfredi, quondam principis Tarentini, vel quorumvis eiusdem indevotorum ecclesie recipere et receptare quomodolibet presumatis. Pro certo scituri quod penam eandem a vobis exigi faciemus, si secus duxeritis presumendum, processuri nichilominus contra vos alias spiritualiter et temporaliter, prout exegerit excessus qualitas et viderimus expedire.

Dat. ut supra (*scilicet*: apud Urbem veterem VIII id. iulii, anno III).

---

1) Edition: GUIRAUD, *Les Registres d'Urbain IV*, t. II, p. 410-411, n. 854.

XX — *Documents mentionnant la charge de justicier pour la Sicile Ultérieure, attribuée par Charles I à Aymon d'Aquin. (29 mai - juillet 1266).*

29 mai 1266. — *Riso della Marra, trésorier de Charles I de Sicile, a payé* [1] : « Uncias auri quinquaginta presbitero Guillelmo Urcanda, Iohanni de S. Abdumario et Matheo de Alabaido de Trano... per apodixam unam ipsorum vicesimo nono mensis maii eiusdem indictionis apud Licatam, factam auctoritate mandati predicti Philippi de Monteforti [2] vicarii et requisitionis Aymonis de Aquino, tunc iustitiarii [3] Sicilie ultra flumen Salsum...

Anno [4] M°. CC°. LXVI°, mense iulio, rege Carolo regni eius anno primo etc. De mandato domini Aimonis de Aquino, regis iustitiarii in Sicilia ultra flumen Salsum [5], recepti

1) Edition : F. SCANDONE, *Appunti biografici sui due rimatori... Rinaldo e Iacopo di casa d'Aquino*, Napoli, 1897, p. 19.

2) Philippe de Monfort, vicaire en Sicile puis, en 1267, capitaine des troupes chargées de défendre les Etats de l'Eglise, cfr. P. DURRIEU, *Les Archives angevines de Naples. Etude sur les registres du roi Charles I (1265-1285)* (*Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome*, fasc. 46 et 51), t. II, Paris, 1887, p. 353.

3) Sur les origines et les obligations de la charge de justicier, cfr. E. JAMISON, *The norman administration of Apulia and Capua*, dans *Papers of the British School at Rome*, t. VI, 1913, p. 302-383 ; DURRIEU, *Les Archives angevines*, t. I, p. 47-54.

4) Edition : R. PIRRO, *Sicilia sacra disquisitionibus et notitiis illustrata*, t. II, Palerme, 1733, p. 807 ; voir aussi J. F. BOHMER, J. FICKER et F. WINKELMANN, *Die Regesten des Kaiserreichs unter Philipp, Otto IV... und Richard*, Innsbruck, 1892, n. 14308.

5) Le texte publié par Pirro porte « citra ». Dans le catalogue des justiciers du royaume de Naples établi par Durrieu, cet auteur (*Les Archives angevines*, t. II, p. 212) indique comme premier justicier de la Sicile Cistérieure « citra flumen Salsum » Pierre de Lamanon, qui succéda à Aymon d'Aquin dans sa charge de justicier de la Sicile Ultérieure « ultra flumen Salsum ».

testes dixerunt quod terra Cephaludi cum castro et hominibus dictae terrae et omnibus iuribus et proventibus ipsius non spectat ad demanium sed a tempore regis Rogerii per eundem regem episcopo et ecclesiae sunt donata...

XXI — *Clément IV charge fr. Thomas d'Aquin de désigner deux frères pour servir de compagnon à l'évêque dominicain de Dschibleh en Syrie*[1]. *(14 juillet 1267).*

Dilecto filio fratri Thome de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum.

Cum sit bonum pariter et iocundum habitare fratres in unum, et omne aliud sibi simile diligat, nos venerabilis fratris nostri . . episcopi[2] Gabulensis conceptum, quo ad sui ordinis fratres afficitur, quorum cupit consortio recreari, favore benivolo prosequentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus duos fratres tui ordinis, unum scilicet clericum et alterum laycum eidem assignes, qui eundem associent, salva maiorum suorum in ordine obedientia, eidem obediant et intendant.

Dat. Viterbii II idus iulii, anno tertio[3].

---

1) Edition : *Bullarium ordinis fr. Praedicatorum*, t. I, Rome, 1729, p. 485. Pour les éditions antérieures, cfr. POTTHAST, *Regesta*, n. 20037.

2) Fr. Gualter de Calabre, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 257.

3) Cette bulle a été datée différemment ; la date ici indiquée est celle des Registres Vatican (Reg. Vat. 30, fol. 61v) des Archives Vaticanes, cfr. E. JORDAN, *Les Registres de Clément IV*, Paris, 1894, p. 409, n. 1227.

XXII — *Bernard I Ayglerio, abbé du Mont-Cassin, en considération de l'amitié qui l'unit à fr. Thomas d'Aquin, concède aux frères Prêcheurs de pouvoir construire un couvent à San Germano*[1]. *(27 décembre 1269).*

Universis Christi fidelibus presentes licteras inspecturis, Bernardus[2], Dei gratia Casinen. humilis abbas, et conventus Casinen. salutem in Domino sempiternam. Licet beatissimus pater noster Benedictus principaliter fuerit monastice legis lator et pater specularis omnium monachorum, in sue tamen fundamentis doctrine necnon et conversationis exemplis omnium religionum edificia sua iaciunt fundamenta et specialiter ordo a beato institutus Dominico, qui, etsi ad predicandum populis sit principaliter institutus, monasticum tamen nec habitum deserit nec conversationis insignia derelinquit, qui et munere paupertatis prepollens mundi amatores libera voce castigat et contra incredulorum versutias sacre pagine iaculis, cuius est assiduus perscrutator, arcu predicationis corda sagictat eorum ipsos ad fructum penitentie compungendo. Hunc igitur ordinem universali ecclesie necessarium, nobis non disparem nec a religionis nostre semitis deviantem, nobis libenter astringimus, nobis et unimus non tantum vinculo caritatis sed etiam loci propinquitatis honore.

Hinc est quod nos prefato Predicatorum ordini, ob honorem Dei et venerabilis viri fratris Thomasii de Aquino ac religiosi viri fratris Troiani[3] de eodem Predicatorum ordine

---

1) Edition: GATTULA, *Historia abbatiae Cassinensis*, t. II, p. 495-496; TOSTI, *Storia... di Monte-Cassino,* t. III, p. 79; A. CAPLET, *Regesti Bernardi I abbatis Cassinensis fragmenta ex archivio Cassinensi*, Rome, 1890, p. 59-60.

2) Sur Bernard I Ayglerio, cfr. A. SABA, *Bernardo I Ayglerio, abate di Monte-Cassino (Miscellanea cassinese*, fasc. VIII), Monte Cassino, 1931.

3) Sur fr. Troiano, cfr. I. TAURISANO, *Discepoli e biografi di S. Tommaso*, dans *S. Tommaso d'Aquino O. P., Miscellanea storico artistica*, Rome, 1924, p. 122.

karissimorum amicorum nostrorum promerente dilectione, edificandi domum et ecclesiam in civitate nostra Sancti Germani, conventui fratrum Predicatorum convenientem, in loco quem ibidem habere poterunt, salvo monasterio nostro censu annuo in quo esset onerata possessio quam dante Domino acquirent ibidem, liberam concedimus facultatem et ad concessionis huiusmodi perpetuam firmitatem presens lictera sigillorum nostrorum munimine roboratur.

Datum in monasterio nostro Casinensi., anno [1] Domini M°. CC°. LXX°, XXVII die decembris, XIII indictione, apostolica sede vacante [2].

XXIII — *Ordination du chapitre général des frères Prêcheurs tenu à Milan rappelant le rôle joué par fr. Thomas d'Aquin dans l'affaire de Barthélemy de Tours* [3]. *(Juin 1270).*

Fratri Bartholomeo Turonensi [4] quia ordinationi magistri de consensu suo facte et litteris suis preceptoriis non obedivit et quia in facto cuiusdam testamenti quedam fecit, unde est grave scandalum ordini subsecutum, et quia in facto illius testamenti in excusationem sue culpe magistrum ordinis inculpavit, sicut patuit nobis de predictis per litteras dilectorum fratrum fr.

1) Etant donné l'usage, fait au Mont-Cassin, de l'an de la Nativité, notre document doit être reporté, en style moderne, à 1269.

2) Le Saint-Siège demeura vacant du 29 novembre 1268 (date de la mort de Clément IV) au 1 septembre 1271 (date de l'élection de Grégoire X).

3) Edition : M. D. CHAPOTIN, *Histoire des Dominicains de la province de France*, Rouen, 1898, p. 597-598 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. I, p. 155 ; *Analecta s. ord. Praedicatorum*, t. XVI, 1923, p. 168-169.

4) Sur les ennuis suscités par Barthélemy de Tours (GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 105-106) à maître Jean de Verceil, cf. A. MORTIER, *Histoire des Maîtres généraux de l'ordre des fr. Prêcheurs*, t. II, Paris, 1908, p. 73-74.

Thome, et fr. Roberti [1] et fr. Latini [2], et iterum per litteras fr. Michaelis [3] prioris Insulensis, et fr. Lamberti [4] Leodiensis, inquisitorum super hiis deputatorum, iniungimus ei XII dies in pane et aqua, et VI psalteria, et privamus eum sigillo predicatoris generalis, et quod voce in omnibus tractatibus ordinis sit privatus, et quod in ordine non possit esse prelatus, nisi in omnibus hiis cum eo, per generale capitulum fuerit dispensatum, absolvimus etiam eum a vicaria [5], quam ei commiserat magister super fratres, qui vadunt cum cruce signatis ultra mare.

XXIV — *En considération de l'amitié qui le lie à fr. Thomas d'Aquin, Matthieu della Porta, archevêque de Salerne, donne aux frères Prêcheurs, en vue d'y établir un couvent l'abbaye de Saint Paul de Palearia* [6] (Fragment) *(Mars 1272).*

Matthaeus [7], Dei gratia Salernitanus archiepiscopus, considerantes quod officii nostri debitum nunquam melius implere

---

1) Peut-être fr. Robert Kilwardby.

2) Fr. Latin de Malabranca, cfr. GUMBLEY et WALZ, *Cardinales ex ord. Praed.*, p. 334.

3) Fr. Michel de Neuvirelle, cfr. CHAPOTIN, *Histoire des Dominicains*, p. 636-637.

4) Peut-être fr. Lambert Faré, qui comparait, à la même époque, dans une suite d'actes concernant le couvent de Liége cfr. CHAPOTIN, *Histoire des Dominicains*, p. 131-139.

5) Allusion à la deuxième croisade de Louis IX (1270). Pour la participation des dominicains à la croisade, cfr. MORTIER, *Histoire des Maîtres généraux*, t. II, p. 72-75.

6) Edition : F. UGHELLI et N. COLETI, *Italia Sacra*, t. VII, Venise, 1721, p. 420-421 ; G. PAESANO, *Memorie per servire alla storia della chiesa salernitana*, t. II, Salerne, 1855, p. 17-19; A. CAPONE, *S. Tommaso d'Aquino e la città di Salerno*, Salerno, 1908, p. 59-60; A. CAPONE, *Relazioni tra la città di Salerno e S. Tommaso d'Aquino*, Salerno, 1924, 85-87.

7) Matthieu della Porta, archevêque de Salerne du 17 novembre 1263 au 25 décembre 1272, cfr. EUBEL, *Hierarchia* t. I, p. 426.

possumus, quam, si nobis in executione ipsius officii adiiciamus providos et utiles adiutores, etc. Volentes hanc nostram deliberationem pio affectu complere ob reverentiam omnipotentis Dei et beati Dominici confessoris, institutoris ordinis Praedicatorum, ob devotionem et praecipuum amorem, quem ad predictum sacrum ordinem fratrum Praedicatorum, nec non et amorem praecipuum, quem habemus ad venerabilem virum fratrem Thomam de Aquino patrem et magistrum nostrum praedicti ordinis Praedicatorum et ad providum et religiosum virum fratrem Euphranonem [1] eiusdem ordinis, dilectum nobis in Christo et carissimum consobrinum nostrum, ecclesiam sancti Pauli sitam in septentrionali suburbio istius civitatis, [quae] et de Palearia dicitur, cum domibus, hortis et casalenis et adiacentiis suis, quam abbas Marius Sunaca, clericus praedictae nostrae ecclesiae, in beneficio ab eadem nostra ecclesia tenebat, et ortum in adiacentiis ipsius ecclesiae, [qui] in parte septentrionali continetur, quem magister Stephanus de Aia clericus et subdiaconus eiusdem ecclesiae nostrae similiter in beneficio tenebat, vacantes ex resignatione praedicti abbatis Marii, rectoris eiusdem ecclesiae, ac praedicti magistri Stephani, qui praedictam ecclesiam et praedictum hortum in manibus nostris sponte et libere resignaverunt, praedicto fratri Euphranoni pro parte praedicti ordinis Praedicatorum cum subscribenda conditione, de consilio et consensu capituli nostri, duximus de speciali gratia perpetuo canonice conferendum ad construendum ibidem omnia aedificia iuxta ipsorum fratrum beneplacita voluntatis...

Acta in episcopali palatio ipsius civitatis Salerni, anno Dominice Incarnationis M°. CC°. LXXII°, mense martio, XV indictione...

---

1) Sur fr. Eufranon della Porta, cfr. TAURISANO, *Discepoli e biografi*, p. 123-124.

XXV — *Charles I, roi de Sicile, fait savoir à l'Administrateur des biens de la Couronne* (Secretus) *que Roger d'Aquila, comte de Traetto, a désigné son beau frère, fr. Thomas d'Aquin, comme exécuteur testamentaire* [1]. *(10 septembre 1272).*

Pro fratre Thomasio de Aquino.

Scriptum est secreto Terre Laboris.... Cum venerabilis et religiosus vir frater Thomas de Aquino ordinis Predicatorum, testamenti quondam Rogerii de Aquila [2] executor existat, volumus et tue fidelitati precipiendo mandamus quatenus, viso testamento dicti Rogerii, de mobilibus ipsius Rogerii presentibus et futuris, predicto fratri Thomasio tanquam executori testamenti supradicti, iuxta formam testamenti ipsius ut eius voluntas et dispositio celeriter valeatur adimpleri, sine alicuius difficultatis obstaculo respondere procures, recepturus de eo, quod sibi dederis, ydoneam apodixam, iure nostro in omnibus semper salvo.

Datum apud Montem fortem, x septembris, prime indictionis.

---

1) Edition : C. MINIERI RICCIO, *Saggio di codice diplomatico formato sulle antiche scritture dell'archivio di stato di Napoli*, t. I, Naples, 1878, p. 96 ; F. SCANDONE, *Documenti e congetture sulla famiglia e sulla patria di san Tommaso d'Aquino*, Naples, 1901, p. 3 ; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 22.

2) Roger d'Aquila mourut le 26 août 1272, ainsi qu'il appert d'un ordre que reçut Roger de Sanseverino de prendre les enfants du comte en tutelle, cfr. SCANDONE, *Documenti e congetture*, p. 17.

XXVI — *Fr. Thomas d'Aquin est chargé de la distribution d'une certaine partie des biens de Roger d'Aquila* [1] *(Fragments). (20 septembre 1272).*

Exitus predictarum rerum mobilium inventarum in castro Traiecti que in introytu continentur.

Assignate sunt vicesimo mensis septembris prime indictionis apud Traiectum fratri Thomasio de Aquino ordinis Predicatorum, exequtori testamentario quondam domini Rogerii de Aquila comitis Traiecti, distribuende per eum iuxta dispositionem predicti quondam comitis auctoritate mandati regii eidem Sergio [Pinto de Neapoli, secreto, portulano et procuratori curie in Terra Laboris] directi. Que invente fuerunt in castro Traiecti res mobiles infrascripte videlicet: Equus unus pili bagi, mercatus merco [2]. Item alius equus eiusdem pili bagi mercatus merco [3]. Item palafredus unus pili sauri liardi balsanus omnibus pedibus cum balzanatura una in fronte.

[In margine] Provideatur (vigore) testamenti pervendendos militibus per manus fratris Thomasii de Aquino.

Item palafredus unus pili sauri liardi balsanus omnibus pedibus cum balzanatura una in fronte. Item mula una pili bay focata omnibus pedibus. Item mulus unus eiusdem pili focatus similiter omnibus pedibus. Item barde due, que sunt eiusdem mule et muli. Item frena quattuor cum retinis et capiczallis suis que sunt equorum ipsorum. Item sella una magna de zamito rubeo cum barris, laboratis ad setam, et coperta sua de corio. Item sella una magna de zamitto nigro cum

---

1) Edition : F. SCANDONE, *Ancora nuovi documenti per S. Tommaso d'Aquino*, Naples, 1901, p. 3-5 ; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 23-24.

2) La marque est formée par un X, coupé par une ligne verticale.

3) La marque représente un coeur surmonté d'une croix dont la haste verticale est coupée par le signe de l'infini.

barris similiter laboratis ad setam et cum coperta sua. Item sella una ad palafredum cum barris similiter laboratis ad setam. Item iumentum unum pili liardi ferrantis, mercatum a dextro latere merco [1]. Item aliud iumentum morellum balsanum omnibus pedibus posterioribus a sinistro merco [X] et a dextro merco [X] mercato. Item iumenta duo pili sauri quorum unum mercatum est in dextro latere merco [X] et aliud in sinistro latere eodem merco mercatum est. Item iumentum unum pili morelli cum balsanatura una in fronte et balsanatura in pede posteriore et anteriore sinistro mercato et dextro latere merco [2]. Item iumenta duo morella mercata in sinistro latere posteriore merco, unum ipsorum in destro latere posteriore merco [A].

[In margine] Asserit apodixa eiusdem fratris Thomasii.

Item aliud iumentum morellum mercatum in sinistro latere posteriore merco [3]. Item iumenta morella duo mercata in sinistro latere posteriore merco [X], quorum unum est cum stella in fronte. Item pulla una unius anni cum balzanatura una in pede posteriore sinistro et pulla una morella presenti anno nata cum balzanatura una in fronte et alia in pede posteriore sinistro. Item tunica una et tabarrum unum de bleveto claro de Sayno cum pomettis de eodem panno. Item tunica una de bruno de Cambrasa, et guarnacia eiusdem panni infoderata pellibus variis. Item tunica una partuta de viridi et scarlato et guarnacia eiusdem maneriei, infoderata pellibus variis. Item tunica una de virgata de Provinza cum campo de bleveto, virga una rubea, et duabus nigris. Item guarnacia una eiusdem panni virgati, infoderata zendato celesti. Tunica una de Tarentana viridi. Guarnacia una de eodem panno infoderata zendato rubeo. Item corrigia una de argento ponderis unciarum

1) La marque représente un X, entrelacé d'un T et portant au centre un I. A droite et à gauche de l' X on aperçoit deux O.

2) Le dessin n'est pas visible.

3) La marque comprend un X, surmonté d'un I et terminé par un O.

tredecim, cum cincto de seta nigra. Item nappi de argento octo ponderis librarum quattuor. Item de frumento solcare viginti septem, que sunt ad tumulum generalem tumuli CVIII.

[In margine] Continetur in eadem apodixa.

XXVII — *Fr. Thomas d'Aquin est, moyennant les produits des moulins de Scauri, chargé de restituer ce que Roger d'Aquila avait pris injustement ainsi que différentes pièces de terre qui ne faisaient pas partie du domaine du comte*[1]. *(2 octobre 1272).*

Pro frate Thomasio de Aquino.

Scriptum est eidem [secreto]. Exposuit coram nobis venerabilis et religiosus vir frater Thomasius de Aquino, ordinis Predicatorum, dilectus amicus noster, quod quondam Rogerius de Aquila eundem fratrem executorem sui testamenti relinquens inter alia est testatus, quod idem frater omnino male ablata per ipsum Rogerium restituere debeat, et pro restituendis eisdem teneat in manibus atque percipiat fructus molendinorum de Scaulis [2] donec de ipsis male ablatis fuerit per ipsum fratrem Thomam integre satisfactum. Testatus est etiam ut quampluribus personis, quas predictus Rogerius confessus est quibusdam peciis terrarum, que non sunt de comitatus demanio, spoliasse, restituantur sine qualibet tarditate, relictis quibusdam aliis personis, pro servitiis fidelitatis impensis ipso Rogerio per easdem, aliquibus bonis immobilibus, que similiter de dicto comitatus demanio non existunt. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus vos, qui bona dicti Rogerii de nostro procu-

---

1) Edition: G. DEL GIUDICE, *Codice diplomatico del regno di Carlo I e II d'Angiò*, t. I, Naples, 1863, p. 257-258; SCANDONE, *Documenti e congetture*, p. 4 (fragments); SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 24-25.

2) Sur les moulins de Scauri (commune de Minturno, province de Rome), cfr. E. MARTINORI, *Lazio Turrito*, Roma, 1934, p. 272-274.

ratis mandato, inspecto tenore testamenti predicti, fructus predictorum molendinorum in manibus dicti fratris iuxta tenorem ipsius testamenti sine difficultate qualibet assignetis, et predictum testamentum in omnibus aliis tam in immobilibus videlicet que non sint de demanio comitatus, quam in mobilibus exequi per predictum fratrem Thomam, prout idem Rogerius testatus est, libere permittatis, nullum eidem impedimentum vel obstaculum opponentes ita ut dictum testamentum exequi valeat in premissis. Provisuri de mandatis expensis illis quibus commiseritis procurationem bonorum ipsorum de fructibus eorundem quamdiu ex commissione vestra bona eadem procurabunt.

Datum Averse per eundem [pronotarium] II octobris prime indictionis.

XXVIII — *Charles I d'Anjou assigne une once d'or comme traitement mensuel à fr. Thomas d'Aquin* [1]. *(15 octobre 1272).*

Pro fratre Thomasio de Aquino.

Item scriptum est eisdem [secretis Principatus Terre Laboris et Aprucii]. Cum religiosus vir frater Thomas de Aquino dilectus noster aput Neapolim in theologia legere debeat, nos volentes sibi exhibere subsidium in expensis et propter hoc de una uncia auri ponderis generalis pro quolibet mense quamdiu ibidem legerit sibi provideri velimus, fidelitati vestre

1) Edition: G. G. ORIGLIA, *Istoria dello studio di Napoli*, t. I, Naples, 1753, p. 142-143; DEL GIUDICE, *Codice Diplomatico*, t. I, p. 257; LORENZO, *Memorie intorno agli ultimi anni della vita di S. Tommaso d'Aquino*, Rome, 1880, p. 5; CANTERA, *Cinque documenti risguardanti S. Tommaso d'Aquino*, Naples, 1893, p. 12-13; SCANDONE, *Documenti e congetture*, p. 5-6; P. MANDONNET, *Siger de Brabant*, t. I, Louvain, 1911, p. 206, n. 1; M. L. RICCIO, *S. Tommaso d'Aquino e l'università di Napoli*, dans *Studium*, 1924, p. 242; A. BELLUCCI, *L'Università di Napoli e S. Tommaso d'A-*

sub pena dupli quantitatis ipsius precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem prioris fratrum eiusdem ordinis in Neapoli, vel certi nuncii eius, de predicta uncia auri ad generale pondus singulis mensibus donec idem frater Thomas ibidem legerit predicto priori vel eius certo nuncio pro eodem per dohanerios Neapolis de proventibus dohane, quam anno presentis prime indictionis exercent qui sunt et erunt per manus eorum sine difficultate qualibet satisfieri faciatis. Recepturi presentes litteras et de hiis, que dederitis, ydoneam apodixam, non obstante mandato aliquo vobis facto per quod effectus presentium impediri valeat vel differri. Sciturі quod si dilationem vel defectum ultra debitum commiseritis in executione presentium preter dictam penam dupli quam a vobis extorqueri infallibiliter faciemus indignationem nostram exinde incurretis.

Datum Neapoli, per eundem [Simonem de Parisio [1], regni Sicilie cancellarium], mense octobris XV, eiusdem dicte indictionis [prime].

---

quino, dans *Studium*, 1924, p. 257; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 26; G. M. MONTI, *Per la storia dell'università di Napoli, ricerche e documenti*, Naples, s. d., p. 84-85; A. BELLUCCI, *Il Codice oratoriano « De differentiis inter jus Longobardorum et jus Romanorum » di Biagio Paccone da Morcone*, Naples, 1925, p. 28; A. BELLUCCI, *Nuove osservazioni sull'insegnamento teologico di Erasmo Cassinese e di S. Tommaso d'Aquino nello studio generale regio di Napoli* (ext. de l'*Archivio per gli studi storici della medicina e delle scienze naturali*), Foligno, 1929, p. 19-20, etc.

1) Simon de Paris, chancelier du royaume de Sicile depuis 1272, cfr. DURRIEU, *Les Archives angevines*, t. I, p. 234; t. II, p. 361.

XXIX — *Passeport accordé à Françoise de Ceccano, nièce de fr. Thomas d'Aquin, afinque celle-ci puisse se rendre aux bains de Pouzzoles*[1]. *(3 avril 1273).*

Pro Francisca, nepte fratris Thomasii de Aquino.

Scriptum est custodibus passuum Terre laboris. Cum nobilis mulier Francisca, uxor nobilis viri Anibaldi de Ceccano, neptis venerabilis viri fratris Thomasii de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, velit in regnum nostrum ad balnea Puteolana[2] causa cuiusdam egritudinis sue curande personaliter se conferre, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus eandem nobilem cum familia et equitaturis, quas secum ducet, regnum nostrum ingredi ; et cum ad propria redire voluerit, de regno ipso egredi libere permittatis, nullam inferendo ei in personis vel rebus molestiam vel gravamen, proviso quod in introitu ipsius in regnum per vos personarum et equorum, quos secum ducet, numerus censeatur, ut cum aliis exire nequeat regnum ipsum ; presentibus post duos menses minime valituris.

Datum Fogie ut supra [die III aprilis prime indictionis].

---

1) Edition : DEL GIUDICE, *Codice diplomatico*, t. I, p. 258 ; SCANDONE, *Documenti e congetture*, p. 7 ; *La Vita... di S. Tommaso*, p. 28.

2) Sur les bains de Pouzzoles et les vertus thérapeutiques qui leur étaient attribuées au moyen âge, on consultera le poëme napolitain du XIVe siècle édité par E. PERCOPO (*I Bagni di Pozzuoli*, dans *Archivio storico per le provincie napoletane*, t. XI, 1886, p. 597-705) et le récent article de Ludwig Joseph (*I Bagni di Pozzuoli descritti in due codici trecenteschi*, dans *La Bibliofilia*, t. XXXVIII, 1936, p. 409-418).

XXX — *Actes des chapitres de la Province Romaine concernant fr. Thomas d'Aquin. (1260-1273).*

Chapitre de Naples (1260)

Anno 1260 fuit celebratum capitulum provinciale Neapoli.... In hoc etiam capitulo fuerunt facti plures praedicatores generales inter quos fuit fr. Thomas de Aquino, qui ex Parisio redierat magister in theologia [1].

Frater Proynus... fuit diffinitor capituli provincialis et cum S. Thoma factus predicator generalis Neapoli in capitulo M. CC. LX; et solum quatuor facti fuerunt [2].

Chapitre d'Orvieto [3] *(14 septembre 1261)*

Assignamus fr. Thomam de Aquino pro lectore in conventu Urbevetano in remissionem suorum peccatorum [4].

---

1) Edition : P. TH. MASETTI, *Monumenta et Antiquitates veteris disciplinae... in Provincia Romana*, t. II, Rome, 1864, p. 268; TAURISANO, *Discepoli e biografi*, p. 112, nota 4.

2) Edition : *Cronaca del convento di Santa Caterina... in Pisa*, dans *Archivio storico Italiano*, t. VI, par. II, sez. 3, Florence [1850], p. 412. - Ces deux fragments ont aussi été édités par P. MANDONNET, *Thomas d'Aquin lecteur à la curie romaine*, dans *Xenia thomistica*, t. III, Rome, 1925, p. 24, nota 1.

3) Edition : V. FONTANA, *De Romana provincia*, Rome, 1670, p. 100; PENNAZZI, *Istoria dell'ostia... di Orvieto*, Montefiascone, 1731, p. 418; A. CALLEBAUT, *Jean Pecham O. F. M. et l'Augustinisme. Aperçus historiques (1263-1285)*, dans *Archivum Franciscanum historicum*, t. XVIII, 1925, p. 452, note.

4) Selon Sébastien d'Olmeda, Thomas d'Aquin aurait été présent au chapitre général des frères Prêcheurs, tenu à Londres en 1263, durant lequel Humbert de Romans se démit de sa charge de maître général : « Institit [Humbertus de Romanis] itaque instantia magna, et in capitulo apud Londinium in Anglia a cura magisterii absolvitur ultima die capituli, diffiniente fratre Thoma illo de Aquino pro Italia, necnon Bartholomaeo Turonense pro Gallia » (*Chronica ord. Praedicatorum*, edit. M. CANAL GOMEZ, Rome, 1936, p. 46).

Chapitre d'Anagni [1] *(1265)*

Fr. Thome de Aquino iniungimus in remissionem peccatorum quod teneat studium Rome ; et volumus quod fratribus qui stant secum ad studendum provideatur in necessariis vestimentis a conventibus a quorum predicatione traxerunt originem. Si autem illi studentes inventi fuerunt negligentes in studio, damus potestatem fr. Thome quod ad conventus suos possit eos remittere.

Chapitre de Florence [2] *(1272)*

Studium generale theologie quantum ad locum et personas et numerum studentium committimus plenarie fr. Thome de Aquino.

Chapitre de Rome [3] *(29 septembre 1273)*

Anno 1273 celebratum est capitulum provinciale Romae in festo S. Michaelis, et unus ex deffinitoribus fuit fr. Thomas de Aquino.

XXXI — *Lettre adressée par l'université de Paris au chapitre général des frères Prêcheurs, tenu à Lyon, à l'occasion de la mort de fr. Thomas d'Aquin* [4]. *(2 mai 1274).*

Venerabilibus in Christo patribus, magistro et provincialibus ordinis fratrum Predicatorum ac universis fratribus congregatis in capitulo generali Lugduni rector universitatis Pari-

---

1) Edition : DOUAIS, *Acta capitulorum*, p. 522 ; CALLEBAUT, *Jean Pecham*, p. 452, note 6.

2) Edition : MASETTI, *Monumenta*, t. I, p. 122 ; DOUAIS, *Acta capitulorum*, p. 531 ; BELLUCCI, *Nuove osservazioni*, p. 18.

3) Edition : MASETTI, *Monumenta*, t. II, p. 268.

4) Edition : A, BIRKENMAJER, *Vermischte Untersuchungen zur Geschichte der Mittelalterlichen Philosophie (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, t. XX, fasc. 5), Münster i. W., 1922, p. 2 - 5. - Aux éditions antérieures à la sienne citées par Birkenmajer il faut ajouter celle qu'a donnée de ce document CHAPOTIN, *Histoire des Dominicains*, p. 627-628, en note.

siensis et procuratores ceterique magistri Parisius actu regentes in artibus salutem in eo qui salubriter universa disponit et sapienter toti providet universo [1].

Singultuoso clamore totius ecclesie universale dispendium necnon et Parisiensis studii manifestam desolationem lacrimabiliter deplangimus, et his diebus preelegimus in communi non immerito deplorare. Heu, quis det nobis, ut representare possimus Ieremie lamentum ? Qui si destructionem et ruinam materialis Ierusalem tam inconsolabiliter deplorabat, nos maiore zelo accensi tenemur ad plangendum nostre nove Ierusalem tam dampnosum universalis ecclesie detrimentum. Auditus est rumor afferens dolorosum et lamentabilem planctum, qui supra solitum modum in mentes deinceps singulorum inauditam extasim causans et inestimabilem stuporem adducens, demum viscerum nostrorum interiora transfodit, et quasi letaliter cordium intima penetravit. Fatemur, quod vix valemus exprimere ; amor enim retrahit, sed dolor et vehemens angustia dicere nos compellit, ex communi relatu et certo rumore multorum nos scire doctorem venerabilem fratrem Thomam de Aquino ab hoc seculo fuisse vocatum. Quis posset estimare divinam providentiam permisisse, stellam matutinam preeminentem in mundo, iubar et lucem seculi, immo, ut verius dicamus, luminare maius, quod preerat diei, suos radios retraxisse ? Plane non irrationabiliter iudicamus solem suum revocasse fulgorem et passum fuisse umbrosam ac inopinatam eclipsim, dum toti ecclesie tanti splendoris radius est subtractus. Et licet non ignoremus conditorem nature ipsum toti mundo ad tempus speciali privilegio concessisse, nichilominus si antiquorum philosophorum auctoritatibus vellemus inniti eum videbatur specialiter posuisse natura ad elucidanda ipsius occulta.

---

1) Pour les différents problèmes que peut susciter le présent document, on consultera, avec le travail de Birkenmajer cité à la note précédente, un article du même auteur *(Neues zu dem Briefe der Pariser Artistenfakultät über den Tod des hl. Thomas von Aquin)* publié dans les Xenia Thomistica (t. III, p. 53-72).

Et cur frustra nunc verbis talibus immoramur? Eum, quem a vestro collegio in generali capitulo vestro Florentie [1] celebrato, licet requisissemus instanter, proh dolor, non potuimus obtinere, tamen ad tanti clerici, tanti patris, tanti doctoris memoriam non existentes ingrati, sed devotum habentes affectum, quem vivum non potuimus rehabere, ipsius iam defuncti a vobis ossa humiliter pro maximo munere postulamus, quoniam omnino est indecens et indignum, ut altera terra aut alius locus quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, que ipsum prius educavit, nutrivit et fovit, et postmodum ab eodem nutrimenta et ineffabilia fomenta suscepit, ossa eius humata teneat et sepulta. Si enim merito ecclesia ossa et reliquias sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur honestum et sanctum tanti doctoris corpus in perpetuum honorem habere, ut cuius famam apud nos scripta perpetuant, eiusdem perseverans memoria sepulture ipsum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine.

Ceterum sperantes quod obtemperetis nobis cum effectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus, ut cum quedam scripta ad philosophiam spectantia, Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta, et ipsum credamus ea, ubi translatus fuerat, complevisse, nobis benivolentia vestra cito communicari procuret, et specialiter « Commentum Simplicii super librum De celo et mundo » et « Expositionem Tymei Platonis », ac librum « De aquarum conductibus et ingeniis erigendis », de quibus nobis mittendis speciali promissione fecerat mentionem. Si qua similiter ad logicam pertinentia composuit — sicut quando recessit a nobis humiliter petivimus ab eodem — ea vestra benignitas nostro communicare collegio dignetur.

Et sicut melius vestra discretio novit, in hoc nequam seculo periculis multis sumus expositi, fraternaliter precibus devotis exposcimus, ut in hoc vestro capitulo speciali affectu

1) Chapitre général des frères Prêcheurs célébré à Florence en 1272.

nos orationum vestrarum suffragio supportetis. Hanc autem litteram sigillis nostris rectoris et procuratorum volumus sigillari.

Datum Parisius anno Domini M° CC° LXXIV° die mercurii ante Inventionem sancte Crucis.

XXXII — *Ruthmes et Epitaphe*[1]. *(vers 1274).*

Vox Rachelis planctum pangit, tristatur ecclesia,
Plebs fidelis tota plangit, gemit Rome curia,
Mors crudelis Thomam frangit, mundo dat suspiria
Fit eclipsis nimia:
Luminare maius tangit umbrosa molestia,
Thomas clare iam non clangit, Predicantum gloria.

Ierusalem deploratur Ieremie carmine,
Nostra Syon obfuscatur suo carens lumine,
Nostra Rachel nunc orbatur filiali germine,
Pressa mortis turbine.
Magnus dolor cumulatur Predicantum ordine,
Frater Thomas dum privatur clericali lumine.

Hic ut stella matutina, ut solaris radius,
Verbo, vita et doctrina prefulsit Parisius;
Cura dedit hunc divina, velut iubar clarius
In multis utilius.
Hic fit mundi medicina, salutaris nuncius,
Servat fratres a ruina magister egregius.

---

1) Edition : BIRKENMAJER, *Vermischte Untersuchungen*, p. 34-35. - Je signalerai ici à titre de curiosité une composition dramatique en dialecte des Abruzzes écrite vers la fin du XIV[e] siècle et dont le thème n'est autre que la vie de S. Thomas d'Aquin. Ce drame a été édité par E. MONACI, *Per la storia del dramma in Italia*, dans *Atti della R. Accademia dei Lincei* (*Classe di scienze morali, storiche e filologiche*), t. II, 1893, p. 944-994. On en trouvera une édition récente dans V. DE BARTHOLOMEIS, *Il Teatro Abruzzese del medio Evo*, Bologna, s. d. [1924], p. 77-113.

Hic fuit hereticorum singularis malleus,
Promotor Predicatorum, ecclesie clipeus,
Gemma morum, flos doctorum, mente vir ethereus,
Fulgens orbis cereus.
Hic pudoris vas decorum, scripturarum puteus,
Exemplar philosophorum, thronus regis aureus.

Alumpnus philosophie, ex Aquino nobilis,
Lucerna theologie, scriptis admirabilis,
Explanavit nocte die libros Aristotilis,
Vir cunctis amabilis,
Bonis fuit mentis pie malisque terribilis,
Servus virginis Marie, quem mors rapit flebilis.

Hic quaterna vi superna monstrat animalia,
Huic pennata sunt monstrata quatuor celestia.
Explanavit, lucidavit sancta evangelia
Fultus Dei gratia.
Nam sanctorum dictis horum posuit insignia
Plurimorum aliorum docens mirabilia.

Ars hunc luget trivialis arsque mathematica,
Ars hunc deflet naturalis atque metaphisica,
Doctrina spiritualis meret, theologica
Dat doloris cantica.
Mesta sedet ars moralis monstrans mores ethica,
Sic machine mundialis lesa dolet fabrica.

Fundamentum, documentum tocius ecclesie,
Fulcimentum, ornamentum doctorum militie,
Dat talentum, dat augmentum fortis stans in acie,
Vas divine gracie.
Fit lamentum, detrimentum fractum mortis rabie
Ut argentum est inventum, datum celi curie.

Hic Platonis, Ciceronis libros verbis superat,
Gedeonis et Sampsonis virtutibus imperat,
Salomonis fulgens donis naturas considerat,
Res occultas reserat.

Babilonis, Pharaonis populos depauperat,
Multis bonis rationis luci cecos iterat.
Multis signis illustratur ipsius egressio
Stella cadens demonstratur de celi fastigio
Que per duas elevatur stellas de discidio.
Ceco datur visio,
Surdus, claudus reparatur, per quod fit ostensio,
Quod Thomas glorificatur in regni palatio.

In luctum cithare
Vertuntur, flent et amare
Extincto iubare
Sidera, terra, mare.
Rerum natura
Stupet hinc, quod mors sua iura
Fregit, mors dura,
Mors impia, mors peritura.
O frater Thoma,
Te plangunt Francia, Roma.
Aurea dans poma
Fragrasti sicut aroma.
Parisiusque ferens
Eclipsim, stat modo merens.
Mors fera dampna gerens
Est bona nostra terens.
Aquini natus
Generosus, honestus, amatus,
Castus, honoratus,
Transit ad astra datus.
Hic iubar ethereum
Retinens ex carne tropheum
Mente ferens oleum
Predicat ore Deum.

Dux patrie, dux ecclesie,
Fit doctor honoris,
Milicie constans acie
Fit gemma pudoris.
Doctor amabilis et venerabilis
Invia pandit,
Germine nobilis, omnibus utilis
Ardua scandit.
Aula sophie, preco Marie
Morte gravatur,
Philosophie, theologie
Lux tumulatur.
Forma fit hic gemini
Iubaris, sed cellula vini
Manne divini
Debuit ergo sini.
Stella fuit morum
Sol mundi, lux populorum
Ergo supernorum
Debet habere chorum.
Stat lacrimosa scola
Sapiens stat concio sola,
Dupla cristicola
Fulget hic aureola.

XXXIII — *Rythmes*[1] *de fr. Remigio Girolami*[2]. *(vers 1274).*

Per contra dictus
Thomas, bisso sine fictus,
virgineo flore
candens fideique nitore.
Sed fundo vere
quas novit aque caruere,
doctor doctorum,
sanctusque cacumine morum.
Quam verus frater
per amorem, viscere mater.
Sincerus fator
que predicat est operator,
preque dicatorum
que coronaque culmen honorum.
Spiritus et vino
Gaudens est ortus Aquino,

Utque carens quino
Sensu speculans aquilino.
Uno quinum
morteque denum prevenit annum
Maximus ex gente
minimus reputans sine dente
hic moritur, Christe, [iste?
neve, Deus, heu veniet, quis ut
Heu Nova cur Fossa
tenet hec venerabilis ossa ?
Obscero tollantur,
a fratribus hec teneantur.
Eius fit velle
mestis revelatio melle
Semper letetur
Te pro nobis que precetur [3].

1) Edition : G. SALVADORI, *I Sermoni d'occasione, le sequenze e ritmi di Remigio Girolami Fiorentino,* dans *Scritti vari di filologia a Ernesto Monaci,* Roma, 1901, p. 505 ; F. SALVATORE, *Due sermoni inediti di S. Tommaso d'Aquino,* Roma, 1912 ; MANDONNET, *Date de naissance,* p. 664 ; TAURISANO, *Discepoli e biografi,* p. 177.

2) En plus des travaux cités à la note précedente, on consultera sur fr. Remigio Girolami les articles signalés par UEBERWEG-GEYER, *Grundriss der Geschichte der Philosophie,* t. II, Berlin, 1928, p. 772.

3) Dans un discours prononcé à Florence lors de la venue du comte de San-Severino, on peut relever l'éloge, fait par le même dominicain, de fr. Thomas d'Aquin : « Carissimi fratres, quantum dominus Thomas, comes Marsici, dilexerit et diligat nos non possem vobis ad plenum exprimere : bursa sua est bursa fratrum, cor suum est cor fratrum, immo omnia sua nostra sunt ; preter id quod nepos carnalis fuit luminis oculorum nostrorum corone capitis nostri fratris Thome de Aquino... » (SALVADORI, *I Sermoni,* p. 480).

XXXIV — *Marie d'Aquin demande que l'on corrige l'erreur qui s'est glissée dans l'établissement des taxes de son château de Marano dans les Abruzzes*[1]. *(18 août 1275).*

Pro Maria de Aquino.

Scriptum est eidem iustitiario[2] [Aprutii]. Ex parte Marie de Aquino, sororis quondam fratris Thomasii de Aquino, fidelis nostre, tenentis in iurisdictione tua castrum Marani[3] ut dicit, fuit expositum coram nobis quod prope ipsum castrum est quoddam aliud castrum dictum Morinum, quod quia maius et melius esse dicitur, tam ratione maioris numeri focularium quam etiam facultatum, taxari consuevit hactenus in maiore quantitate pecunie, quam taxaretur dictum castrum Marani in generalibus subventionibus et collectis, que in partibus ipsis consueverunt imponi pro tempore sicut dicitur ; nunc vero errores scriptoris qui evenisse asseritur, ex eo videlicet quod loca ipsa, quia uno eodem vocabulo scripta inveniri dicuntur, Maranum videlicet et Maranum, in cedula taxationis presentis generalis subventionis maritagii, tibi sub sigillo culminis nostri missa, seu errore alio, indebite exigis ab hominibus dicti castri Marani pro subventione ipsa uncias auri triginta quatuor, que predicto castro Morini et non Marani creduntur fore taxate, pro eo videlicet quod ipsa terra Morini maior est in focularibus et opulentis facultatibus sicut fertur, et ab hominibus ipsius castri Morini tantum uncias tredecim et tarenos decem et octo, que pro eadem subventione ipsi castro Marani et non Morini presumuntur fore imposite

1) Edition : SCANDONE, *Documenti e congetture*, p. 7-8 (fragments); SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 61-62.

2) Guillaume d'Aubervilliers, justicier des Abruzzes de février 1275 au 21 janvier 1277, cfr. DURRIEU, *Les Archives angevines*, t. II, p. 202, 275-276.

3) Sur la possession du château de Marano par Marie d'Aquin, cfr. SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 63-64.

pro eo quod locus ipse minor est tam in focularibus quam facultatibus sicut dicit, in dicti castri Marani gravamen intollerabile et preiudicium manifestum. Super quo supplicavit de benignitate regia provideri. Cuius supplicationi inclinati mandamus in scriptis quatenus inquisitionis olim facte de mandato nostro per quondam Goffridum de Modellione [1] tunc iustitiarium Aprutii anno prime indictionis proximo preterite de terris tunc alleviatis et agravatis in subventionibus ipsius anni, et ad equam exactionem redactis, per quam invenerit quod castrum Morini [2], quod invenitur scriptum in inquisitione ipsa in cedula supradicta inter Taliacozum et Spedinum et taxatum fuerat in generali subventione ipsius anni prime indictionis in uncias auri triginta quinque, tarenos viginti uno et grana septem, pro eo quod videbatur alleviatum fuit augmentatum per eum in uncias quadraginta ; et Maranum quod invenitur scriptum iuxta Capistrellum, tunc taxatum in eadem subventione in uncias auri viginti septem, tarenos viginti quattuor et grana decem, quia gravatum erat, modificatum et redactum fuit per eum in uncias auri duodecim. Cuius provisionis forma servata, processum est postmodum secundum magis et minus pro rata quantitatis imposite in iustitiariatu ipso in taxationibus subventionum et collectarum euismodi temporis subsequentis, quesitis etiam quaternis collectarum ipsarum predicti temporis, invenitur per eos quod dictus locus qui est scriptus in eisdem quaternis iuxta predicta, terras Taliacozii et Spedini taxari consuevit in collectis ipsis in maiori quantitate quam locus ipse alius qui est iuxta Capistrellum ob causas superius denotatas.

1) Geoffroy de Malloz nommé justicier des Abruzzes le 14 mars 1272, mort durant le mois d'août 1273, cfr. DURRIEU, *Les Archives angevines*, t. II, p. 202, 349.

2) Les indications topographiques données par le document sont inexactes : alorsque Marano (castrum Marani) est situé entre Tagliacozzo et Spedino, Morino (castrum Morini) est à quelques kilomètres de Capistrello.

Quare fidelitati tue precipimus quatenus a predicta universitate castri Morini, si castrum ipsum maius et melius est supradicto castro Marani tam in numero focularium quam facultatibus opulentis, ut est dictum, quod invenitur scriptum inter predictas terras Taliacozi et Spedini exigas dictas uncias auri triginta quatuor pro subventione predicta, et ab hominibus dicti castri Marani, quod invenitur scriptum in predicta cedula iuxta Capistrellum exigas pro eadem subventione predictas tantum uncias tredecim et tarenos decem et octo, si minus est dicto castro Morani (*sic*) ut superius est expressum, predicta indentitate (*sic*) nominis, sub qua ambo ipsa castra scripta videntur aliquatenus non obstante, significantibus districte per litteras tuas magistris rationalibus etc... vera et recta vocabula dictorum locorum et iuxta quas terras quodlibet dictorum castrorum extiterit cum toto processu tuo, quem in premissis habueris, ut in quaternis nostre curie, si error affuerit corrigatur.

Datum apud Lacumpensilem, (XVIII) augusti III indictionis.

XXXV — *Documents concernant les enfants d'Aimon et Adénulfe, frères de Thomas d'Aquin*[1]. *(1271-1275).*

1271-1272. — Dominus Thomasius, filius domini Aymonis de Aquino et dominus Raynaldus de Aquino tenent a rege duas partes insule Pontis scelerati.

1271-1272. — Heredes comitis Acerrarum tenent medietatem Laposte cuius reliquas partes tenent dominus Raynaldus de Aquino, dominus Thomasius, filius domini Aymonis, et Thomasius, filius domini Adenulfi de Aquino, et deponunt testes.

1271-1272. — Dominus Raynaldus, dominus Thomasius de Aquino et heres domini Aymonis de Aquino tenent bona feudalia in Aquino.

1) Edition: SCANDONE, *Appunti biografici*, p. 19 et suivantes.

1271-1272. — Dominus Raynaldus de Aquino, dominus Thomasius, filius domini Aymonis et dominus Thomasius, filius domini Adenulfi de Aquino tenent terram Picinischi.

1273. — Similes [literae de matrimonio contrahendo] facte sunt pro Oddone de Braya milite et Oddolina, muliere de Pontecurvo, filia quondam Aymonis de Aquino cum rebus mobilibus ad valorem centum unciarum ad testimonium dicti comitis Rogerii [de Sancto Severino]. Datum ut supra [Fogie per Johannem de Mesneliis [1], etc... anno domini MCCLXXIII die XII madii I. indictionis].

1275. — *Les fils d'Aimon d'Aquin et d'Adenulphe pressurent les gens de Rocca Secca*: Scriptum est Egidio de Capot [2] militi et iudici Johanni de Amicis de Barrulo... Pro parte universorum hominum Rocce Sicce, nostrorum fidelium, maiestati nostre fuit expositum cum querela quod Raynaldus et Thomas Aymonis et Thomas Adenulphi de Aquino domini... gravant molestant et affligunt eos gravaminibus infrascriptis et super multis aliis...

---

1) Jean du Mesnil, cfr. MINIERI-RICCIO, *De' Grandi Uffiziali del regno di Sicilia dal 1265 al 1285*, Naples, 1872, p. 189-190; DURRIEU, *Les Archives angevines*, t. I, p. 233-235; t. II, p. 347-348.

2) Gilles de Capet ou Capu, cfr. DURRIEU, *Les Archives angevines*, t. II, p. 299.

XXXVI — *Liste des exemplaires des oeuvres de fr. Thomas d'Aquin déposés chez les libraires parisiens* [1]. *(Vers 1275* [2]*).*

Hec sunt scripta fratris Thome de Aquino.

Supra textum Sententiarum, super primum librum, xxxvij pecias [3]. . . , ...	ij	sol.
Super secundum, xlvij pecias	ij	sol.
Super tertium, l pecias.	ij	sol.
Super quartum, lxxxj pecias	iiij	sol.
Item, Matheus glosatus per fratrem Thomam de Aquino, lvij pecias	iij	sol.
Item, Marchus, xx pecias	xvj	den.
Item, Lucas, xl pecias.	ij	sol.
Summa fratris Thome de Aquino super theologiam continet in primo libro lvj pecias.	iij	sol.
Item, in prima parte secundi libri predicte Summe sunt lx pecie	iij	sol.
Item, in secunda parte secundi libri sunt lxxxij pecie	iiij	sol.
Item, Questiones fratris Thome de Veritate continent lxvj pecias . . . . , ...	iij	sol.
Item, Questiones de Potentia Dei, xxviij pecias. .	xiiij	den.
Item, de Spiritualibus creaturis, v pecias	iij	den.

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium,* t. I, p. 646 ; A. MICHELITSCH, *Thomasschriften, Untersuchungen über die Schriften Thomas von Aquino,* Graz, 1913, p. 96-97.

2) Pour la date ici indiquée, cfr. J.-A. DESTREZ, *La « Pecia » dans les manuscrits du Moyen Age,* dans *Revue des Sciences philosophiques et théologiques,* t. XIII, 1924, p. 189, note 2.

3) Sur la « pecia » et les questions connexes, cfr. avec l'article de DESTREZ cité à la note précédente, l'ouvrage du même auteur : *La pecia dans les manuscrits universitaires du* XIIIe *et du* XIVe *siècle,* Paris, 1935, et P. SELLA, *Pecia,* dans *Archivum romanicum,* t. XIX, 1935, p. 307-309.

Item, Questiones de Anima et de Virtutibus, xxiiij pec. xij den.
Item, Questiones de Malo, xxviij pecias . . . . . xiiij den.
Item, Questiones de Quolibet, xiiij pecias . . . . . vij den.
Summa fratris Thome contra Gentiles continet
lvij pecias . . . . iij sol.
Item, de Perfectione status, vij pecias . . . . iiij den.
Item, Postille eiusdem super Iohannem continet
pecias xlj . . . . xx den.

XXXVII — *Jean XXI ordonne à l'évêque de Paris de faire une enquète sur diverses erreurs repandues dans l'université de Paris* [1]. *(18 janvier 1277).*

.. Episcopo Parisiensi [2].

Relatio nimis implacida nostrum nuper turbavit auditum, amaricavit et animum, quod Parisius, ubi fons vivus sapientie salutaris habundanter huc usque scaturiit suos rivos limpidissimos fidem patefacientes catholicam usque ad terminos orbis terre diffundens, quidam errores in preiudicium eiusdem fidei de novo pullulasse dicuntur. Volumus itaque tibique auctoritate presentium districte precipiendo mandamus quatinus diligenter facias inspici vel inquiri, a quibus personis et in quibus locis errores huiusmodi dicti sunt sive scripti, et que didiceris sive inveneris, conscripta fideliter nobis per tuum nuntium transmittere quamcitius non omittas.

Dat. Viterbii, XV kal. februarii, anno primo.

---

1) Edition: DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 541. Pour les éditions antérieures, cfr. POTTHAST, *Regesta*, n. 21215.

2) Etienne Tempier.

XXXVIII — *Condamnation portée par Etienne Tempier contre 219 thèses enseignées à l'université de Paris*[1]. *(7 mars 1277).*

Universis presentes litteras inspecturis Stephanus [2], permissione divina Parisiensis ecclesie minister indignus, salutem in filio Virginis gloriose.

Magnarum et gravium personarum crebra zeloque fidei accensa insinuavit relatio, quod nonnulli Parisius studentes in artibus proprie facultatis limites excedentes quosdam manifestos et execrabiles errores, immo potius vanitates et insanias falsas, in rotulo seu cedulis presentibus hiis annexo seu annexis contentos quasi dubitabiles in scolis tractare et disputare presumunt, non attendentes illud Gregorii: Qui sapienter loqui nititur, magno opere metuat, ne eius eloquio audientium unitas confundantur, presertim, cum errores predictos gentilium scripturis muniant, quas, proh pudor! ad suam imperitiam asserunt sic cogentes, ut eis nesciant respondere. Ne autem, quod sic innuunt, asserere videantur, responsiones ita palliant, quod, dum cupiunt vitari Scillam, incidunt in Caripdim. Dicunt enim ea esse vera secundum philosophiam, sed non secundum fidem catholicam, quasi sint due contrarie veritates et quasi contra veritatem sacre scripture sit veritas in dictis gentilium dampnatorum, de quibus scriptum [3] est: « Perdam sapientia sapientium » quia vera sapientia perdit falsam sapientiam. Utinam tales attenderent consilium sapientis [4] dicentis: « Si tibi est intellectus, responde proximo tuo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato et confundaris. »

---

1) Edition: DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 543-555; MANDONNET, *Siger de Brabant*, t. II, p. 175-191 où les propositions condamnées sont groupées selon un ordre logique.

2) Etienne Tempier.

3) I Cor., I, 19.

4) Eccli., V, 14.

Ne igitur incauta locutio simplices pertrahat in errorem, nos tam doctorum sacre scripture, quam aliorum prudentium virorum communicato consilio districte talia et similia fieri prohibemus, et ea totaliter condempnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores vel aliquem ex illis dogmatizaverint, aut deffendere seu sustinere presumpserint quoquomodo, necnon et auditores, nisi infra VII dies vel cancellario [1] Parisiensi duxerint revelandum, nichilominus processuri contra eos pro qualitate culpe ad penas alias, prout ius dictaverit, infligendas. Librum [2] etiam « De amore » sive « De Deo amoris » qui sic incipit: « Cogit me multum » etc..., et sic terminatur: « Cave igitur, Galtere, amoris excedere mandata » etc...; item librum Geomantie, qui sic incipit: « Estimaverunt Indi » etc..., et sic terminatur: « Ratiocinare ergo super eum, et invenies » etc...; item libros, rotulos seu quaternos nigromanticos aut continentes experimenta sortilegiorum, invocationes demonum, sive coniurationes in periculum animarum, seu in quibus de talibus et similibus fidei orthodoxe et bonis moribus evidenter adversantibus tractatur, per eandem sententiam nostram condempnamus, in omnes, qui dictos rotulos, libros, quaternos dogmatizaverint, aut audierint nisi infra VII dies nobis vel cancellario Parisiensi predicto revelaverint eo modo, quo superius est expressum, in hiis scriptis excommunicationis sententiam proferentes, ad alias penas, prout gravitas culpe exegerit, nichilominus processuri.

Datum anno Domini millesimo CC° septuagesimo sexto, die dominica, qua cantatur « Letare Iherusalem », in curia Parisiensi.

1) Jean des Alleux, chancelier de l'Université de 1271 à 1280, cfr. GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 141-143.

2) Sur André Chapelain et son ouvrage « De Deo amoris », cfr. M. GRABMANN, *Das Werk De Amore des Andreas Capellanus und das Verurteilungsdekret des Bischofs Stephan Tempier von Paris vom 7. März 1277*, dans *Speculum*, t. VII, 1932, p. 75-79.

Explicit epistola. Sequuntur errores annotati in rotulo.

1) Quod Deus non est trinus et unus, quoniam trinitas non stat cum summa simplicitate. Ubi enim est pluralitas realis, ibi necessario est additio et compositio. Exemplum de acervo lapidum.

2) Quod Deus non potest generare sibi similem. Quod enim generatur ab aliquo habet principium a quo dependet. Et, quod in Deo generare non esset signum perfectionis.

3) Quod Deus non cognoscit alia a se.

4) Quod nichil est eternum a parte finis, quod non sit eternum a parte principii.

5) Quod omnia separata coeterna sunt primo principio.

6) Quod redeuntibus corporibus celestibus omnibus in idem punctum, quod fit XXX sex milibus annorum, redibunt idem effectus, qui sunt modo.

7) Quod intellectus non est forma corporis, nisi sicut nauta navis, nec est perfectio essentialis hominis.

8) Quod intellectus, quando vult, dimittit corpus, et quando vult, induit.

9) Quod non fuit primus homo, nec erit ultimus, immo semper fuit et semper erit generatio hominis ex homine.

10) Quod generatio hominis est circularis, eo quod forma hominis redit pluries super eandem partem materie.

11) Quod homo est homo preter animam rationalem.

12) Quod, quia Socrates factus est non receptibilis eternitatis, si debet esse eternus, necesse est ut transmutetur natura et specie.

13) Quod ex sensitivo et intellectivo in homine non fit unum per essentiam, nisi sicut ex intelligentia et orbe, hoc est, unum per operationem.

14) Quod homo pro tanto dicitur intelligere, pro quanto celum dicitur ex se intelligere, vel vivere, vel moveri, id est, quia agens istas actiones est ei unitum ut motor mobili, et non substantialiter.

15) Quod homo post mortem amittit omne bonum.

16) Quod de fide non est curandum, si dicatur aliquid esse hereticum, quia est contra fidem.

17) Quod non contingit corpus corruptum redire idem numero, nec idem numero resurget.

18) Quod resurrectio futura non debet concedi a philosopho, quia impossibile est eam investigari per rationem. — Error, quia etiam philosophus debet captivare intellectum in obsequium Christi.

19) Quod anima separata nullo modo patitur ab igne.

20) Quod lex naturalis prohibet interfectionem animalium irrationabilium, licet non tantum.

21) Quod nichil fit a casu, sed omnia de necessitate eveniunt, et, quod omnis futura, que erunt, de necessitate erunt, et que non erunt, impossibile est esse, et quod nichil fit contingenter, considerando omnes causas. — Error, quia concursus causarum est de deffinitione casualis, ut dicit Boetius libro De consolatione.

22) Quod felicitas non potest a Deo immitti inmediate.

23) Quod dicere Deum dare felicitatem uni, et non alii, est sine ratione et figmentum.

24) Quod omnes scientie sunt necessarie, preter philosophicas disciplinas, et, quod non sunt necessarie, nisi propter consuetudinem hominum.

25) Quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili et corruptibili.

26) Quod prima causa posset producere effectum sibi equalem, nisi temperaret potentiam suam.

27) Quod Deus non posset facere plures animas in numero.

28) Quod Deus nunquam plus creavit intelligentiam, quam modo creat.

29) Quod Deus est infinite virtutis in duratione, non in actione, quia talis infinitas non est, nisi in corpore infinito, si esset.

30) Quod intelligentie superiores creant animas rationales sine motu celi; intelligentie autem inferiores creant vegetativam et sensitivam motu celi mediante.

31) Quod intellectus humanus est eternus, quia est a causa eodem modo semper se habente, et quia non habet materiam, per quam prius sit in potentia quam in actu.

32) Quod intellectus est unus numero omnium, licet enim separetur a corpore hoc, non tamen ab omni.

33) Quod raptus et visiones non fiunt, nisi per naturam.

34) Quod prima causa non posset plures mundos facere.

35) Quod sine agente proprio, ut patre et homine, non posset fieri homo a Deo.

36) Quod Deum in hac vita mortali possumus intelligere per essentiam.

37) Quod nichil est credendum, nisi per se notum, vel ex per se notis possit declarari.

38) Quod Deus non potuit fecisse primam materiam, nisi mediante corpore celesti.

39) Quod a voluntate antiqua non potest novum procedere absque transmutatione precedente.

40) Quod non est excellentior status, quam vacare philosophie.

41) Quod intellectus Socratis corrupti non habet scientiam eorum, quorum habuit.

42) Quod causa prima non habet scientiam futurorum contingentium. Prima ratio, quia futura contingentia sunt non entia. Secunda, quia futura contingentia sunt particularia; Deus autem cognoscit virtute intellectiva, que non potest particulare cognoscere. Unde, si non esset sensus, forte intellectus non distingueret inter Socratem et Platonem, licet distingueret inter hominem et asinum. Tertia est ordo cause ad causatum; prescientia enim divina est causa necessaria prescitorum. Quarta est ordo scientie ad scitum; quamvis enim scientia non sit causa sciti, ex quo tamen scitur, determinatur ad alteram partem contradictionis; et hoc multo magis in scientia divina quam nostra.

43) Quod primum principium non potest esse causa diversorum factorum hic inferius, nisi mediantibus aliis causis, eo quod nullum transmutans diversimode transmutat, nisi transmutatum.

44) Quod ab uno primo agente non potest esse multitudo effectuum.

45) Quod primum principium non est propria causa eternorum, nisi metaphorice, quia conservat ea, id est, quia nisi esset, ea non essent.

46) Quod, sicut ex materia non potest aliquid fieri sine agente, ita nec ex agente potest aliquid fieri sine materia ; et, quod Deus non est causa efficiens, nisi respectu eius quod habet esse in potentia materie.

47) Quod entia declinant ab ordine prime cause, in se considerata, licet non in ordine ad alias causas agentes in universo. — Error, quia essentialior et inseparabilior est ordo entium ad primam causam, quam ad causas inferiores.

48) Quod Deus non potest esse causa novi facti, nec potest aliquid de novo producere.

49) Quod Deus non possit movere celum motu recto. Et ratio est quia tunc relinqueret vacuum.

50) Quod Deus non potest irregulariter, id est, alio modo, quam movet, movere aliquid, quia in eo non est diversitas voluntatis.

51) Quod Deus est eternus in agendo et movendo, sicut in essendo ; aliter ab alio determinaretur, quod esset prius illo.

52) Quod id, quod de se determinatur ut Deus, vel semper agit vel nunquam ; et quod multa sunt eterna

53) Quod Deus necesse est facere, quicquid immediate fit ab ipso. — Error, sive intelligatur de necessitate coactionis, quia tollit libertatem, sive de necessitate inmutabilitatis, quia ponit impotentiam aliter faciendi.

54) Quod primum principium non potest inmediate producere generabilia, quia sunt effectus novi. Effectus autem novus exigit causam inmediatam, que potest aliter se habere.

55) Quod primum non potest aliud a se producere ; quia omnis differentia, que est inter agens et factum, est per materiam.

56) Quod Deus non potest inmediate cognoscere contingentia, nisi per aliam particularem causam et proximam.

57) Quod si omnes cause aliquando fuerint in quiete, necesse est ponere Deum mobilem.

58) Quod Deus est causa necessaria prime intelligentie: qua posita ponitur effectus, et sunt simul duratione.

59) Quod Deus est causa necessaria motus corporum superiorum et coniunctionis et divisionis continentis in stellis.

60) Quod ad hoc, quod omnes effectus sint necessarii respectu cause prime, non sufficit, quod ipsa causa prima non sit impedibilis ; sed exigitur, quod cause medie non sint impedibiles. — Error, quia tunc Deus non posset facere effectum necessarium sine causis posterioribus.

61) Quod Deus possit agere contraria, hoc est, mediante corpore celesti, quod est diversum in ubi.

62) Quod Deus est infinite virtutis, non quia faciat aliquid de nichilo, sed quia continuat motum infinitum.

63) Quod Deus non potest in effectum cause secundarie sine ipsa causa secundaria.

64) Quod effectus immediatus a primo debet esse unus tantum et simillimus primo.

65) Quod Deus vel intelligentia non infundit scientiam anime humane in sompno, nisi mediante corpore celesti.

66) Quod plures sunt motores primi.

67) Quod primum inmobile simpliciter non movet, nisi aliquo moto mediante, et quod tale movens inmobile est pars moti ex se.

68) Quod potentia activa, que potest esse sine operatione, est potentie passive permixta. — Error, si intelligatur de quacumque operatione.

69) Quod substantie separate, eo quod habent unum appetitum, non mutantur in opere.

70) Quod intelligentie, sive substantie separate, quas dicunt eternas, non habent proprie causam efficientem, sed metaphorice, quia habent conservantem causam in esse; sed non sunt facte de novo, quia sic essent transmutabiles.

71) Quod in substantiis separatis nulla est possibilis transmutatio; nec sunt in potentia ad aliquid, quia eterne et immunes sunt a materia.

72) Quod substantie separate, quia non habent materiam, per quam prius sint in potentia, quam in actu, et sunt a causa eodem modo semper se habente: ideo sunt eterne.

73) Quod substantie separate per suum intellectum creant res.

74) Quod intelligentia motrix celi influit in animam rationalem, sicut corpus celi influit in corpus humanum.

75) Quod angelus non potest in actus oppositos immediate, sed in actus mediatos mediante alio, ut orbe.

76) Quod angelus nichil intelligit de novo.

77) Quod si esset aliqua substantia separata, que non moveret aliquod corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in universo.

78) Quod substantie sempiterne separate a materia habent bonum, quod est eis possibile, cum producuntur, nec desiderant aliquid quo carent.

79) Quod substantie separate sunt sua essentia, quia in eis idem est quo est, et quod est.

80) Quod omne, quod non habet materiam, est eternum; quia quod non est factum per transmutationem materie, prius non fuit: ergo est eternum.

81) Quod, quia intelligentie non habent materiam, Deus non posset facere plures eiusdem speciei.

82) Quod intelligentie superiores non sunt causa alicuius novitatis in inferioribus, et quod superiores sunt inferioribus causa eterne cognitionis.

83) Quod intelligentia perficitur a Deo in eternitate, quia secundum totum immutabilis est, anima autem celi non.

84) Quod intelligentia recipit a Deo esse per intelligentias medias.

85) Quod scientia intelligentie non differt a substantia eius; ubi enim non est diversitas intellecti ab intelligente, nec diversitas intellectorum.

86) Quod substantie separate sunt actu infinite. Infinitas enim non est impossibilis, nisi in rebus materialibus.

87) Quod mundus est eternus, quantum ad omnes species in eo contentas; et, quod tempus est eternum, et motus, et materia, et agens, et suscipiens; et quia est a potentia Dei infinita, et impossibile est innovationem esse in effectu sine innovatione in causa.

88) Quod nichil esset novum, nisi celum esset variatum respectu materie generabilium.

89) Quod impossibile est solvere rationes philosophi de eternitate mundi, nisi dicamus quod voluntas primi implicat incompossibilia.

90) Quod naturalis philosophus debet negare simpliciter mundi novitatem, quia innititur causis naturalibus, et rationibus naturalibus. Fidelis autem potest negare mundi eternitatem, quia innititur causis supernaturalibus.

91) Quod ratio philosophi demonstrans motum celi esse eternum non est sophistica, et mirum quod homines profundi hoc non vident.

92) Quod corpora celestia moventur a principio intrinseco, quod est anima; et quod moventur per virtutem appetitivam, sicut animal. Sicut animal appetens movetur, ita et celum.

93) Quod corpora celestia habent ex se eternitatem sue substantie, sed non eternitatem motus.

94) Quod duo sunt principia eterna, scilicet corpus celi et anima eius.

95) Quod tria sunt principia in celestibus: subiectum motus eterni; anima corporis celestis; et primum movens ut desideratum. — Error est quoad duo prima.

96) Quod Deus non potest multiplicare individua sub una specie sine materia.

97) Quod individua eiusdem speciei differunt sola positione materie, ut Socrates et Plato, et quod forma humana existente in utroque eadem numero non est mirum, si idem numero est in diversis locis.

98) Quod mundus est eternus, quia quod habet naturam, per quam possit esse in toto futuro, habet naturam, per quam potuit esse in toto preterito.

99) Quod mundus, licet sit factus de nichilo, non tamen est factus de novo; et quamvis de non esse exierit in esse, tamen non esse non precessit esse duratione, sed natura tantum.

100) Quod theologi dicentes quod celum quandoque quiescit, arguunt ex falsa suppositione; et, quod dicere, celum esse et non moveri, est dicere contradictoria.

101) Quod infinite precesserunt revolutiones celi, quas non fuit impossibile comprehendi a prima causa, sed ab intellectu creato

102) Quod anima celi est intelligentia, et orbes celestes non sunt instrumenta intelligentiarum sed organa, sicut auris et oculus sunt organa virtutis sensitive.

103) Quod forma, quam oportet esse et fieri in materia, non potest agi ab illo quod non agit ex materia.

104) Quod humanitas non est forma rei sed rationis.

105) Quod forma hominis non est ab extrinseco, sed educitur de potentia materie, quia aliter non esset generatio univoca.

106) Quod omnium formarum causa effectiva inmediata est orbis.

107) Quod elementa sunt eterna. Sunt tamen facta de novo in dispositione, quam modo habent.

108) Quod anima humana nullo modo est mobilis secundum locum, nec per se, nec per accidens; et si ponatur alicubi per substantiam suam, nunquam movebitur de ubi ad ubi.

109) Quod substantia anime est eterna; et quod intellectus agens et possibilis sunt eterni.

110) Quod motus celi sunt propter animam intellectivam; et anima intellectiva sive intellectus non potest educi, nisi mediante corpore.

111) Quod nulla forma ab extrinseco veniens non potest facere unum cum materia. Quod enim separabile est, cum eo, quod est corruptibile, unum non facit.

112) Quod intelligentie superiores imprimunt in inferiores, sicut anima una imprimit in aliam, et etiam in animam sensitivam; et per talem impressionem incantator aliquis prohicit camelum in foveam solo visu.

113) Quod anima separata non est alterabilis secundum philosophiam, licet secundum fidem alteretur.

114) Quod anima rationalis, quando recedit ab animali, adhuc remanet animal vivum.

115) Quod anima intellectiva cognoscendo se cognoscit omnia alia. Species enim omnium rerum sunt sibi concreate. Sed hec cognitio non debetur intellectui nostro, secundum quod noster est, sed secundum quod est intellectus agens.

116) Quod anima est inseparabilis a corpore; et quod ad corruptionem harmonie corporalis corrumpitur anima.

117) Quod scientia magistri et discipuli est una numero; ratio autem, quod intellectus sit unus, est: quia forma non multiplicatur, nisi quia educitur de potentia materie.

118) Quod intellectus agens non copulatur nostro possibili; et quod intellectus possibilis non unitur nobiscum secundum substantiam. Et si uniretur nobis ut forma, esset inseparabilis.

119) Quod operatio intellectus non uniti copulatur corpori, ita quod operatio est rei non habentis formam qua operatur. — Error, quia ponit, quod intellectus non sit forma hominis.

120) Quod nichil potest sciri de intellectu post eius separationem.

121) Quod intellectus, qui est ultima hominis perfectio, est penitus abstractus.

122) Quod intellectus possibilis est inseparabilis a corpore simpliciter quantum ad hunc actum, qui est specierum re-

ceptio, et quantum ad iudicium, quod fit per simplicem specierum adeptionem vel intelligibilium compositionem. — Error, si intelligatur de omnimoda receptione.

123) Quod intellectus agens est quedam substantia separata superior ad intellectum possibilem ; et quod secundum substantiam, potentiam et operationem est separatus a corpore, nec est forma corporis humani.

124) Quod inconveniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis; quia cum ista diversitas non possit esse a parte corporum, oportet quod sit a parte intelligentiarum; et sic animе nobiles et ignobiles essent necessario diversarum specierum sicut intelligentie.— Error, quia sic anima Christi non esset nobilior anima Iude.

125) Quod intellectus speculativus simpliciter est eternus et incorruptibilis; respectu vero huius hominis corrumpitur corruptis fantasmatibus in eo.

126) Quod intellectus possibilis nichil est in actu, antequam intelligat ; quia in natura intelligibili esse aliquid in actu est esse actu intelligens.

127) Quod ex intelligente et intellecto fit una substantia, eo quod intellectus sit ipsa intelligentia formaliter.

128) Quod illud, quod de sui natura non est determinatum ad esse vel non esse, non determinatur, nisi per aliquid, quod est necessarium respectu sui.

129) Quod voluntas, manente passione et scientia particulari in actu, non potest agere contra eam.

130) Quod, si ratio recta, et voluntas recta.— Error ; quia contra glossam Augustini super illud psalmi : « Concupivit anima mea...» etc., et quia secundum hoc, ad rectitudinem voluntatis non esset necessaria gratia, sed scientia solum, quod est error Pelagii.

131) Quod voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moveri et manente sic disposito, quod natum est movere, impossible est voluntatem non velle.

132) Quod orbis est causa voluntatis medici, ut sanet.

133) Quod voluntas et intellectus non moventur in actu per se, sed per causam sempiternam, scilicet corpora celestia.

134) Quod appetitus, cessantibus impedimentis, necessario movetur ab appetibili.— Error est de intellectivo.

135) Quod voluntas secundum se est indeterminata ad opposita sicut materia ; determinatur autem ab appetibili, sicut materia ab agente.

136) Quod homo agens ex passione coacte agit.

137) Quod quamvis generatio hominum possit deficere, virtute primi tamen non deficiet ; quia orbis primus non solum movet ad generationem elementorum, sed etiam hominum.

138) Quod, cum Deus non comparetur ad entia in ratione cause materialis vel formalis, non facit accidens esse sine subiecto de cuius ratione est actu inesse subiecto.

139) Quod accidens existens sine subiecto non est accidens, nisi equivoce ; et quod impossibile est quantitatem sive dimensionem esse per se ; hoc enim esset ipsam esse substantiam.

140) Quod facere accidens esse sine subiecto, habet rationem impossibilis implicantis contradictionem.

141) Quod Deus non potest facere accidens esse sine subiecto, nec plures dimensiones simul esse.

142) Quod ex diversitate locorum acquiruntur necessitas eventuum.

143) Quod ex diversis signis celi signantur diverse conditiones in hominibus tam donorum spiritualium, quam rerum temporalium.

144) Quod omne bonum, quod homini possibile est, consistit in virtutibus intellectualibus.

145) Quod nulla questio est disputabilis per rationem, quam philosophus non debeat disputare et determinare, quia rationes accipiuntur a rebus. Philosophia autem omnes res habet considerare secundum diversas sui partes.

146) Quod possibile vel impossibile simpliciter, id est, omnibus modis, est possibile vel impossibile secundum philosophiam.

147) Quod impossible simpliciter non potest fieri a Deo, vel ab agente alio. — Error, si de impossibili secundum naturam intelligatur.

148) Quod homo per nutritionem potest fieri alius numeraliter et individualiter.

149) Quod alius est intellectus in ratione secundum quod Deus intelligit se et alia. — Error, quia licet sit alia ratio intelligendi, non tamen alius intellectus secundum rationem.

150) Quod homo non debet esse contentus auctoritate ad habendum certitudinem alicuius questionis.

151) Quod ad hoc, quod homo habeat aliquam certitudinem alicuius conclusionis oportet, quod sit fundatus super principia per se nota. — Error, quia generaliter tam de certitudine apprehensionis quam adhesionis loquitur.

152) Quod sermones theologi fundati sunt in fabulis.

153) Quod nichil plus scitur propter scire theologiam.

154) Quod sapientes mundi sunt philosophi tantum.

155) Quod non est curandum de sepultura.

156) Quod si celum staret, ignis in stupam non ageret, quia Deus non esset.

157) Quod homo ordinatus quantum ad intellectum et affectum, sicut potest sufficienter esse per virtutes intellectuales et alias morales, de quibus loquitur philosophus in Ethicis, est sufficienter dispositus ad felicitatem eternam.

158) Quod post conclusionem factam de aliquo faciendo, voluntas non manet libera; et quod pene non adhibentur a lege, nisi ad ignorantie correptionem, et ut correptio sit aliis principium cognitionis.

159) Quod voluntas hominis necessitatur per suam cognitionem sicut appetitus bruti.

160) Quod nullum agens est ad utrumlibet, immo determinatur.

161) Quod effectus stellarum super liberum arbitrium sunt occulti.

162) Quod voluntas nostra subiacet potestati corporum celestium.

163) Quod voluntas necessario prosequitur, quod firmiter creditum est a ratione; et quod non potest abstinere ab eo, quod ratio dictat. Hec autem necessitatio non est coactio, sed natura voluntatis.

164) Quod homo in omnibus actionibus suis sequitur appetitum et semper maiorem. — Error, si intelligatur de maiori in movendo.

165) Quod non est possibile esse peccatum in potentiis anime superioribus. Et ita peccatum fit passione, non voluntate.

166) Quod peccatum contra naturam, utpote abusus in coitu, licet sit contra naturam speciei, non tamen est contra naturam individui.

167) Quod quibusdam signis sciuntur hominum intentiones et mutationes intentionum, et an ille intentiones perficiende sint, et quod per tales figuras sciuntur eventus peregrinorum, captivatio hominum, solutio captivorum, et an futuri sint scientes an latrones.

168) Quod continentia non est essentialiter virtus.

169) Quod perfecta abstinentia ab actu carnis corrumpit virtutem et speciem.

170) Quod pauper bonis fortune non potest bene agere in moralibus.

171) Quod humilitas, prout quis non ostentat ea que habet, sed vilipendit et humiliat se, non est virtus. — Error, si intelligatur: nec virtus nec actus virtuosus.

172) Quod delectatio in actibus venereis non impedit actum seu usum intellectus.

173) Quod scientia contrariorum solum est causa, quare anima rationalis potest in opposita; et quod potentia simpliciter una non potest in opposita, nisi per accidens et ratione alterius.

174) Quod fabule et falsa sunt in lege christiana, sicut in aliis.

175) Quod lex christiana impedit addiscere.

176) Quod felicitas habetur in ista vita, et non in alia.

177) Quod non sunt possibiles alie virtutes, nisi acquisite vel innate.

178) Quod finis terribilium est mors. — Error, si excludat inferni terrorem qui extremus est.

179) Quod non est confitendum, nisi ad apparentiam.

180) Quod non est orandum.

181) Quod castitas non est maius bonum quam perfecta abstinentia.

182) Quod possibile est, quod fiat naturaliter universale diluvium ignis.

183) Quod simplex fornicatio, utpote soluti cum soluta, non est peccatum.

184) Quod creatio non est possibilis, quamvis contrarium tenendum sit secundum fidem.

185) Quod non est verum, quod aliquid fiat ex nichilo, neque factum sit in prima creatione.

186) Quod celum nunquam quiescit, quia generatio inferiorum, que est finis motus celi, cessare non debet; alia ratio, quia celum suum esse et suam virtutem habet a motore suo; et hec conservat celum per suum motum. Unde si cessaret a motu, cessaret ab esse.

187) Quod nos peius aut melius intelligimus, hoc provenit ab intellectu passivo, quem dicit esse potentiam sensitivam. — Error, quia hoc ponit unum intellectum in omnibus, aut equalitatem in omnibus animabus.

188) Quod si in aliquo humore virtute stellarum deveniretur ad tale proportionem, cuiusmodi proportio est in seminibus parentum, ex illo humore posset generari homo; et sic homo posset sufficienter generari ex putrefactione.

189) Quod cum intelligentia sit plena formis, imprimit illas formas in materiam per corpora celestia tanquam per instrumenta.

190) Quod prima causa est causa omnium remotissima. — Error, si intelligatur ita: scilicet quod non propinquissima.

191) Quod forme non recipiunt divisionem, nisi per materiam. — Error, nisi intelligatur de formis eductis de potentia materie.

192) Quod materialis forma non potest creari.

193) Quod intellectus potest transire de corpore in corpus, ita quod sit successive motor diversorum corporum.

194) Quod anima nichil vult, nisi mota ab alio. Unde illud falsum : anima seipsa vult. — Error, si intelligatur mota ab alio, scilicet ab appetibili vel obiecto, ita quod appetibile vel obiectum sit tota ratio motus ipsius voluntatis.

195) Quod fatum, quod est dispositio universi, procedit ex providentia divina non immediate, sed mediante motu corporum superiorum ; et quod istud fatum non imponit necessitatem inferioribus, quia habent contrarietatem, sed superioribus.

196) Quod dignitatis est in causis superioribus, posse facere peccata et monstra preter intentionem, cum natura hoc possit.

197) Quod aliqua possunt casualiter evenire respectu cause prime ; et quod falsum est, omnia esse preordinata a causa prima, quia tunc evenirent de necessitate.

198) Quod in causis efficientibus causa secunda habet actionem, quam non accepit a causa prima.

199) Quod in causis efficientibus cessante prima non cessat secunda ab operatione sua, dum tamen secunda operetur secundum naturam suam.

200) Quod evum et tempus nichil sunt in re, sed solum in apprehensione.

201) Quod, qui generat mundum secundum totum, ponit vacuum, quia locus necessario precedit generatum in loco ; et tunc ante mundi generationem fuisset locus sine locato, quod est vacuum.

202) Quod elementa previa generatione sunt facta ex illo chaos, sed sunt eterna.

203) Quod universum non potest deficere, quia primum agens habet transmutare eternaliter vicissim, nunc ad istam for-

mam, nunc ad illam, et similiter materia nata est transmutari.

204) Quod substantie separate sunt alicubi per operationem; et quod non possunt moveri ab extremo in extremum, nec in medium, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis. — Error, si intelligatur, sine operatione substantiam non esse in loco, nec transire de loco ad locum.

205) Quod tempus est infinitum quantum ad utrumque extremum, licet enim impossibile sit, infinita esse pertransita, quorum aliquid fuit pertranseundum; non tamen impossibile est, infinita esse pertransita, quorum nullum fuit pertranseundum.

206) Quod sanitatem, infirmitatem, vitam et mortem attribuit positioni siderum et aspectui fortune, dicens quod si aspexerit eum fortuna, vivet; si non aspexerit, morietur.

207) Quod, in hora generationis hominis in corpore suo et per consequens in anima, que sequitur corpus, ex ordine causarum superiorum et inferiorum inest homini dispositio inclinans ad tales actiones vel eventus. — Error, nisi intelligatur de eventibus naturalibus, et per viam dispositionis.

208) Quod duobus bonis propositis, quod fortius est, fortius movet. — Error, nisi intelligatur quantum est ex parte boni moventis.

209) Quod omnes motus voluntarii reducuntur in motorem primum. — Error, nisi intelligatur in motorem primum simpliciter, non creatum; et intelligendo de motu secundum substantiam, non secundum defformitatem.

210) Quod materia exterior obedit substantie spirituali. — Error, si intelligatur simpliciter, et secundum omnem modum transmutationis.

211) Quod intellectus noster per sua naturalia potest pertingere ad cognitionem prime cause. — Hoc male sonat et est error, si intelligatur de cognitione inmediata.

212) Quod intelligentia sola voluntate movet celum.

213) Quod natura, que est principium motus in corporibus celestibus, est intelligentia movens. — Error, si intelligatur de natura intrinseca, que est actus vel forma.

214) Quod anima nunquam moveretur, nisi corpus moveretur, sicut grave vel leve nunquam moveretur, nisi aër moveretur.

215) Quod de Deo non potest cognosci, nisi quia ipse est, sive ipsum esse.

216) Quod Deum esse ens per se positive, non est intelligibile; sed privative est ens per se.

217) Quod creatio non debet dici mutatio ad esse. — Error, si intelligatur de omni modo mutationis.

218) Quod intelligentia, vel angelus, vel anima separata nusquam est.

219) Quod substantie separate nusquam sunt secundum substantiam — Error, si intelligatur ita, quod substantia non sit in loco. Si autem intelligatur, quod substantia sit ratio essendi in loco, verum est, quod nusquam sunt secundum substantiam [1].

Explicit rotulus errorum continens ducentos et decem et novem articulos Parisius dampnatos a Stefano eiusdem loci fidedigno ministro et episcopo, anno Domini M° CC° septuagesimo sexto, die domenica, qua cantatur « Letare Iherusalem » in curia Parisiensi.

---

1) On trouve dans le manuscrit Florence (Bibl. Naz. Conventi soppresi, E. 5. 532, fol. 130v) la proposition suivante, non signalée dans les éditions citées plus haut : « Quod caritas non est maius bonum quam perfecta amicitia est. » Editée par A. PELZER, *Godefroid de Fontaines. Les manuscrits de ses quodlibets conservés à la Vaticane et dans quelques autres bibliothèques*, dans *Revue Néo-Scolastique*, t. XX, 1913, p. 381.

XXXIX — *Condamnation portée par Robert Kilwardby contre 30 thèses*[1]. *(18 mars 1277.)*

Isti sunt errores condempnati a fratre R. Kilewardebi[2], archiepiscopo Cantuariensi de consensu omnium magistrorum tam non regencium quam regencium apud Oxoniam, die iovis proxima ante festum sancti Cutberti in Quadragesima, anno Domini M° CC° LXXVI.

In Grammaticalibus.

1) Ego currit, tu currit, currit et curro eque sunt perfecte et congrue orationes. Similiter currens est ego.

2) Item Socratis legere, Socrati legere sicut Socratem legere.

3) Item quod verbum manens verbum potest privari omnibus accidentibus.

4) Item quod nullum nomen est tertie persone.

In Logicalibus.

5) Quod contraria simul possunt esse vera in aliqua materia.

6) Item quod sillogismus peccans in materia non est sillogismus.

7) Item quod non est suppositio in propositione magis pro supposito quam pro significato, et ideo idem est dicere, cuiuslibet hominis asinus currit, et asinus cuiuslibet hominis currit.

8) Item quod animal est omnis homo.

9) Item quod signum non distribuit subiectum in comparatione ad predicatum.

---

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 588-589.

2) Sur Robert Kilwardby, cfr. M. D. CHENU, art. *Kilwardby*, dans *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, 1925, col. 2354-2356.

10) Item quod veritas cum necessitate tantum est cum constancia subiecti.

11) Item quod non est ponere demonstrationem sine rebus entibus.

12) Item quod omnis propositio de futuro vera est necessaria.

13) Item quod terminus cum verbo de presenti distribuitur pro omnibus differentiis temporum.

14) Item quod ex negativa de predicato finito sequitur affirmativa de predicato infinito sine constancia subiecti.

In Naturalibus.

15) Item quod quot sunt composita, tot principia omnino prima.

16) Item quod forma corrumpitur in pure nichil.

17) Item quod nulla potentia activa est in materia.

18) Item quod privatio est pure nichil, et quod est in corporibus supra celestibus et hiis inferioribus.

19) Item quod est conversiva generatio animalium sicut elementorum.

20) Item quod vegetativa, sensitiva et intellectiva sunt simul in embrione tempore.

21) Item quod intellectiva introducta corrumpitur sensitiva et vegetativa.

22) Item quod substantia prima non est composita nec simplex.

23) Item quod tempus non est in predicamento quantitatis.

24) Item quod non est inventum ab Aristotele quod intellectiva manet post separationem.

25) Item quod quando incompletum fit completum, diversificant essentiam; sed quando incompletum fit sub completo, tunc non.

26) Item quod vegetativa, sensitiva et intellectiva sint una forma simplex.

27) Item quod corpus vivum et mortuum est equivoce corpus, et corpus mortuum secundum quod corpus mortuum sit corpus secundum quid.

28) Item quod materia et forma non distinguantur per essentiam.

29) Item quod causa est ordinabilis in genere, tamen est extra genus.

30) Item quod intellectiva unitur materie prime ita quod corrumpitur illud quod precessit usque ad materiam primam.

Qui sustinet, docet, vel defendit ex intencione propria aliquid istorum predictorum, si sit magister, ab officio magisterii deponatur ex communi consilio, si bachelarius, ad magisterium non promoveatur sed ab Universitate expellatur [1].

---

1) La présente condamnation donna lieu à un échange de lettres entre Pierre de Conflans, alors archevêque de Corinthe résidant à la Curie, et Kilwardby. La lettre de Pierre de Conflans demeurée inédite est conservée, d'après GLORIEUX (*Répertoire*, t. I, p. 124), dans le manuscrit : Londres, British Museum, King's libr. 12. E. XXV, fol. 115 ; la réponse de Kilwardby a été publiée par F. EHRLE en 1889 (*Beiträge zur Geschichte der mittelalterlichen Scholastik*, dans *Archiv für Literatur- u. Kirchengeschichte des Mittelalters*, t. V, 1889, p. 614-632). Cette correspondance a été étudiée d'une manière spéciale par BIRKENMAJER (*Der Brief Robert Kilwardbys an Peter von Conflans und die Streitschrift des Aegidius von Lessines*, dans *Vermischte Untersuchungen*, p. 36-69).

Guillaume Occam a fait allusion à cette correspondance dans un passage de son Dialogus : « Dicunt quidam quod damnatio sua [Kilwardby] temeraria existebat eo quod veritates ut dicunt condemnavit ; unde et quidam alius archiepiscopus [Pierre de Conflans] ipsum de dicta damnatione acriter reprehendit, scribens eidem epistolam in qua manifeste asseruit quod veritates damnaverat. Multi enim putantes ipsum veritates damnasse quod fuerit hereticus nequaquam affirmant, quia, ut dicunt, nullam catholicam veritatem sed plures veritates philosophicas condemnavit : de assertione autem grammaticalibus, logicalibus et pure philosophicis in eadem damnatione se, ut asseruit, temere intromisit... Plures alii ipsam fuisse

XL — *Bulle de Jean XXI ordonnant à l'évêque de Paris de faire une enquête sur l'enseignement donné par certains théologiens et diverses doctrines professées à l'Université*[1]. *(28 avril 1277).*

Episcopo Parisiensi[2].

Flumen aque vive tanquam cristallus splendidum, de Dei et Agni sede procedens (Apoc. XXII, 1), Parisiense hactenus studium doctrina vite vivificare consueverat animas, ipsas moribus faciens ac virtutibus resplendere. Hoc utique flumen, Dei aquis in scientiarum ubertate repletum, norma morum, inundacione talium civitatem Dei letificans, universalem Ecclesiam longe lateque orbe toto diffusam multipliciter illustravit, dum eius doctrina crescens et ut pluvia velut imbrem super herbam et stillam super gramina sui eloquii fluenta diffudit: rudes erudiens et acuens aciem et plenius lumen illuminans doctiorum. Sed proh dolor, sicut in amaritudine multa cordis

temeraria reputarunt, plures enim Parisienses doctores et scholares assertiones damnatas a dicto archiepiscopo publice tenuerunt nam opinionem Thome de unitate forme in homine inter alias condemnavit et tamen scis quod plures Parisiis ipsam publice tenent et defendunt et docent ; et ita est de multis aliis ». (*Dialogus,* lib. II, pars I, cap. 22, édit. Lyon, 1494, fol. 13v). Un fragment de ce passage a été publié par A. WOOD (*The history and antiquities of the university of Oxford,* t. I, Oxford, 1792, p. 320) à la suite de l'édition que cet auteur a donnée de la condamnation du 18 mars 1277 (*op. cit.*, p. 319-320) d'après la recension des Annales d'Osney (*Annales monasterii de Oseneia* in *Annales Monastici,* édit. H. C. LUARD, t. IV, Londres, 1869, p. 298-299).

1) Edition : CALLEBAUT, *Jean Pecham*, p. 459-460. — Pour l'importance de ce document dans l'histoire des luttes universitaires qui suivirent la mort de S. Thomas d'Aquin, cfr. le compte rendu que le P. Mandonnet a donné de l'article cité du P. Callebaut dans le Bulletin Thomiste, 1926, p. 104, n. 676.

2) Etienne Tempier.

audivimus, sic cepit illius claritas per aliquos imperitis sermonibus involventes sententias obscurari, sic est ipsius color optimus immutatus, ut tenebre videantur fieri lumen eius. Siquidem, unde catholice veritatis derivari solebat irriguum, undique orthodoxas irrigans naciones, ibi heretice falsitatis quasi scaturire dicuntur errores, proprio contagio in aliorum infectionem, nisi suo prefocentur in ortu, facile obrepturi. Multorum namque fidedignorum habet assercio et iam communis notio publicat, quod sunt et fuerunt hiis quasi diebus nonnulli tam in artibus quam in theologica, quod horrendum est amplius, facultate studentes Parisius, apud quos iuxta prophetie vaticinium: veritas corruit in platea (Is. LIX,14); dum enim putantes in suis vanitatibus prevalere, vana cogitant et in excessu curiositatis nimie subtilia perscrutantur: non solum artiste phylosophicis inherentes fantasticis pro veris et seriosis contra prophete veritatem falsa et quasi fabulosa fingentes, sed et predicti theologi adversus vere catholiceque fidei puritatem dogmatizare presumpserunt erronea, et ea veriti non sunt redigere in scripturas, et in vicinas, sicut fertur, et remotas regiones, quod nimirum nimis est amare deflendum, eorum erroribus iam diffusis. Quamquam igitur ad tante presumptionis audaciam compescendam et fidei christiane vitanda pericula cunctos principes christiani cultus et nominis illius zelus invitet, Nos tamen qui Habrahe patris fidei, licet insufficientibus meritis, typum in Dei ecclesia gerimus et propterea ipsam specialiter tueri tenemur, etiam singularis quem ad idem, ab olim, concepimus studium affectus accendit. In illius namque laribus ab annis teneris diucius observati variis scienciis inibi studiose vacavimus et per annos plurimos secus decursus sedentes ipsarum sapidissima earum libamenta gustavimus, quantum nobis Dominus maiestatis, vere sapiencie dator, indulsit; propter quod illud oblivisci non possumus, sed in tam grandi eius deformacione, vicem gerentes ipsius ad ipsum in predictis et aliis, gratia divina previa, reformandum omnimodis sollicitam dare proponimus operam et efficacis provisionis remedium adhibere.

Ideoque, cum ea que fidei sunt fidemve contingunt, apostolice sedis auctoritatem specialiter exigant, ipsius requirant indaginem et eius decisionem exposcant, fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur ac per apostolica tibi nichilominus scripta mandantes, quatenus omnes et singulos errores qui de novo inventi vel resumpti seu renovati sunt in studio supradicto et actores, inventores, assertores et sectatores eorum, nec non credentes et adherentes eisdem, scripturas quoque in quas errores ipsi redacti dicuntur huiusmodi, etiam eorumdem artistarum figmenta, diligentia exacta perquirens, errores ipsos, actorum, inventorum, assertorum, sectatorum, credencium et adherencium, eorumdem nomina, scripturas etiam et figmenta predicta nobis sociatim sub tuo sigillo cum qua poteris celeritate transmittas, ut receptis eisdem ad discussionem, determinacionem seu reprobationem errorum ipsorum vel etiam ad ordinacionem quam pro ipsius integritate fidei conservanda et animarum procuranda salute, nec non et statu eiusdem studii reformando in premissis viderimus faciendam, debita quam tanti et talis negocii qualitas exigit maturitate servata, de fratrum nostrorum consilio procedamus.

Datum Viterbi IIII kal. maii.

XLI — *Les Chapitres généraux des frères Prêcheurs, tenus à Milan et à Paris, recommandent aux provinciaux, prieurs et visiteurs de punir sévèrement les frères qui se permettent de critiquer la doctrine et les écrits de fr. Thomas d'Aquin. (1278-1279).*

Chapitre de Milan. Juin 1278, sous maître Jean de Verceil [1].

Iniungimus districte fratri Raymundo de Medulione [2] et fratri Iohanni Vigorosi [3], lectori Montispessulani, quod cum festinatione vadant in Angliam, inquisituri diligenter super facto fratrum, qui in scandalum Ordinis detraxerunt de scriptis venerabilis patris fratris Thome de Aquino, quibus ex nunc plenam damus auctoritatem in capite et in membris; qui quos culpabiles invenerint in predictis puniendi, extra provinciam emittendi et omni officio privandi plenam habeant potestatem. Quod si unus eorum fuerit casu aliquo legiptimo impeditus, alter eorum nichilominus exequatur. Quibus priores de sociis competentibus, quos ipsi ad hoc officium exequendum ydoneos iudicaverint, teneantur quandocumque requisiti fuerint providere.

---

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 566-567 ; EHRLE, *Beiträge*, p. 604-605 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. I, p. 199 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, 1923, p. 169 ; CALLEBAUT, *Jean Pecham*, p. 465.

2) Sur Raymond de Mévouillon, cfr. V. LE CLERC, *Histoire littéraire de la France*, t. XX, Paris, 1842, p. 252-266 ; DOUAIS, *Essai sur l'organisation des études*, p. 92-93 ; DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne au* XIII[e] *et au* XIV[e] *siècle*, Paris-Auch, 1885, p. 477 ; J. H. ALBANÈS, *Gallia christiana novissima*, t. I, Montbéliard, 1899, p. 490-491.

3) Sur Jean Vigouroux, cfr J. H. ALBANÈS, *Le Couvent royal de Saint-Maximin en Provence de l'ordre des frères Prêcheurs*, Marseille, 1880 p. 55-58 ; DOUAIS, *Essai sur l'organisation des études*, p. 93-94 ; DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 441-442.

Chapitre de Paris. Juin 1279, sous maître Jean de Verceil[1].

Cum venerabilis vir memorie recolende fr. Thomas de Aquino, sua conversatione laudabili et scriptis suis multum honoraverit ordinem, nec sit aliquatenus tolerandum, quod de ipso vel scriptis eius aliqui irreverenter et indecenter loquantur, etiam aliter sentientes, iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis ac visitatoribus universis, quod si quos invenerint excedentes in predictis, punire acriter non postponant.

XLII — *Le chapitre de Salerne autorise les frères Prêcheurs à ensevelir dans leur église les restes de Marie, soeur de fr. Thomas d'Aquin*[2]. *(19 août 1279).*

Anno ab incarnatione M. CC. LXXIX et III anno regni Ierusalem et XV anno regni Siciliae domini nostri Caroli[3] gloriosissimi regis praedictorum regnorum, ducatus Apuliae et principatus Capuae, Achaiae, Andegaviae, Provinciae, Forchalquerii et Pedemontis illustrissimi comitis et anno VIII principatus illustris domini nostri Caroli[4] primogeniti supradicti domini nostri regis et magnifici principis Salerni et honoris Montis sancti Angeli domini, die mercurio XIX mensis augusti, VII indictione, nos Riccardus Aversanus iudex civitatis Salerni, Philippus Dardanus publicus eiusdem civitatis notarius et intrascripti testes litterati cives Salerni ad hoc specialiter vo-

---

1) Edition : EHRLE, *Beiträge*, p. 605 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. I, p. 204 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, 1923, p. 169 ; CALLEBAUT, *Jean Pecham*, p. 466, n. 4.

2) Edition : UGHELLI et COLETI, *Italia Sacra*, t. VII, p. 423-424 ; CAPONE, *Relazioni tra la città di Salerno*, p. 87-88.

3) Charles I, fils de Louis VIII roi de France, roi de Naples et de Sicile de 1266 à 1282.

4) Charles II, fils de Charles I.

cati, præsenti publico scripto notum facimus et testamur quod dum essemus in maiori Salernitana ecclesia, ubi maior et sanior pars capituli eiusdem archiepiscopii aderat, necnon et frater Paulus prior fratrum ordinis Praedicatorum morantium in Salerno, ac maior et sanior pars conventus fratrum ipsorum : quia in concessione sacra olim facta conventui fratrum prædicti ordinis morantium in Salerno per capitulum maioris ecclesiæ supradictæ, ecclesia ipsa maiori Salernitana tunc pastore vacante [1], conditio intervenit quod in ecclesia ipsorum fratrum nullo tempore liceret eis coemeterium habere nisi tantum pro fratribus et famulis ordinis supradicti, sicut in scripto publico inde confecto plenius vidimus contineri. Et quia nobilis et egregia mulier domina Maria, soror egregiae mulieris dominae Theodorae egregiae comitissae Marsici, noviter in castro Sancti Severini defuncta, corpus eius in praedicta ecclesia ipsorum fratrum statuerat sepeliri, et propter conditionem praedictam non poterant nec volebant sine mandato et consensu ipsius capituli corpus praedictae dominae in eadem ecclesia ipsorum fratrum facere sepeliri, licet hoc dicta domina in suis ultimis statuerit, ut est dictum, praedicti fratres coram nobis fecerunt, constituerunt ac ordinaverunt eorum œconomum seu procuratorem fratrem Ioannem de Buiano [2], confratrem et subpriorem eorum, qui, pro parte sua et praedictorum confratrum suorum seu conventus praedicti ordinis, volentibus (eis) et mandantibus, praedicto capitulo humiliter supplicavit, ut concederet eidem conventui de gratia speciali, quod permitteret eisdem fratribus corpus praedictae dominae necnon et quorumlibet alio-

---

1) Le siège archiépiscopal de Salerne demeura vacant du 25 décembre 1272 date de la mort de Matthieu della Porta au 7 mars 1286 date de la nomination de Philippe à la tête de ce diocèse, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 429.

2) Sur frère Jean de Boiano, cfr. TAURISANO, *Discepoli e biografi*, p. 180.

rum mortuorum extra civitatem Salerni in quibuslibet locis statuentium eorum corpora in eadem ecclesia fratrum facere sepeliri, non obstante conditione praedicta, cum in hiis in nullo praeiudicarent ecclesiae memoratae. Praedictum autem capitulum praedictae maioris Salernitanae ecclesiae, habito inter eos super quaestione praedicta consilio diligenti, videns et deliberans diligenter petitionem ipsorum fratrum fore tam iuste quam misericorditer admittendam, facere constituit et ordinavit eorum oeconomum, procuratorem seu actorem dominum Iohannem de magistro Philippo presbiterum cardinalem et primicerium praedictae maioris ecclesiae, qui, eodem capitulo praesente, volente et mandante, pro parte eiusdem capituli concessit praedicto fratri Iohanni, oeconomo conventus ordinis praedicti, quod liceat conventui eiusdem ordinis praesenti et futuro in praedicta eorum ecclesia facere sepeliri corpora defunctorum tantum extra civitatem Salerni in quibuscunque locis statuerint, ut dictum est, eorum corpora in eadem ecclesia sepeliri ; ita tamen, etc...

XLIII — *Ordonnance du chapitre général des frères Mineurs, célébré à Strasbourg, concernant la Somme théologique de fr. Thomas d'Aquin* [1]. *(1282).*

Generalis minister [2] imponit ministris provincialibus quod non permittant multiplicari summam fratris Thome nisi apud lectores notabiliter intelligentes, et hoc nisi cum declarationibus

---

1) Edition : VAN ORTROY, *Analecta Bollandiana*, t. XVIII, 1899, p. 292 ; F. EHRLE, *Der Kampf um die Lehre des hl. Thomas von Aquin in den ersten fünfzig Iahren nach seinem Tod*, dans *Zeitschrift f. kathol. Theologie*, t. XXXVII, 1913, p. 272-273 ; CALLEBAUT, *Jean Pecham*, p. 467 ; P. GLORIEUX, *Les premières Polémiques thomistes.* I. *Le Correctorium Corruptorii « Quare » (Bibliothèque thomiste, t. IX)*, Kain, 1927, p. IX, note 2.

2) Fr. Bonagratia Fielci, cfr A. VAN DEN WYNGAERT, art. *Bonagratia Fielci*, dans *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastiques*, t. IX, Paris, 1936, col. 722-723.

fratris G[uillelmi] de Mara [1], non in marginibus positis sed in quaternis et huiusmodi declarationes non scribantur per aliquos seculares.

XLIV — *Fragment du « De Emanatione aeterna » de fr. Roger Marston concernant fr. Thomas d'Aquin* [2]. *(Vers 1282).*

Ego tamen praesens fui Parisius et corporeis auribus audivi quando incipit cantor de Perona, assidente magistro Girardo de Abbatisvilla [3], praesentibus fr. Thoma de Aquino, et fr. Iohanne de Pecham [4], et aliis doctoribus sacrae theologiae usque ad XXIIII vel circiter, ubi haec opinio fuit excommunicata solemniter tanquam contraria Sanctorum assertionibus et doctrinae et praecipue Augustini [5] et Anselmi [6], ut patuit in opponendo.

Le manuscrit Florence Laurentienne Conv. soppr. 123 porte dans la marge supérieure : « Fratre Thoma. Unde est quod Thomas fuit presens illi excommunicationi et tamen in

---

1) Sur Guillaume de la Mare et son Correctoire, cfr. UEBERWEG-GEYER, *Grundriss*, p. 762 ; GLORIEUX, *Répertoire*, t. II, p. 99-101.

2) Edition : R. MARSTON, *Quaestiones disputatae de Emanatione aeterna, de Statu naturae lapsae, et de Anima (Bibliotheca franciscana scholastica Medii Aevi*, t. VII), Quaracchi, 1932, p. 116-117.

3) Sur Gérard d'Abbeville, cfr. GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 356-360.

4) Sur Jean Pecham, cfr. les documents (n. 45) publiés à la suite de ce fragment.

5) Les textes de S. Augustin concernant le problème théologique ici envisagé ont été groupés par PIERRE LOMBARD, *Libri Sententiarum*, lib. I, dist. 27, cap. 3 (édit. Quaracchi, 1916, t. I, p. 174).

6) S. ANSELME, *Monologion*, cap. 63, P. L., t. CLVIII, col. 209-210 ; cfr. A. DANIELS, *Anselmzitate bei dem Oxforder Franziskaner Roger von Marston*, dans *Theologische Quartalschrift*, t. XCVIII, 1911, p. 55-57.

primo super Sententias [1] dicit quod Verbum in divinis dicitur essentialiter, dist. 26, probl [2] ?. Respondeo : forte fecit librum Sententiarum ante excommunicationem quod patet quia in parte prima Summe [2] tenet quod non dicitur nisi notionaliter. Require ibi qu. 34, probl. primo.[3]

---

1) In IV Sent., lib. I, dist. 27, art. 1.

2) Summa theologica, I, qu. 34, art. 1. — L'évolution de la pensée de S. Thomas est antérieure à la Somme théologique et dès le début de son enseignement magistral (De Veritate, q. IV, art. 2) le saint Docteur fit sienne l'opinion qu'il exposa ensuite dans la Somme théologique. Cette évolution a été très nettement marquée, au XVIe siècle, par CAJÉTAN (*In Summa Theologica*, I. qu. 34, art. 1) : «... In I Sent. secutus est illorum opinionem, qui verbi nomen, sicut amoris nomen, considerantes quandoque essentiale quandoque personale dixerunt. Postmodum in quaest. De veritate declinavit in alteram partem, scilicet quod dicitur personaliter, non tamen absque formidine alterius, ut patet ex eo quod respondet rationibus ad utramque partem, altera ut rationabiliori amplexa. Postremo hoc in loco alteram partem scilicet quod personaliter dicitur, asseruit cum expressa destructione alterius, scilicet quod nullo modo essentialiter.» Il faut noter cependant que Thomas d'Aquin ne fait aucune allusion dans sa Somme à un changement d'opinion, et peut-être faudrait-il admettre avec par exemple J. CAPREOLUS (*Defensiones theologiae D. Thomae Aquinatis*, édit. PABAN et PEGUES, t. II, Tours, 1900, p. 243) ou GERARD DE MONTE (*Decisionum S. Thomae.... concordantiae*, édit. G. MEERSSEMAN, Rome, 1934, p. 32-33) que la pensée du saint Docteur, telle qu'elle est exposée dans la Somme, n'est pas opposée à ce qu'il avait écrit dans son commentaire sur les Sentences : « Ex praemissis patet quod circa acceptionem Verbi non est sancti Thomae in Scripto et in Summa sententia contraria. »

3) Les événements auxquels fait allusion Marston eurent lieu durant le second enseignement parisien de Thomas d'Aquin (1269-1272) : la rédaction des Sentences et de la première partie de la Somme théologique est antérieure à cette période de la vie du saint.

XLV — *Lettres de Jean Pecham concernant la condamnation portée à Oxford le 13 mars 1277. (1284-1287).*

Lettre adressée au Chancelier, Maîtres et Etudiants de l'université d'Oxford[1]. *(10 novembre 1284).*

Frater J.[2] permissione divina Cantuariensis ecclesiae minister humilis, totius Angliae primas, dilectis filiis cancellario[3] et magistris ac scholaribus universitatis Oxoniensis salutem, gratiam et benedictionem.

Nulli nos credimus derogare, si agrum Domini excolentes evellimus et destruimus vitia et errores, ut virtus et veritas suas valeant ampliare propagines cum honoris fructibus, dum tamen majorum nostrorum vestigiis haereamus. Proinde nuper per Oxoniense studium in visitationis serie transeuntes, clamore celebri quarundam personarum nobis incognitarum temeritatem reperimus infamatam, quod opiniones quasdam erroneas in pluribus scientiis astruere non verentur, quas recolende memoriae dominus Robertus[4], Dei gratia immediatus noster in regimine Cantuari-

1) Edition: [WILKINS], *Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae...*, t. II, Londres, 1737, p. 107-108; C. T. MARTIN, *Registrum epistolarum fr. Iohannis Peckham archiepiscopi Cantuariensis (Rerum Britannicarum Medii Aevi scriptores or chronicles and memorials of Great Britain and Ireland during the Middle Ages)*, t. III, Londres, 1885, p. 840-843; F. EHRLE, *Iohn Peckham über den Kampf des Augustinismus und Aristotelismus in der zweiten Hälfte des 13. Jhs*, dans *Zeitschrift f. katholische Theologie*, t. XIII, 1889, p. 174-176; M. H. MACINERNY, *A History of the Irish Dominicans*, t. I, Dublin, 1916, p. 403-404.

2) Jean Pecham, cfr. A. TEETAERT, art. *Pecham*, dans *Dictionnaire de Théologie catholique*, t. XII, 1932, col. 100-140; GLORIEUX, *Répertoire*. t. II, p. 87-98.

3) Roger de Rothwell, cfr. H. E. SALTER, *Snappe's Formulary and other Records*, Oxford, 1924, p. 323.

4) Robert Kilwardby.

ensis ecclesiae praedecessor, de consilio tunc temporis magistrorum condemnasse; quarumdam adjectione poenarum decretum suum temperato libramine roborando. Quorum articulorum nos merito detestantes virulentiam redivivam, nuper publice [1] coram vobis dicti patris processum laudabilem ratum habentes, cum poenis adjectis, ipsum in suo robore fore decrevimus permansurum, donec maturiori consilio evidentius appareat, an in ipsis articulis sit aliquid, quod pro pace quorundam possit sine periculo tolerari.

Unum vero illorum expresse notavimus articulum, quorundam dicentium « in homine esse tantummodo formam unam ». Notavimus, inquam, pro eo quod ex ipso sequitur, ut putamus, nec corpus Christi fuisse unum numero vivum et mortuum, nec aliqua sanctorum corpora tota vel secundum partes aliquas in orbe existere vel in Urbe, sed quaedam alia, quae non genuerunt matres sanctorum, sed de novo peperit phantasia, quia sine substantialis formae unitate nulla potest numeraliter substantia esse una. Nec hoc diximus in suggillationem aut dedecus fratrum Praedicatorum, ut quaedam postea ausa est asserere lingua temeraria; cum dictus praedecessor noster, cujus factum prosequimur in hac parte, de ipso ordine, tanquam portio ipsius ordinis nobilissima [2], ad archiepiscopalem assumptus fue-

1) « Consumato visitationis officio, idem archiepiscopus [Pecham] convocatis et in sua presentia constitutis magistris universitatis Oxoniae, quasdam opiniones erroneas, quas quidam dictorum magistrorum minus sane sapientes, non ratione sed motibus voluntariis agitati, contra regulas et documenta veterum philosophorum impudenter introduxerant et tanquam ratione subnixas sustinere nitebantur, coran tota multitudine legi fecit in publicum, easque dudum a praedecessore suo bon. mem. fr. Roberto de Kylewardeby... reprobatas iterato condemnavit et reprobandas in perpetuum esse decrevit. » (*Annales... de Oseneia*, p. 297-298).

2) Pour les différentes charges occupées par R. Kilwardby dans l'ordre des Prêcheurs, cfr. R. PALMER, *Fasti ordinis fr. Praedicatorum, the Provincials of the Friar Preachers or Black friars* (Ext. de *Archaeological Journal*, t. XXXV, 1878) p. 5-6.

rit dignitatem[1]; cum etiam nullatenus dubitemus condemnationem praedictam de consilio plurium sapientiorum ipsius ordinis processisse. Nec unquam alicui mortali homini promisimus, quod sic damnatis erroribus nostro silentio faveremus; tum quia verbum Domini non decet esse in nostris labiis alligatum; tum quia error, cui non resistitur, approbatur; tum quia sine peccato mortali dimittere non potuimus quin resisteremus cum modestia periculo evidenti, dicente propheta[2]: « Vae mihi quia tacui. » Sed hoc diximus et in proposito tenuimus cum effectu, quod opiniones ordinis Praedicatorum, pro eo quod essent ipsius ordinis, reprobare minime volebamus nec fecimus, Deus novit; sed quod volebamus praedecessoris nostri ratificare processum, ipsius ordinis praecipui amatoris. Nec opiniones noxias putabamus esse ipsius ordinis sed erroris, pro eo quod audivimus eam, quam supra specialiter notavimus, a personis authenticis in variis mundi partibus solemniter reprobari. Nec eam credimus a religiosis personis, sed saecularibus quibusdam duxisse originem, cujus duo praecipui defensores vel forsitan inventores miserabiliter dicuntur conclusisse dies suos in partibus transalpinis, cum tamen non essent de illis partibus oriundi.

Nos igitur qui in hiis processimus innocenter, sicut volumus coram Deo et omni homine, etiam summo pontifice, si oporteat, respondere, illorum audaci miseriae et miserabili audaciae condolemus, qui contra auctoritatem ecclesiasticam se jactaverunt nuper, ut dicitur, hujusmodi damnatos articulos defensuros; supra merita sapientiae sibi datae ambulare in mirabilibus gestientes, et famam nostram laedere mendaciter sunt conati, non verentes excommunicationis sententiam, qua diffamatores hujusmodi ex Oxoniensi concilio sunt ligati. Verum, ne mercenarii more videamur deficere veritati et ab imminentibus

1) Kilwardby fut nommé le 11 octobre 1272 au siège archiépiscopal de Canterbury, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 163.
2) Is. VI, 5.

rictibus trepidare, monemus vos omnes et singulos cujuscunque professionis aut gradus, vobis nihilominus in virtute obedientiae sub poena canonicae districtionis praecipiendo mandantes, ne quis vestrum aliquem de sic damnatis articulis clam vel palam scienter audeat defensare, donec in forma praedicta vel per superiores nostros appareat, an ipsorum aliquis valeat probabiliter tolerari. Et pro certo sciatis quod contra contrarii praesumptores cum id nobis canonice innotuerit, procedere studebimus, justitia mediante.

Obsecramus autem, filii carissimi, per misericordiam Jesu Christi, ut profanas vocum novitates solicitius devitantes, inquirere dignemini, quid in hac materia doctores sentiant saeculares, qui jam emeritae doctrinae philosophiam et theologiam a puero didicerunt; scientes pro certo quod claustrales, qui spreta sanctorum sapientia philosophorum ventosis traditionibus, quas in saeculo non didicerant, curiosius immorantur, tanquam ponentes in tenebris lucem suam, divino judicio, utique justissimo, a principe hujus saeculi merito excoecantur, et coeci coecos in foveam praecipitant vanitatis. Valete, filii carissimi, in Christo et Virgine gloriosa.

Datum apud Notele, IV idus novembris anno Domini M. CC. LXXXIV, ordinationis nostrae sexto.

Lettre adressée à maître Roger de Rothwell, chancelier d'Oxford et à maître Robert de Fletham[1] *(14 Novembre 1284).*

Frater J. etc. dilectis filiis magistro Rogero[2], cancellario universitatis Oxoniensis, vel ejus vices gerenti et magistro Roberto de Flethamme[3], sacrae theologiae doctori, salutem, gratiam et benedictionem.

---

1) Edition: WILKINS, *Concilia*, t. II, 108-109; MARTIN, *Registrum*, t. III, p. 852-853; EHRLE, *Iohn Peckham*, p. 176-177; MACINERNY, *A History*, p. 405-406.

2) Roger de Rothwell.

3) Robert de Fletham, cfr. A. G. LITTLE et F. PELSTER, *Oxford theology and theologians c. a. D. 1282-1302*, Oxford, 1934, p. 79.

Recolendae memoriae, sanctitatis et sapientiae titulis illustris dominus Robertus, Dei gratia noster immediatus in regimine Cantuariensis ecclesiae praedecessor, in progressu visitationis metropoliticae, quam in Licolniensi dioecesi exercebat, veniens Oxoniam in pluribus facultatibus quosdam ibi errores reperit seminatos; quorum perniciem considerans bonas indoles maculasse, damnavit plures erroneos articulos de consilio magistrorum sub certarum adjectione poenarum, compulsis etiam quibusdam errores hujusmodi adjurare. Cujus non exploratam sollicitudinem ratam habentes, non sine necessitate urgenti, nuper dioecesani communicato consilio in sermone publico praedictam damnationem ipsorum articulorum cum poenis adjectis decrevimus in suo robore duraturam, donec exquisita indagine viderimus, an in ipsis articulis sit aliquid, quod possit probabiliter tolerari.

Scientes igitur commissum esse arbitrio sacerdotum lepras discernere et munditiam innocentiae declarare, volentes huic cancerosae prurigini quam poterimus adhibere pastoralis officii medicinam, ne a nobis exigat districtus judex animas pereuntes, vobis in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus per omnes vias, quibus veritas vobis clarescere poterit facti hujusmodi, sine scandalo et tumultu inquiratis sollicite qui sunt articuli universi, quos damnasse dicitur tantus pater; quas poenas adjecerit; qui sunt illi, quos articulos hujusmodi omnes vel aliquos compulit abjurare; qui insuper jurati vel non jurati damnatos articulos communiter vel particulariter defendere praesumpserunt vel adhuc etiam audent hujusmodi defensare. Cujus inquisitionis cum celeritate debita faciendae vobis tenore praesentium committimus vices nostras cum coercionis canonicae potestate. Quid autem in hiis feceritis, quid etiam inveneritis, nobis citra festum S. Nicolai fideliter significare curetis per vestras patentes litteras, karum seriem continentes.

Datum apud Loffeld, XVIII kalendas decembris anno Domini M. CC. LXXXIV, ordinationis nostrae sexto.

Lettre adressée aux mêmes Maîtres de l'université d'Oxford[1] *(7 décembre 1284).*

Frater J. etc. dilectis filiis cancellario[2] Oxoniensi vel ejus vices gerenti et magistro Roberto de Fletham sacrae theologiae doctori, salutem, gratiam et benedictionem.

Jam septimanis pluribus revolutis nos vobis scripsisse meminimus in forma inferius annotata: *Recolendae memoriae sanctitatis... prout continetur in littera praecedenti die 14 Novembris 1284. usque ad « Datum apud Loffeld...* Quia igitur praemissum mandatum nostrum videmini penitus contempsisse, vos iterato rogamus pariter et monemus, quatenus, sicut de favore errorum, contra quos agimus, reprehendi non vultis, praedictum mandatum nostrum secundum suum tenorem executioni debitae sine dilationis incommodo demandetis; et hoc sub poena suspensionis, quam in vos, licet inviti, ferimus, si in exequendo mandato nostro negligentes fueritis aut remissi. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis indulgere, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Quid autem in hiis feceritis, et quid etiam inveneritis, nobis citra octabas Epiphaniae, ubicunque in nostra provincia fuerimus, per vestras patentes litteras harum seriem continentes fideliter rescribatis. Valete.

Datum apud Braundeston', VII idus decembris, anno Domini M.CC. octogesimo quarto, ordinationis nostrae sexto.

Lettre adressée au Chancelier et aux Maîtres de l'université d'Oxford[3] *(7 décembre 1284).*

Cancellario Oxoniensi vel ejus vices gerenti et magistris ibidem regentibus omnium facultatum, salutem.

---

1) Edition: WILKINS, *Concilia,* t. II, p. 109; MARTIN, *Registrum,* t. III, p. 862-863; EHRLE, *Iohn Peckham,* p. 177.

2) Roger de Rothwell.

3) Edition: WILKINS, *Concilia,* t. II, p. 110-111; MARTIN, *Registrum,* t. III, p. 864-868; EHRLE, *Iohn Peckham,* p. 177-180; MACINERNY, *A History,* p. 409-411 (fragment).

Si tantum privatis commodis viveremus, quid contra nostram innocentiam suae fatuitatis effunderent detractores, mediocriter curaremus. Sed quia, licet immeriti, sumus divino quamvis occulto judicio deputati pro salute fidelium procuranda in officio pastorali, quibus eo ipso tenemur ad Dei gloriam totis viribus complacere, necesse habemus, pro irreverentium hominum jaculis retundendis nostram, quamvis inviti, manifestando insontiam, ipsorum miseriam propalare. Sane nuper intelleximus admirantes, quod dilectus in Christo frater W.[1] prior fratrum Praedicatorum Angliae, quem usque in haec tempora habuimus affectuosissime commendatum, quaedam dedecentia in nostri et nostrorum praejudicium coram vobis congregatis in vigilia S. Katerinae, quod vix credere possumus, perperam seminavit, testes invocans sui et nostri invicem tractatus habiti, episcopos illos, qui nuper intererant solempniis Saresbyriensis episcopi[2] consecrandi: cum tamen episcopus aliquis, nec quisquam alius mortalium verba audiverit, quae soli cum solo sub solius Dei testimonio et nullatenus aliter de annotata inferius materia loquebamur. Et quia, ut nobis dicitur, contra veritatem, forsitan oblivionis causa, dictus prior, salva sua gratia, secreto nostro colloquio est abusus, nullus debet inhonestum vel extraneum judicare, si veritatem, quam in hac parte novimus, absentes, ut possumus, per litteras in suscitati per ipsum et suos contra nos et nostros scandali remedium vobis veraciter explicemus.

Referente igitur nobis priore praedicto die praetactae consecrationis post prandium, quod fratres sui Oxonienses pluries ei scripserant, nos in partes Oxoniae properantes intendere ipsorum ordini et ordinis opinionibus derogare respondimus bona fide, quam fidem tenuimus et tenere intendimus quantum possumus,

---

1) Fr. Guillaume Hotham, cfr. PALMER, *Fasti... Praedicatorum*, p. 8-11 ; MACINERNY, *A History*, p. 378-476 ; GLORIEUX, *Répertoire*, t. I, p. 144-145.

2) Walter Scammel nommé au siège de Salisbury le 22 octobre 1284, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 435.

sine praejudicio veritatis, quod nec ordini eorum nec opinionibus ipsius ordinis, pro eo quod sunt ordinis, intendebamus quomodolibet adversari, sed factum praedecessoris nostri circa errores ab eo inventos in liberalibus disciplinis ac dampnatos de consilio magistrorum, et in parte suscitatos denuo in scandalum plurimorum, prosequi justitia mediante. Et subjunximus quod fratrum Predicatorum ordinem diligebamus intime, sicut ipse, et modo secure addimus, plus quam ipse : quia cum ipse in praetacto colloquio nobis dixerit, coram Deo, se de pluralitate formarum illam tenere firmiter sententiam, quam nostra tenet simplicitas, et tenuit hactenus totus mundus, si fratres suos aliquos falsitati contrariae adhaerentes nititur in hoc, ut dicitur defensore : hoc procul dubio non est diligere, sed odisse.

Procedentibus demum nobis ambobus ulterius in tractando, et errorem ponentium « in homine existere tantummodo formam unam » concorditer detestando, subjunximus nos quosdam istius erroris temerarios defensores in tantae subversionis foveam corruisse, ut dixerint scilicet et scripserint, « quod si homo haberet aliam formam ab anima rationali, non posset corpus hominis corruptum idem numero etiam per miraculum reparari ». Quo audito respondit prior : « Hunc errorem secure de mea conscientia condemnetis ».

Causam vero opinionum bonae memoriae fratris Thomae de Aquino, quas fratres ipsi opiniones sui ordinis esse dicunt, quas tamen in nostra praesentia subjecit idem reverendus frater theologorum arbitrio Parisiensium magistrorum, pendere diximus in Romana curia indecisam, pro eo quod cum vacante sede apostolica per mortem sancte memorie domini Johannis, Dei gratia tunc temporis Romani pontificis [1], episcopus Parisiensis Stephanus [2] bonae memoriae ad discussionem ipsorum articulorum de consilio magistrorum procedere cogitaret : mandatum fuisse dicitur eidem episcopo per quosdam Romanae curiae do-

1) Jean XXI, mort le 20 mai 1277 à Viterbe.
2) Etienne Tempier.

minos reverendos, ut de facto illarum opinionum supersederet penitus, donec aliud reciperet in mandatis [1].

Aliud igitur est, quod de scriptis theologicis est Romanae celsitudini reservatum Parisius, ab eo quod inventum Oxoniae in certaminibus puerilibus per praedecessoris nostri sapientiam est dampnatum. Quod si quispiam theologus curiosus hujusmodi quaestionibus puerilibus tractatus theologicos miscuerit indecenter, sicut [2] olim Israelitae pro acuendis ligonibus ad Philistinorum malleos descenderunt, non valemus propter hoc dimittere nec debemus pro zelo quorundam temerario, quin parvulos nostros ab errorum laqueis, ut possumus, eruamus. Et sicut circa processus hujusmodi vel quoscunque alios fratrum Praedicatorum licentia nondum, Deo gratias, indigemus : sic, quia quod in hac parte fecimus, fratribus Minoribus fecimus penitus inconsultis, nichil debet in hoc processu nostro ipsis fratribus Minoribus imputari.

Falso ergo dictum est nos per hoc discordiam inter ordines seminasse ; et caveant sibi ab hujusmodi seminatione nobis talia perperam imponentes, in quorum hortis ad extinctionem multarum salutarium plantarum de hujusmodi venenato semine retroactis temporibus publice et occulte, nullo seminante extrinseco, ultronee nimis crevit.

Intelleximus insuper quod quidam fratres ejusdem ordinis Praedicatorum ausi sunt se publice jactitare, doctrinam veritatis plus in suo ordine, quam in alio sibi contemporaneo vi-

1) Jean Pecham put avoir une connaissance directe des faits ici rapportés : il fut, à cette époque, lecteur à la curie romaine : « Pecham fut appelé à Rome au Sacré-Palais comme lecteur ou maître, d'après les uns par Jean XXI au début de 1277 ; d'après d'autres durant la vacance du Saint-Siège entre les mois de mai et de novembre 1277 ; d'après d'autres encore, par Nicolas III, vers la fin de 1277 ou en 1278. Toutefois selon le témoignage de Jean Josse, il résulterait que Jean Pecham était déja lecteur au Sacré-Palais en 1276. » (TEETAERT, *Pecham*, col. 104).

2) I Sam. XIII, 20.

guisse; cujus contrarium quia tenere putamus viros majores et sapientiores ecclesiae militantis, ipsam eorum jactantiam asserimus esse falsam, quod non esset difficile declarare, nisi esset comparatio odiosa, comparando scilicet scripta scriptis, personas personis, et labores laboribus satis notis.

Haec est igitur, karissimi, processus nostri veritas coram Deo. Et si forte circa praedicta defectus nobis aliquis subrepsisset, debuissent praedicti fratres pro paterni honoris debito fragilitati nostrae excusationis pallium obduxisse, praesertim quia tuba legalis specialiter praecipit diis non detrahere, et christos Domini non tangere; et Cham paternae irrisor dedecentiae in posteritate sua meruit maledici [1]. Quanto maius maledictionis tonitruum promerentur qui patris innocentiam, cujus vice fungimur, licet immeriti, labiis detractoris prosequuntur ?

Momordisse insuper societatem nostram dicitur idem prior, imponendo illis, qui nostro assistunt lateri, quod tanquam meticulosi et quae sua sunt querentes, nos ad martyrium non provocant, sicut dominum suum excitarunt olim socii sancti Thomae; cuius martyrii subeundi, si placeat Salvatori, det nobis ipse magis ferventia exemplaria imitari, quam illorum quaedam extiterint, quae vidimus suis et suorum consiliis in pontificali officio vel quocunque alio gubernari.

Rogamus igitur, ut non obstante praedicta calumnia, si tamen vestris insonuerit auribus, socios nostros, sicut valentes viros, habere dignemini excusatos; pro certo scientes, quod processus nostros circa ardua ecclesiae negotia, quantum possumus, sano concilio gubernamus. Rogamus insuper, ut contentam praesentibus veritatem, cujus testem altissimum invocamus, velitis aliis publicare, si tamen sint aliqui contrariis falsitatibus subornati. Valete in Christo et Virgine gloriosa.

Datum apud Brandestan, VII idus decembris.

---

1) Gen. XI, 22, 24-25.

Lettre adressée aux cardinaux Matthieu Orsini, Ordonius et Jérôme d'Ascoli[1] *(1 janvier 1285).*

Reverendo, etc... salutem. In progressu visitationis metropoliticae Lincolniensis dioecesis nuper per Oxoniense studium facientes transitum, pater sanctissime, intelleximus quasdam opiniones erroneas in litteris philosophicis fuisse temerarie quantum ad aliquas denuo suscitatas, quas sanctae memoriae dominus Robertus, praedecessor noster novissimus, in progressu consimili, de magistrorum consilio reprobavit. Nolentes autem nostris temporibus errores hujusmodi prosperari, vocato venerabili viro loci ejusdem dyoecesano, de ipsius consilio processimus in hunc modum, ratificantes videlicet processum predecessoris nostri in sermone publico coram clero, ac inhibentes ne aliquis ex tunc aliquam opinionem hujusmodi defensaret, donec canonico ejusdem dioecesani consilio et etiam magistrorum sollicite videremus, utrum in ipsis opinionibus esset aliquis articulus, qui pro pace quorundam posset sine periculo tolerari; nec de defensione praedictorum errorum implicite vel explicite statum aliquem notavimus vel personam. Quandam autem illarum opinionum tetigimus specialiter, eam manifestis rationibus impugnantes, ponentium videlicet « in homine existere tantummodo formam unam », pro eo quod ex ipsa sequitur, nullum corpus sancti totaliter vel partialiter in toto orbe existere, vel in Urbe, cum sine unitate formae generalis aut specialis nullum corpus possit numeraliter esse unum. Alia etiam inconvenientia sequuntur innumera ex hoc ipso. Fuit revera illa opinio fratris Thomae, sanctae memoriae, de Aquino; sed ipse in hiis et in aliis hujusmodi dictis suis suam innocentiam Parisius in collegio magistrorum theologie humiliter declaravit, subjiciens omnes suas hujusmodi sententias libramini et limae Parisiensium magistrorum, cujus nos

1) Edition : WILKINS, *Concilia*, t. II, p. 112-113 ; MARTIN, *Registrum*, t. III, p. 870-872 ; DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 626-627 ; EHRLE, *Iohn Peckham*, p. 180-182.

per auditus proprii certitudinem testes sumus [1]. Credentes autem fratres Praedicatores, Oxoniae commorantes, quod nos opinionem illam a praedecessore nostro, qui sui erat ordinis, reprobatam persequeremur in ejusdem ordinis prejudicium, quod non fecimus — Deus novit —, contra nos in crastino provocarunt, et consequenter publice se, ut nobis relatum est, satis temere jactitarunt, quod illam et alias opiniones fratris Thomae volebant contra omnes viventes homines defensare. Et alia quaedam dicere sunt ausi quantum in ipsis fuit, in laesionem non modicam famae nostrae, nisi nos scutum circumdaret veritatis.

Haec idcirco vobis scribimus, sancte pater, ut si forsitan aliqua de hac materia insonuerint sapientiae vestrae auribus, facti noveritis infallibilem veritatem, et ut sacrosancta Romana ecclesia attendere dignaretur, quod cum doctrina duorum ordinum in omnibus dubitabilibus sibi pene penitus hodie adversetur ; cumque doctrina alterius eorundem, abjectis et ex parte vilipensis Sanctorum sententiis, philosophicis, dogmatibus quasi totaliter innitatur, ut plena sit ydolis domus Dei et langore, quem praedixit Apostolus, pugnantium quaestionum : quantum inde futuris temporibus poterit ecclesiae periculum immicere.

Quid enim magis necessarium, quam fractis columnis, aedificium cadere, quam vilipensis auctenticis doctoribus Augustino et ceteris foedum venire principem et veritatem succumbere falsitati ? Quid manifestius, quam opinionum diversitatem discordias parare animorum, et frigescere inter hujusmodi caritatem ?

Istud igitur Dei negotium, reverende pater, vestrae providentiae una cum ecclesiae nostrae negotiis humiliter commendamus, obnixius exorantes, ut, cum opportunitatem dederit ille, qui omnia moderatur, dignemini ad ista manum extendere ob Dei gloriam et honorem, et protectionis vestrae clementiae nos et ecclesiae nostrae negotia habere pro Christi reverentia favorabiliter commendata. Ceterum quoddam magni ponderis ecclesiae nostrae

1) Sur les années d'enseignement parisien de Pecham, cfr. CALLEBAUT, *Jean Pecham*, p. 445-449 ; TEETAERT, *Pecham*, col. 104.

negotium reverentiae vestrae secretius exponendum injunximus magistro Willelmo exhibitori praesentium, quo intellecto dignemini nobis consilium et auxilium impendere ad Dei gloriam et honorem.

Scriptum apud Lydinton', kal. januarii, anno Domini M. CC. LXXIIII. Sub ista forma scribitur cardinalibus Matheo [1], Ordonio [2] et Geronimo [3] cardinalibus.

Lettre adressée à Olivier Sutton, évêque de Lincoln [4] *(1 juin 1285).*

Frater J... venerabili fratri domino [Olivero] Dei gratia Lincolniensi episcopo [5], salutem et sinceram in Domino caritatem.

Licet Chore et sui in perfidia complices olim Moysis sacro principatui resistentes [6], quos horrendae severitatis judicio vivos devoravit inferus, ut clareat, quantum zeletur Dominus pro reverentia exhibenda praelatis ecclesiae, quantumcumque contrarium detestetur, praedulces tamen psalmorum moduli ejusdem Chore filiis inscribuntur, ut pateat manifeste, non evacuare sacrae multitudinis gloriam casum ex eadem, quamvis praecipui unius vel plurium perversorum sed perseverantium gloriae potius attestari, dum perversum caput non sequitur fixa per gratiam stabi-

---

1) Matthieu Orsini, cardinal diacre de Sainte Marie in porticu, mort le 4 septembre 1305, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 8.

2) Ordonius, cardinal évêque de Frascati, décédé le 21 décembre 1285, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 10.

3) Jérome Masci, frère Mineur, cardinal prêtre du titre de Sainte Pudentienne, devenu pape sous le nom de Nicolas IV (15 février 1288), cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 10-11.

4) Edition : WILKINS, *Concilia*, t. II, p. 120-122 ; MARTIN, *Registrum*, t. III, p. 896-902 ; DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. I, p. 634-635 (fragment) ; EHRLE, *Iohn Peckham*, p. 182-189.

5) Olivier Sutton, évêque de Lincoln depuis le 19 mai 1290, cfr. C. L. KINGSFORD, art. *Sutton*, dans *Dictionary of National Biography*, t. XIX, p. 180-181.

6) Num. XXVI, 10.

litas filiorum. Unde in Numeris [1] legitur quia « factum est grande miraculum, ut Chore pereunte, ejus filii non perirent ». Sic nec luciferiani spiritus lapsu suo coelestes excubias arguunt, sed commendant, nec Salvatoris discipuli temporales, ex auditu sacri mysterii sibi ipsis scandalum facientes [2] (Ioh. VI), Christi magisterium ac praedestinatorum discipulorum perseverantiam macularunt.

Fratrum igitur Praedicatorum ordini non est ascribendum injuriae, si quidam eorum capitanei nuper nobis praedecessoris nostri vestigiis inhaerendo, errores quosdam arguentibus de consilio peritorum, procaciter, sicut equi parati ad praelium restiterunt. Nec hoc in ipsius ordinis dedecus credimus intorquendum, si nos quorundam ex eis arrogantiae adversantes, ipsorumque mendacia et maliciam involuntarie detegentes, magis volumus exemplo capitis nostri, in suorum superbe nimis erectorum capitum Choreizantem pervicaciam, confusionis obprobrium redundare, quam nostrae innocentiae impingi posse maculam, quam nos non credimus meruisse.

Sane non sufficientibus nuper ipsorum proterviae garrulis detractionibus, quibus longe lateque conati sunt mendaciter laedere famam nostram, quidam ipsorum, ut creditur, non modicus suo sensu, qui, cum loqui nesciret, tacere non potuit, non veritus apostolicam sententiam in consecratione pontificis [3] sic dicentem: « Quicumque tibi maledixerit sit ille maledictus » maledictam paginam et infame folium ausus est in nostri praejudicium publicare; quin potius in injuriam omnium ecclesiae praelatorum, et illius etiam summi hierarchiae, qui pro subditis sibi ait hierarchis [4]: « Quis vos spernit, me spernit ». — Cujus

1) Num., XXVI, 11.

2) Ioan., VI, 61.

3) Pontifical romain, Préface de la consécration des évêques, cfr. P. DE PUNIET, *Le Pontifical Romain, histoire et commentaire*, t. II, Paris-Louvain, 1931, p. 39.

4) Luc, X, 16.

folii est acephalum principium, malignum medium et finis fatuus et deformis. Acephalum inquam principium, quia tacito nomine quasi latro ex latebris sagittas proficiens toxicatas, proditoris more clam nisus est frustra pastorem percutere, quem scutum protegit veritatis, non formidans illud legale tonitruum, quo cavetur [1] : « Maledictus, ait, qui clam percusserit proximum suum, multoque magis patrem suum, et dicet omnis populus : amen ».

In finem tamen decidit dedecentem, qui volens suam audaciam palliare, ut ait, clavum clavo retundere, Paulo se apostolo comparavit, Petrum deficientem humanitus arguentem; cum Paulus Petro non convitiis et mendaciis, ut ipse nobis, sed sincerae testimonio restiterit veritatis. Licebat quidem Apostolo in casu illo coapostolum arguere nimis legales exequias prosequenti, ne pararetur praejudicium gratiae Salvatoris, sed non licet monacho episcopum arguere pro veritatis regulis laborantem. Unde arguens Dionysius [2] Demophilum monachum, qui consimiliter erraverat, dicit in epistola in hunc modum: « Non est fas a monachis corrigi sacerdotem, quamvis contra divina impie agere videatur; et si in aliquo deficiat, a coordinatis sanctis corrigitur, ne ordo super ordinem pervertatur ». Hoc Dionysii. Erravit igitur monasticus, qui subditam hierarchiam professus in superiorem ausus est erigere linguam nequam cordis nunciam, stulta superbia habundantem, pro obedientia debita gradui parentali, vatem apostolum, verum probans [3] : « Erunt, inquit, homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes », quorum articulorum nullum sibi defuisse in hujusmodi arrogantia sequentia declarabunt.

Medium tandem vulpinum anfractuosis deductum callibus rectitudinis tramite declaremus. Fratrum siquidem Minorum simplicitatem vituperans involute dicit, quia si cornutam vereantur

1) Deuteron., XXVII, 24.
2) PS. DENYS, *Epistola* 8, cf. P. G., t. III, col. 1087.
3) II Tim., III, 2.

faciem, a veritate, ut placeant, declinabunt, quasi laudabiles sint ursi vel onagri, quorum ruditati cornua natura negavit, quia audent Christi arietes lacerare ; in hoc blasphemans pro utroque testamento insignia praelatorum. Hiis siquidem temporibus [1] bicornes sunt mitrae [2] pontificum, quia et cornuta apparuit facies Moysi ex consortio sermonis Domini, non solum ut utriusque testamenti praeferant armaturas, verum etiam ut regalis et sacerdotalis honoris gemini, juxta quod Melchisedech praesagiit, deferant diadema. In talibus autem apparet quid tractent secretius hujusmodi detractores ubi aures non metuunt alienas. Ipse vero summus pontifex, cujus est gloria sicut unicornis, consecratus in signum singularis et universalis imperii, mitram suscepit unicornem. Hiis enim et ceteris sacramentalibus insigniis subditi, Deum timentes, ad reverentiae meritum et intelligentiae spiritum multipliciter exercentur. Praeterea fratres Minores [3] ex institutionis suae primordiis reverentur Domini sacerdotes, ut in simplicitatis suae ordine persistentes gratiam consequantur. Denique, qui despiciunt gradum antistitum, essentialem ecclesiae ordinem, quantum in ipsis est, violant et perturbant et histrionicum corpus ecclesiae faciunt, dum pedes capiti superponunt, et sicut Apocalypsis [4] cecinit : « Perdunt montes et insulae locum suum, nec stellae huiusmodi in suo manent

1) Sur l'évolution de la forme de la mitre au cours du moyen-âge, cfr. E. ROULIN, *Linges, insignes et vêtements liturgiques*, Paris, 1930, p. 191-202.

2) L'interprétation fournit par Pecham se retrouve de même chez Guillaume Durant (*Rationale divinorum officiorum*, l. III, cap. 13, édit. Venise, 1568, fol. 50) : « Mitra autem scientiam utriusque testamenti designat : duo namque illius cornua duo sunt testamenta, anterius novum, posterius vetus... et illis tanquam duplici cornu fidei inimicos ferire. Videri debet quidem subditis episcopus cornutus, sicut et Moses apparebat cornutus Aaron et filiis Israel ».

3) Pecham fait ici allusion au chapitre XIX de la Regula prima des frères Mineurs.

4) Apoc. VI, 13-14.

ordine »; quin potius cauda draconis detractae deorsum in sui perniciem involvuntur. Procedens ulterius ausus nepharius spiritum in naribus innuit nos habere, cum spiritum habeat in naribus solus ille salvator Dominus, de quo hoc secundo scribitur Isaiae [1]: « Quiescite, inquit, ab homine, cuius spiritus in naribus ejus» glossa [2]: id est Christo. Non est igitur mirum, si nostram non expavit injuriam, qui ausus est blasphemare pro injuria creaturae gloriam creatoris, et communibus scripturae metaphoris in nos et fratres Minores impingere juxta paralogismum disciplinae, communibus circa propria sic abutens, ne posset circa propria mendaciis deprehendi.

Dicit nos opinionem de unitate formae rationibus et sanctorum testimoniis persequentes in mortuum impingere, quod est falsum ; quin potius ei, de quo loquitur, cum pro hac opinione ab episcopo Parisiensi [3] et magistris theologiae etiam a fratribus propriis argueretur argute ; nos soli eidem astitimus, ipsum prout salva veritate potuimus defensando, donec ipse omnes positiones suas quibus possit imminere correctio, sicut doctor humilis subjecit moderamini Parisiensium magistrorum. Non igitur ipsum persequimur sed arrogantiam nonnullorum, qui elatiores quam capaciores, audaciores quam potentiores, garruliores quam litteratiores praesumunt astruere, quod ignorant et juvenes seducibiles alliciunt in hoc ipsum. Nec modo, ut impostor astruit, incipimus talia impugnare ; quin potius dudum legentes Parisius, in Anglia et in Romana curia publice multis annis, Christi assistente gratia, non cessavimus in hiis et in aliis imperterrite irreprehensam astruere veritatem. Opinionum siquidem diversitas apud philosophos non solvit amicitiam ; sed inter modernos vaniloquos cordis transiit in affectum.

Demum unicam nos voluit tenere formam silentii loquax ipse, qui circa declarandam formarum multitudinem laboramus,

1) Isai. II, 22.
2) Glossa ordinaria, cfr. P. L., t. CXIII, col. 1238.
3) Etienne Tempier.

et utinam ipse doceat, qui sunt illi homines multiformes, de quibus legitur in Apocalypsi IX[1] « Similitudines, inquit, locustarum similes equis paratis ad praelium, et super capita eorum coronae similes auro, et facies eorum sicut facies hominum; et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes earum sicut dentes leonum; et habebat loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum multorum equorum currentium in bello; et habebant caudas similes scorpionum ». Locustae secundum legem sunt mundae; per similitudines igitur locustarum intelligitur apparentia munditiae; et in equis paratis ad praelium effraenatio audaciae et discursus; in coronis non aureis, sed auro similibus, inanis gloriatio de titulo doctrinae; in faciebus hominum mansuetudinis simulatio; in capillis mulierum malitiosa machinatio; in dentibus leonum irreverens detractio; in loricis quasi ferreis incorrigibilis obstinatio; in sonitu alarum multitudinis excitatio ad hoc ipsum; in caudis scorpionum attractio principum reproborum, qui, secundum glossam[2], per caudas huiusmodi designantur; quia sequuntur nutus hujusmodi multiformium monstrorum, a quibus in sua malitia confortatur, quia monstruose a monstris hujusmodi absolvuntur in notoriis sceleribus pertinaces. Cum igitur hujusmodi homines sint in veritate futuri, Domino permittente, caveat sibi quilibet, ne formas hujusmodi secundum aliquid participans inter primitias talium reputetur. An non est multiformis plusquam Proteus mutans vultum et similis adulterae, quae tergens os suum dicit[3]: « Non sum operata malum », qui in fine folii supradicti dicit, se paternam gratiam in patientia et silentio expectare, quem in praecedentibus mendaci garrula nisus est fama laedere et animo provocare?

Praeterea noverit ipse, quod philosophorum studia minime reprobamus, quatenus mysteriis theologicis famulantur; sed

1) Apoc. IX, 7-10.
2) Glossa ordinaria, cfr. P. L., t. CXIV, col. 727.
3) Prov. XXX, 20.

profanas vocum novitates, quae contra philosophicam veritatem sunt in sanctorum injuriam citra viginti annos in altitudines theologicas introductae, abjectis et vilipensis sanctorum assertionibus evidenter. Quae sit ergo solidior et sanior doctrina, vel filiorum sancti Francisci, sanctae scilicet memoriae fratris Alexandri ac fratris Bonaventurae et consimilium, qui in suis tractatibus ab omni calumnia alienis, sanctis et philosophis innituntur; vel illa novella quasi tota contraria, quae, quidquid docet Augustinus de regulis aeternis et luce incomutabili, de potentiis animae, de rationibus seminalibus inditis materiae et consimilibus innumeris, destruat pro viribus et enervat, pugnas verborum inferens toti mundo; videant antiqui, in quibus est sapientia, videat et corrigat Deus coeli. Zizania nos impudenter asserit seminasse, cum nos in hac parte potissimi seminatoris sui praedecessoris nostri tantummodo semina renovemus, ut superseminata zizania sanctorum tritico jam ad messem parata falce ecclesiastica in agro nostrae solicitudini credito, concurrente industria sapientiorum Cantuariensis provinciae messorum, ut possumus, extirpemus. Et utinam ille, in cujus manu corda sunt regum, summo pontifici parasset vacandi spatium et in hoc ejus animum inclinasset, ut vellet ipse zizania a tritico distinguere, credita sibi clavium potestate, ut appareret, qui sint illi validi defensores opinionum mortui, de quibus iactator iste falso, ut credimus, gloriatur, nisi forte lateant apud antipodes vel cum gymnosophitis disputent, constellationem congruam expectantes, si qua sit, idonea phantasmata proponendi.

Fraternitatem igitur vestram obnixis precibus exoramus, quatenus super gregem vestrum sollicite vigilantes, si quos inveneritis praedicto infamiae folio praecipitatos in errorem juris aut facti, studeatis eos praesentis paginae asseveratione veridica in veritatis tramitem revocare; et cum doctrina unius ordinis sit tota pene contraria doctrinae alterius, exceptis fidei fundamentis, nec potest esse vero contrarium nisi falsum, pensetis, quantum sit periculum, tam multiplicem falsitatem habere pene per orbis spatium improbos defensores, quorum nonnulli

correctioni praelatorum ecclesiae et doctorum catholicorum despiciunt subjacere. Valeat fraternitas vestra per tempora longiora.

Datum apud Warham Sarisburiensis diocesis, kal. junii anno Domini MCCLXXXV.

Lettre adressée à Olivier Sutton, évêque de Lincoln[1] *(26 mars 1287).*

Venerabili fratri, sibique in Christo karissimo, domino.. Dei gratia episcopo Lincolniensi[2] frater J. etc.

Gressus illi seu processus ecclesiae divinitus commendantur, qui exemplis patrum praecedentium quasi calceis adornantur. Ad hoc dirigentes oculum, dudum vobis scripsimus, ut quod nos negligenter omisimus Oxoniam visitantes, vos vestra diligentia suppleretis ; praevia scilicet diligentia inquisitionis, certificantes nos de quibusdam sanctae memoriae decessoris nostri processibus circa reprobationem quorundam articulorum falsi nominis scientiae in Oxoniensi studio repertorum, ipso ibi metropolice visitante. Et quia hoc per vos nondum esse factum querimur, urgentia mandati cogimur, cujus copiam vobis mittimus praesentibus interclusam, vobis scribere iterato, ut excluso dilationis taedio, inquiratis vel inquiri faciatis, cum omni diligentia, qua potestis, de sententiis et processibus habitis per decessorem nostrum bonae memoriae circa ista. Quid autem inde feceritis, et quid inveneritis nobis rescribatis ad ultimum in congregatione nostra London. proxime secutura, per vestras patentes litteras, harum seriem continentes.

Datum apud Wengham, V. kal. aprilis anno Domini M. CC. LXXXVII, ordinationis nostrae nono.

---

1) Edition : WILKINS, *Concilia*, t. II, p. 127 ; MARTIN, *Registrum*, t. III, p. 944 ; EHRLE, *Iohn Peckham*, p. 187.

2) Olivier Sutton.

XLVI — *Au cours d'une condamnation portée contre des thèses extraites des oeuvres de Richard Knapwell, Jean Pecham confirme celle prononcée en 1277 par Robert Kilwardby* [1]. *(30 avril 1286).*

In nomine Domini, amen. Anno eiusdem M. CC. octogesimo sexto, indictione quartadecima, ultima die mensis aprilis, reverendus in Christo pater dominus Iohannes, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, totus Angliae primas, pro tribunali sedens in ecclesia beatae Mariae de Arcubus London., assistentibus sibi venerabilibus patribus dom. Olivero [2] Lincolnien., Godefrido [3] Wygornien. et Ricardo [4] Hereforden., episcopis, presentibus etiam venerabilibus viris magistris Gilberto de Sancto Leofardo [5] officiali curiae Cantuarien., Herveo de Saham [6] cancellario universitatis Oxonien., Petro de Sancto Mario archidiacono Surreyae, Henrico de Nassington officiali Lincolnien., Rogero de Sevenak officiali Hereforden., Roberto de Lascy iuris civilis professore, Iacobo de Moun et aliis pluribus solemnibus et venerabilibus personis, in multitudine copiosa, infrascriptos errores [7], quos de novo audierat in sua provincia su-

1) Edition: WILKINS, *Concilia*, t. II, p. 123-124; MARTIN, *Registrum*, t. III, p. 922-923.

2) Olivier Sutton.

3) Godefroid Giffard, évêque de Worcester, cfr. T. F. TOUT, art. *Giffard*, dans *Dictionary of National Biography*, t. VII, p. 1172-1173.

4) Ricard de Swinfield, évêque d'Hereford, cfr. TOUT, art. *Swinfield*, dans *Dictionary of National Biography*, t. XIX, p. 232-234.

5) Gilbert de S. Lifard devenu évêque de Chichester en 1288 (5 septembre); cfr. TOUT, art. *Gilbert*, dans *Dictionary of National Biography*, t. VII, p. 1197-1199.

6) Hervée de Saham, chancellier de l'université d'Oxford d'avril 1286 à l'automne 1288, cfr. SALTER, *Snappe's Formulary*, p. 323.

7) Sur la condamnation de Richard Knapwell, cfr. *Annales de Oseneia*, p. 306-307; *Annales de Dunstaplia* (*Annales Monastici* t. III), p. 323-325, et les nombreuses indications fournies par

scitatos, tanquam haereses declaravit... Illos insuper, qui contra inhibitionem praedecessoris nostri et nostram ac venerabilis fratris .. Lincolnien. episcopi, de consilio Oxonien. magistrorum, spretis inhibitionibus nostris, opinionem de unitate formarum defendere praesumpserint, pronunciamus incidisse in penas a praedecessore nostro huiusmodi praesumptoribus impositas et a nobis postea confirmatas ; quas poenas eisdem imponi volumus indilate, et nihilominus illos qui super talia fundamenta praedictas haereses seminarunt, ut dicitur, cum convicti fuerint vel confessi, volumus prout iustum fuerit, in forma canonica subiici ecclesiasticae disciplinae.

XLVII — *Charles I, roi de Sicile, ordonne de payer à fr. Pierre d'Alamanon les sommes nécessaires à ce religieux pour l'achat de différents volumes, parmi lesquels figurent des ouvrages de fr. Thomas d'Aquin* [1]. *(Avant* [2] *1292).*

Religioso viro fratri Petro de Alamannono [3], ordinis Praedicatorum, filio quondam Bertrandi de Alamannono [4] provisio pro solutione quantitatis pecuniae pro emendis libris theo-

---

GLORIEUX (*Les premières polémiques thomistes*, p. LII-LIV) et par J. KOCH (*Philosophische u. Theologische Irrtumslisten von 1270-1329*, dans *Mélanges Mandonnet*, t. II, Paris, 1930, p. 308).

1) Edition : C. MINIERI RICCIO, *Nuovi studi riguardanti la dominazione angioina nel regno di Sicilia*, Naples, 1876, p. 7 ; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*.

2) L'acte original ne figure plus dans les registres de la chancellerie angevine conservés à l'Archivio di Stato à Naples. Le regeste ici donné est extrait des résumés des registres angevins faits par De Lellis. La date indiquée résulte du fait que fr. Pierre d'Alamanon fut chargé de cet achat avant sa nomination au siège de Sisteron en 1292.

3) Sur fr. Pierre d'Alamanon, cfr. ALBANÈS, *Gallia christiana*, t. I. col. 721-724.

4) Sur le troubadour provençal Bertrand d'Alamanon, cfr. ROMAN D'AMAT, art. *Alamanon*, dans *Dictionnaire de Biographie*

logiae videlicet summam fratris Thomae cum concordantiis novis super Bibliam, et compilatione originalium sanctorum ab eodem fratre Thoma edita.

XLVIII — *Théodora, comtesse de Marsico et soeur de fr. Thomas d'Aquin, obtient de la cour royale diverses décisions pour la protection de ses droits* [1]. (*25 juillet 1285 — 13 novembre 1294*).

Pro comitissa Marsici.

Scriptum est eidem iustitiario etc.

Pro parte nobilis mulieris domine Theodore [2] de Aquino, Marsici comitisse, fuit nobis [expositum] quod... [ausu] temerario ductus auctoritate propria per violentiam destituit eam quadam massaria quam ab ecclesia [3] monasterii... [tenuerat, in eius], grave dispendium et iacturam, propter quod supplicavit humiliter maiestati nostre sibi possessionem ipsius massarie... [restitui iuxta constitutionem de violentis] spoliationibus editam benignius dignaremur. Cum igitur iniuste spoliatis sit restitutionibus beneficio [providendum, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus] attenta forma constitutionis ipsius et in omnibus observata, in causa ipsa summarie procedatis si vera inveneritis [que sunt exposita et ad restitutionem cum fructi-

---

française, t. I, Paris, 1933, col. 1107-1109 et la bibliographie fournie par cet auteur.

1) Edition : SCANDONE, *Documenti e congetture*, p. 25-28 ; SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 57-59.

2) Sur Theodora, soeur de Thomas d'Aquin, cfr. SCANDONE, *La Vita... di S. Tommaso*, p. 57-61.

3) On sait par un résumé de cet acte, dont le texte nous est parvenu en assez mauvais état, que l'usurpateur était le chevalier (miles) Nicolas de Bari et que la métairie, dont parle notre document, avait été donnée à la soeur de Thomas d'Aquin par l'église de Santa Maria à Banzi (commune de la province de Matera).

bus] inde perceptis per predictum dominum Nicolaum et prefate eidem comitisse faciendam protinus procedatis iustitia mediante, regie [nostre curie iuribus semper salvis et caveatis ne ad maiestatis nostre presentiam denuo] habeat materiam conquerendi.

Datum Tarenti die XXV iulii, XIV indictionis.

Pro comitissa Marsici. Scriptum est baiulo et officialibus aliis terrarum et locorum castro Genzano adiacentium fidelibus regiis devotis suis etc... Magnifice mulieris domine Theodore de Aquino, comitisse Marsici, habet petitio nuper in curia nobis oblata quod vos in animalibus suis, que ad castrum Genzani ad sumendum in ipsis partibus pascua de comitatu suo predicto ex imminenti ibi molesto guerrarum [1] discrimine transduci fecit, dampna infertis plurima et pressuras custodientes ea diversimode molestando. Super quo comitissa eadem provisionis nostre oportuno remedio implorato: (*suivent les ordres donnés*).

Datum Neapoli die VIII aprilis, V indictionis.

Pro Riccardo Roggerii de Salerno. Scriptum est nobili mulieri Theodore de Aquino, comitisse Marsici, etc... Riccardus Roggerii de Salerno miles, familiaris et fidelis noster in nostra constitutus presentia, nobis exposuit quod tu taliter proposito quatenus idem Riccardus quibusdam de Sancto Severino barrilia vini in foro Salerni astulisset, cum in veritate non ipse sed quidam alii et magistri fori civitatis eiusdem ad hoc per universitatem eiusdem terre nostrarum litterarum auctoritate statuti per quas universitati dicte terre conceditur, quod per certa tempora vinum aput Salernum non portetur exterum ad vendendum, dictis hominibus Sancti Severini vinum ipsum astulisse

1) Le péril de guerre, auquel fait allusion le document, était constitué par l'avance des troupes aragonaises de la Calabre vers la Basilicata: on était, en 1292, au moment le plus rude de la guerre des Vêpres Siciliennes.

dicantur, auferri de tua voluntate de ospicio suo seu vegetario prefati Riccardi, quod in pertinentiis Sancti Severini habere se asserit non modicum vini greci quantitatem violenter fecisti et reddere denegas, quamquam super ipsius restitutione fueris ut asserit pluries requisita. Cumque supplicaverit sibi super hoc secundum iustitiam provideri, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si tamen veritas sic se habet predictum vinum taliter de tuo mandato ablatum ipsi militi, si extat, statim restitui facias vel pro eo circa solutionem equivalentis pretii debitam satisfactionem impendas, ita quod iuste illi deinceps querele materia non supersit, alias cum eundem militem deesse in suo iure nequaquam possimus, iustitiario principatus per alias nunc iniungimus litteras ut te ad restitutionem dicti vini seu satisfactionem equivalentis pretii compellere debeat, ut est iuris.

Datum Neapoli per tenentem locum [1] prothonotarii [2] etc... die XII novembris, VIII indictionis.

---

1) Le 8 septembre 1294, Charles II donna à Barthélemy de Capoue, protonotaire à vie, le droit de se choisir deux lieutenants qui furent André d'Isernia, célèbre jurisconsulte (sur André d'Isernia, cfr. A. PROLOGO, *Due grandi giureconsulti del sec. XIII: Andrea de Barulo e Andrea d'Isernia*, Trani, 1914) et Andrea Acconzaioci de Ravello professeur de droit civil, aux gages de cent onces d'or par an et de huit onces pour leurs robes, cfr. L. CADIER, *Essai sur l'administration du royaume de Sicile sous Charles I et Charles II d'Anjou* (*Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome, fasc. 59*), Paris, 1891, p. 208-209.

2) Barthélemy de Capoue, cfr. C. MINIERI RICCIO, *De' grandi Ufficiali del regno di Sicilia dal 1265 al 1285*, Naples, 1872, p. 135-148; CADIER, *Essai*, p. 207-212.

XLIX — *Catalogue des écrits de fr. Thomas d'Aquin, conservé à l'abbaye de Stams*[1]. *(Vers 1311*[2]*).*

Frater Thomas de Aquino, natione Siculus, magister in theologia, scripsit :

Fallacias minores.
Super peryermenias.
Super librum posteriorum.
De ente et essentia.
De elementis in mixto.
De materia prima.
De dimensionibus interminatis.
De principio individuationis.
De principiis nature.
De operibus occultis nature.
De eo quod est et quo est.
De motu progressivo animalium.
De motu cordis.
De eternitate mundi.
De iudiciis astrorum.
De sortibus.
Contra unitatem intellectus.
De unitate forme.
De genere.
De accidente.
De relatione
De instantibus.

---

1) Edition : H. DENIFLE, *Quellen zur Gelehrtengeschichte des Predigerordens im 13. und 14. Jahrhundert,* dans *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters,* t. II, 1886, p. 237-238 ; P. MANDONNET, *Des Ecrits authentiques de saint Thomas d'Aquin,* 2 édit., Fribourg, 1910, p. 92-94 ; MICHELITSCH, *Thomasschriften,* p. 113-116.

2) Pour la date ici indiquée, cfr. MANDONNET, *Des Ecrits authentiques,* p. 89.

De fato.
Super Boetium de ebdomadibus.
De fide, spe et caritate, ad Urbanum papam.
De virtutibus.
De verbo.
De decem preceptis.
Contra inpugnantes religionem.
De correctione fraterna.
De forma absolutionis.
De perfectione vite spiritualis.
De duabus naturis in una essentia [*lege :* persona].
Item de articulis fidei.
De sacramentis.
De angelis.
Super Pater noster et Ave maria.
Super Symbolum et Magnificat.
De genealogia beate Virginis.
Super primam decretalem.
Super libros physicorum.
Super de celo et mundo.
Super methororum.
Super de generatione et corruptione.
Super de anima.
De sompno et vigilia.
De memoria et reminiscentia.
De sensu et sensato.
Super methaphysicorum.
Super libros ethicorum et politicam.
De morte et vita.
Super de causis.
De regno ad regem Cipri.
Super Iob.
Super Ysaiam et Ieremiam.

Super Matheum, Marcum, Lucam et Iohannem dupliciter: per modum postille et glosse.

Item questiones super Boetium de trinitate.

Super XV capitula Mathei.

Super Dionisium de divinis nominibus.

De celesti yera[r]chia.

Super Cantica.

Item sermones de angelis.

Item sermones de quadragesima.

Super omnes libros Sententiarum.

Item scripsit summam continentem quatuor volumina.

Item summam contra Gentiles.

Questiones de veritate. De potentia Dei. De spiritualibus creaturis. De anima. De virtutibus. De malo.

Item scripsit XII quodlibet.

Determinationes super LII [*lege:* XLII] questionum ad magistrum ordinis Predicatorum.

Item determinationes XXXVI questionum ad Geroldum Bisuntinum.

Item declarationes quarundam questionum ad ducissam Brabantie.

Item contra errores Grecorum.

Item scripsit super nocturnum primum, secundum et tertium.

Item super omnes epistolas Pauli.

L — *Actes des Chapitres généraux des frères Prêcheurs concernant la doctrine et les ouvrages de fr. Thomas d'Aquin (1286-1324).*

Chapitre de Paris. Juin 1286, sous maître Munoz de Zamora [1].

Item, districtius iniungimus et mandamus ut fratres omnes et singuli, prout sciunt et possunt, efficacem dent operam ad doctrinam venerabilis magistri fratris Thome de Aquino, recolende memorie, promovendam et saltem, ut est opinio, defendendam. Et si qui contrarium facere attemptaverint assertive, sive sint magistri, sive baccallarii, lectores, priores et alii fratres etiam aliter sentientes, ipso facto ab propriis officiis et gratiis ordinis sint suspensi, donec per magistrum ordinis vel generale capitulum sint restituti. Et nichilominus per prelatos suos seu visitatores iuxta culparum exigentiam condignam reportent penam...

...Committimus magistro ordinis ordinationem studiorum generalium ut ipse de magistris et baccallariis ordinet et disponat prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Chapitre de Cologne. Mai 1309, sous maître Aymeric de Plaisance [2].

Volumus et districte iniungimus lectoribus et sublectoribus universis, quod legant et determinent secundum doctrinam et opera venerabilis doctoris fratris Thome de Aquino, et in eadem scolares suos informent, et studentes in ea studere cum diligentia teneantur. Qui autem contrarium fecisse notabiliter inventi fuerint, nec admoniti voluerint revocare, per priores provinciales

---

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 6 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. I, p. 235 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, p. 169-170.

2) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 138 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 38 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, p. 170.

vel magistrum ordinis sic graviter et celeriter puniantur, quod sint ceteris in exemplum...

Concedimus studentibus, qui sunt extra suas provincias..., quod pro suis necessitatibus, si aliunde sibi providere non possint, libros suos, Biblia dumtaxat et fratris Thome operibus exceptis, possint vendere de prioris sui, magistrorum, baccalareorum seu lectorum vel maioris partis eorum consilio et assensu.

Chapitre de Metz. Juin 1313, sous maître Bérenger de Landore [1].

Cum doctrina venerabilis doctoris fratris Thome de Aquino sanior et communior reputetur, et eam ordo noster specialiter prosequi teneatur, inhibemus districte quod nullus frater legendo, determinando, respondendo, audeat assertive tenere contrarium eius, quod communiter creditur de opinione doctoris predicti, nec recitare aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem doctorum sententiam, in hiis, que ad fidem vel mores pertinere noscuntur, nisi reprobando et statim obiectionibus respondendo. Quicumque autem per provincialem vel eius vicarium, qui super hiis inquirere teneantur, ex certa scientia in aliquo premissorum inventus fuerit deliquisse, per eosdem, cum eis legitime constiterit, a lectoratus officio vel studio absolvatur in penam; si tamen alias de huiusmodi sit notatus. Quod si ex talibus opinionibus pertractatis scandalum aliquod sit subortum, volumus quod acrius puniatur et ad revocandum nichilominus compellatur. Lectores quoque de textu Biblie plus solito legant, et in lectura de Sententiis ad minus tres vel quatuor articulos de doctrina fratris Thome pertractent, prolixitate onerosa vitata. Nullus etiam ad studium Parisiense mittatur, nisi in doctrina fratris Thome saltem tribus annis studuerit diligenter.

---

1) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 166 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 64-65 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, p. 170-171.

Chapitre de Londres. Juin 1314, sous maître Bérenger de Landore[1].

Cum circa reformationem studii cura et cautela sit diligens adhibenda, volumus et ordinamus, quod in studiis theologie generalibus et etiam particularibus, in quibus dumtaxat XIIII sunt studentes, ad provinciale capitulum provisio pertinebit, quod de sufficiencioribus provincie ponantur sententiarum cursores ; et si talem non posuerint, qui ad ea, que sequuntur, sufficiat, per magistrum ordinis taliter puniantur, quod sit ceteris in exemplum. Dictus autem cursor teneatur sentencias integraliter legere infra annum, maxime in studio generali, qui sequenti anno in eodem conventu magistri studentium fungatur officio et semel disputare in qualibet septimana, si sit possibile, teneatur. Qui statim post pascha incipiat legere de phylosophia morali vel de aliquo tractatu fratris Thome vel alternatim de istis et continuet saltem usque ad kalendas augusti. Ad cuius lectiones omnes studentes teneantur venire. Hic teneatur omni anno super animam suam fidele testimonium perhibere magistro ordinis vel generali capitulo scribere, que sequuntur, videlicet : quid et quantum lectores legerint, quociens disputaverint, quomodo fratres ordinaciones generalis capituli Metensis circa studium servaverint, qualiter priores studium promoverint et libertates studentibus servaverint, quas volumus inviolabiliter observari... Hanc autem ordinacionem isto anno volumus inviolabiliter observari.

Chapitre de Bologne. Mai 1315, sous maître Bérenger de Landore[2].

Magister studentium observabit et referet magistro ordinis in studiis generalibus, et provinciali et diffinitoribus in aliis

1) Edition : REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 72-73 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, p. 171.

2) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 173-174 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 81-84 *Analecta... Praedicatorum* t. XVI, p. 171-172.

studiis, quid, quantum et quomodo lectores legent et in anno quotiens disputabant ; insuper si docuerint contra communem doctrinam Thome, aut contra communes opiniones ecclesie tangentes articulos fidei, bonos mores vel ecclesie sacramenta, aut si contra ista aut aliquid istorum adduxerint rationes, quas dimiserint insolutas. Super quibus eos primo cum debita reverentia amonebit ; quod si se non correxerint debite revocando, provinciali vel eius vicario referat verbo vel scripto, si magister ordinis non fuerit in propinquo. Qui si invenerit ita esse, eos absolvat ab officio lectionum. Advertat etiam magister studentium, si aliquid contra doctrinam Thome aut erroneum vel suspectum seu errori propinquum invenerit in scriptis vel reportationibus quibuscumque. Quod si aliquid tale suo iudicio poterit invenire, statim significare magistro ordinis non obmittat. Ad quod faciendum lectores et cursores studiorum generalium, necnon et alii fratres ad hoc apti maneant obligati...

Item, cum studentes ad profectum scientie pervenire non valeant sine libris, et de studentibus qui mittuntur per provincias Parisius ad studendum magna spes habeatur quod congruo tempore cum edificatione aliorum possint ordinem honorare, volumus et ordinamus, quod provinciales modum aliquem debeant invenire, per quem, antequam Parisius vadant, possint eisdem de libris necessariis provideri, ne propter defectum librorum impediatur fructus qui de eorum profectu creditur evenire ; quem modum provinciales secum portent ad sequens capitulum generale [1]...

---

1) A la suite de cette ordination du chapitre général, le chapitre de la province de Toulouse, tenu à Saint-Emilion le 6 juillet 1315, décréta : « Item quare studentes qui mittuntur Parisius aptiores inter ceteros ad profectum sciencie communiter eliguntur, ne propter nimiam librorum inopiam fructus qui ex eorum studio congruo tempore expectatur notabiliter deperdatur, volumus et ordinamus quod cuilibet fratri per provinciam assignato, antequam vadat Parisius ad studendum, conventus ad cuius instanciam et petitionem assignatus fuerit teneatur sibi de competenti biblia, summis et historiis providere ; et prior provincialis ad primam requisitionem talium

Interdicimus autem provincialibus et diffinitoribus, quod fratres ad studia generalia extra provinciam mittere non presumant, nisi prius in aliquo studio sue provincie vel extra in theologia studuerint tribus annis...

Item, cum longum tempus et exercitium magnum ad profectum scientie requiratur, volumus et ordinamus quod studentes, qui per provincias ad studium Parisius transmittuntur, inibi ad minus duobus annis in studio relinquantur...

Item, cum ad communem profectum fratrum sit utile quod libri multi et boni in communi armario habeantur, volumus et ordinamus districtius iniungentes, quod libri questionum fratris Thome, scripta super Bibliam secundum ipsum aut alie questiones seu libri utiles, qui ad conventus de cetero quocumque titulo pertinebunt, non possint vendi nec alienari quomodolibet per quemcumque, sed in communi armario integraliter reponantur et, si ad hoc apti fuerint, non possint inde per aliquem amoveri nisi predicti libri fuerint in armario duplicati. In conventibus autem in quibus sunt studia generalia vel ubi magistri in theologia fuerint, hec magister ordinis precipit diligentius observari donec omnia scripta fratris Thome et maxime in theologia ibidem integraliter habeantur.

Chapitre de Rouen. Mai 1320, sous maître Hervé de Nédellec [1].

Cum de canonizacione fratris Thome de Aquino bona spes habeatur, volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus, quod tot florenos ad sequens capitulum generale mittere teneantur, quot fratrum conventus in suis provinciis habeantur; quem florenorum numerum per conventus suarum provinciarum condividant, secundum quod eis videbitur expedire.

---

conventus predictos ad tradendum dictos libros compellere teneatur ». (DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 144).

1) Edition : DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 44, note 9 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, p. 123 ; *Analecta... Praedicatorum*, p. 172.

Chapitre de Vienne. Juin 1322, sous maître Hervé de Nédellec[1].

Iste sunt inchoationes : ...Cum ordo noster debeat se sancte Romane ecclesie, in quantum possibile est, in divino officio conformare et in eo precipue, quod per ordinem nostrum de mandato apostolico est confectum, volumus, quod officium de corpore Christi, per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat v[a] feria post festum Trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitis annotetur[2].

Chapitre de Bordeaux. Juin 1324, sous maître Barnabé de Verceil[3].

Inchoamus, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marcii totum duplex et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur ; et illud officium per totum ordinem uniformiter habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui ex nunc committimus de predicto officio providendum ; et hoc tam de festo quam de officio suis locis in kalendario et ordinario annotetur. Volumus autem et ordinamus quod interim de eo sicut de uno confessore officium per totum ordinem celebretur.

1) Edition : DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 53 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 138 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, p. 172-173.

2) L'ordination du chapitre de Vienne fut reprise en 1323 par le chapitre de Barcelone et en 1324 par le chapitre de Bordeaux, cfr. REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 144, 151.

3) Edition : DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 44 ; REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 151 ; *Analecta... Praedicatorum*, t. XVI, p. 173.

LI — *Pénitence infligée par le Chapitre de la Province Romaine, célébré à Arezzo, à fr. Hubert Guidi pour avoir critiqué la doctrine de fr. Thomas d'Aquin* [1]. *(1315).*

... Quia frater Ubertus Guidi [2], bacellarius Florentinus, hoc anno in conventu Florentino dum disputaretur de Quolibet in conspectu multitudinis fratrum, secularium, clericorum et aliorum religiosorum temerarie, non solum in ipsa disputatione [3], set etiam in cathedra dum legeret, multa assertive dixit contra sanam et sacram doctrinam venerabilis doctoris fratris Thome de Aquino, quodque in irreverentiam prefati sacri doctoris et contra reverentiam sui lectoris superbe et arroganter multa dixit, quod etiam inauditum est determinando in cathedra contra determinationem ipsius sui lectoris, prout omnia clare probata sunt, tam per suamet verba quam etiam per testimonia veridicorum et scientificorum studentium qui presentes in omnibus extiterunt: ne talis et tanta culpa, sicut non debet, pertranseat impunita et sibi sit ac ceteris fratribus in posterum in documentum pariter et exemplum, non plus sapere quam oporteat sapere sed sapere ad sobrietatem, habita super predictis diligenti consultatione cum discretis et scientificis fratribus, imponimus ac districte mandamus eidem fratri Uberto ut illa que sic temerarie et contra veram doctrinam prefati doctoris dixit coram multis sic congregata multitudine fratrum et aliorum litteratorum virorum, secularium, clericorum et aliorum religiosorum studeat illa pure et sincere ac humiliter retractare prout et quando reverendus pater prior provin-

1) Edition: MASETTI, *Monumenta et antiquitates*, t. I, p. 138 (fragment); DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 175; TAURISANO, *Discepoli e biografi*, p. 178.

2) Sur frère Hubert Guidi, cfr. TAURISANO, *Discepoli e biografi*, p. 143-145.

3) L'ordonnance de la dispute quodlibétique médiévale a été étudiée par P. GLORIEUX dans son volume sur *La Littérature quodlibétique de 1260 à 1320* (*Bibliothèque thomiste t. V*), t. I, Kain, 1925, p. 41-51.

cialis [1] sibi duxerit imponendum, et ipsum per biennium omni lectione omnique disputatione cuiuscumque facultatis ac magisterio studentium et omni actu scolastico privamus. Et ipsum de conventu Florentino removemus et Pistoriensi conventui assignamus et decem dies in pane et aqua ieiunandos sibi damus.

LII — *Ordination du chapitre de la Province de Toulouse, tenu à Orthez, concernant l'enseignement de la doctrine de fr. Thomas d'Aquin* [2]. *(24 juin 1316).*

Cum quidam tractatus, scripta seu reportationes theologie a fratribus nostri ordinis compilati nondum examinati, fratres a communi et salubri doctrina retrahant et possint dare saltem simplicibus occasionem errandi, iuxta id quod circa huiusmodi est nobis impositum per capitulum generale [3], inibemus districte lectoribus et sublectoribus universis, quod nullus conclusionem aliquam doctrine communi oppositam in scolis audeat asserere vel docere. Et ut istud melius observetur, volumus et imponimus quod cum dictis, scriptis et quolibet dictorum venerabilium fratrum Thome et Alberti et domini Petri de Tarantasia suas legant et continuent lectiones. Qui autem contrarium fecisse fuerint deprehensi, statim cum provinciale capitulum constiterit per ipsum a suis officiis absolvantur, et nichilominus penis aliis arcius puniantur.

---

1) Fr. Lapo de Prato, cfr. MASETTI, *Monumenta et antiquitates*, t. I, p. 295.

2) Edition: DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 157.

3) Allusion aux ordinations des chapitres généraux tenus à Metz en 1313 et à Montpellier en 1316, cfr. REICHERT, *Acta capitulorum generalium*, t. II, p. 65, 93-94.

LIII — *Liste des ouvrages de fr. Thomas d'Aquin conservés dans la bibliothèque de Boniface VIII, d'aprés l'inventaire dréssé à Pérouse en 1311* [1].

Item officium corporis et sanguinis domini nostri Ihesu Christi, notatum, quod incipit in secundo folio : *sit servum*, et finit in penultimo : *fide*, et habet coperturam de corio rubeo...

Item unum librum parvum, in quo continetur officium corporis domini, notatum nota gallica, et habet legendam suam, qui incipit in secundo folio : *manducamus*, et finit in penultimo : *nostri alleluia*, et est in tabulis de ligno cohopertis de corio rubeo antiquo et habet duo clausoria...

Item quoddam volumen sacre scripture, scriptum de opere fratris Thome de Aquino, quod incipit in secundo folio : *habeat rationem*, et finit in penultimo : *primam gratiam*, et est in tabulis ligneis cohopertis de corio rubeo, et habet quatuor clausoria satis vilia...

Item summam fratris Thome de Aquino de incarnatione Domini, scriptam de bona nota in cartis edinis, que incipit in secundo folio : *humane vite*, et finit in penultimo ; *esse meritorium*, et est in tabulis ligneis cohopertis de corio viridi, et habet quatuor clausoria de serico guarnita de octone...

Item unam summam de divina scriptura fratris Thome de Aquino, que incipit in secundo folio : *revelatione*, et finit in penultimo : *positus fuerit*, et est in tabulis cohopertis de corio rubeo.

1) Edition : F. EHRLE, *Historia bibliothecae Romanorum pontificum*... t. I, Rome, 1890, p. 28-29, 31-32, 74, 82-83 ; MICHELITSCH, *Thomasschriften*, p. 97-99. - Sur la confection de l'inventaire de la bibliothèque de Boniface VIII on consultera, avec le travail de Ehrle déja cité, M. FAUCON, *La Librairie des papes d'Avignon, sa formation sa composition, ses catalogues, 1316-1420, (Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome, fasc. 43 et 50)*, t. I, Paris, 1886, p. 3-18.

Item aliam summam maiorem proxima precedenti eiusdem fratris Thome de Aquino, que incipit in secundo folio : *vident,* et finit in penultimo : *tria possunt,* et est in tabulis cohopertis de corio rubeo cum IIII^or clausoriis de octone...

Item aliquos sermones dominicales et festivos fratris Thome de Aquino pro toto anno, antiquos, in parvo volumine, de subtili nota, in cartis pecudinis, qui incipiunt in secundo folio : *prima mundi illuminatio,* et finiunt in penultimo : *iam concupiscentiam,* et habent aliquam particulam tabularum in utraque parte.

Item unum parvum librum sive summam de fide, spe et caritate editam a fratre Thoma de Aquino, scriptam de subtili nota in cartis edinis in parvo volumine, que incipit in secundo folio : *esse immobile,* et finit in penultimo : *in quantum magis,* et est in tabulis cohopertis de corio rubeo cum duobus parvulis clausoriis.

LIV — *Extraits des dépenses faites par Jean XXII en 1317 pour l'achat de divers ouvrages de fr. Thomas d'Aquin* [1]. *(21 février - 21 novembre 1317).*

Item [die XXI mensis februarii tradidi magistro Guillelmo Galteri] pro apostollis Thome super bibliam emptis pro domino nostro : XXX flor. auri.

Die XII mensis aprilis solvi, mandato domini nostri, fratri Guillelmo Durandi [2], lectori fratrum Predicatorum Burdegalensium, pro libris infra scriptis emptis per prefatum dominum nostrum : LXX lib. turon. parvorum in LXXXXVII flor. auri et

---

1) Edition : EHRLE, *Historia bibliothecae,* t. I, p. 144-147 ; FAUCON, *La Librairie des papes,* t. II, p. 23-26 ; K. H. SCHAEFER, *Die Ausgaben der apostolichen Kammer unter Iohann XXII,* Paderborn, 1911, p. 262-265 ; MICHELITSCH, *Thomasschriften,* p. 99-101.

2) Sur fr. Guillaume Durand, cfr. DOUAIS, *Les frères Prêcheurs en Gascogne,* p. 417.

IX sol. VIII den. turon parvorum; videlicet:

pro libro scripto phisicorum fratris Thome.

Item pro metaphisica eiusdem...

Item pro scripto de celo et mundo fratris Thome, super primum et secundum et partem tertii cum supplemento magistri Petri de Alvernia super totum residuum.

Item de anima fratris Thome.

Item de sensu et sensato eiusdem.

Item de memoria et reminiscentia eiusdem...

Item pro scripto fratris Thome super librum ethicorum.

Item super librum politicorum eiusdem, super primum et secundum eiusdem et partem tertii cum complemento magistri Petri de Alvernia super totum omne residuum...

Item questiones de veritate fratris Thome.

Item questiones de malo eiusdem.

Item questiones de potencia Dei eiusdem.

Item pro expositione eiusdem super Boetium de trinitate.

Item questiones eiusdem de anima.

Item de virtutibus in comuni eiusdem.

Item de correctione fraterna eiusdem.

Item de virtutibus cardinalibus eiusdem.

Item de unione Verbi incarnati eiusdem.

Item de spiritualibus creaturis eiusdem...

Item pro primo et secundo fratris Thome super sententias.

Item quelibet XI fratris Thome...

Die XVIII mensis aprilis, solvi, mandato domini nostri, fratri Guillelmo Durandi, lectori fratrum Predicatorum Burdegalensium: pro prima parte summe fratris Thome de Aquino.

Item pro prima parte secunde summe eiusdem,

item pro secunda secunde eiusdem,

item pro ultima parte eiusdem.

Item pro summa contra gentiles eiusdem... LXX lib. turon. parv.

Die X mensis octobris solvi fratri Guillelmo Durandi, de ordine Predicatorum, pro opusculis fratris Thome emptis pro domino nostro: XX flor. et V sol. turon. parv.

Die XXI mensis novembris pro libris infrascriptis emptis pro domino nostro, scilicet... item libris Plinii, libris Damasceni et postillis fratris Thome... solvi in summa fratri Guillelmo de Broa [1], qui de mandato domini nostri dictos libros emerat de camerario domini Hostiensis [2], ut dixit : LXXXXVI flor.

LV — *L'évêque de Paris, Etienne Bourret, révoque la condamnation, portée en 1277, pour les divers articles, qui atteignaient la doctrine de S. Thomas d'Aquin* [3]. *(14 février 1325).*

Universis presentes litteras inspecturis Stephanus [4] permissione divina Parisiensis episcopus, salutem in omnium Salvatore.

Magistra rerum experientia certis indiciis evidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata consulte, novis emergentibus causis, succedentibus temporibus, in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem quidam predecessores nostri felicis memorie Parisienses episcopi quosdam articulos, ne forsitan eos male intelligentes caderent in errorem, tanquam erroneos per excommunicationis sententiam dampnaverunt et interdixerunt expresse, quorum tamen nonnulli doctrinam eximii doctoris beati Thome de Aquino [5], de ordine fra-

1) Fr. Guillaume de la Broue, bibliothécaire du Saint-Siége, devenu évêque de Cahors en 1317 (18 décembre), cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 178.

2) Nicolas de Prato, dominicain, crée cardinal d'Ostie par Benoit XI en décembre 1303, mort le 1 avril 1321, cfr. GUMBLEY et WALZ, *Cardinales ex ord. Praed.*, p. 335.

3) Edition : DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 280-281.

4) Etienne Bourret, évêque de Paris depuis le 20 juillet 1320, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 391.

5) Sur les articles condamnés en 1277 visant la doctrine de S. Thomas, on consultera deux intéressants quodlibets dus l'un à Godefroid de Fontaines (M. H. LAURENT, *Godefroid de Fontaines*

trum Predicatorum, tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum condempnationem et sententiarum promulgationem venerabiles viri decanus et capitulum ecclesie Domine Nostre sicut veritatis zelatores intimius considerantes, necnon doctrine ac fame beati Thome predicti iniustam denigrationem, veritatis occultationem, et sancte Romane ecclesie aliqualem dehonorationem, per venerabilem virum magistrum Annibaldum de Ceccano [1], Atrebatensem archidiaconum, sacre theologie doctorem, et dominum Petrum de Fayello, Parisiensem canonicum, eorum propter hoc nuncios ad nos specialiter destinatos, nos requisierunt nobisque supplicaverunt, quatinus vocatis omnibus sacre theologie doctoribus, et cum eisdem communicato consilio et deliberatione habita diligenti, et cum aliis etiam qui de talibus et in talibus scire possent, veritatis viam aperiremus, per quam in predictis articulis, in quantum doctrinam beati Thome predicti tangere possunt, et sancte Romane ecclesie ac predicti sancti honorem ac reverentiam servaremus.

---

et la condamnation de 1277, dans *Revue Thomiste*, t. XXXV, 1930, p. 273-281), l'autre à fr. Jean de Naples (C. JELLOUSCHEK, *Quaestio magistri Ioannis de Neapoli O. P.: Utrum licite possit doceri Parisius doctrina fratris Thome quantum ad omnes conclusiones eius, hic primum in lucem edita*, dans *Xenia Thomistica*, t. III, p. 73-104). Mgr. Pelzer a de même relevé la présence de notes marginales dans un des manuscrits qui renferment la condamnation d'Etienne Tempier (Florence, Conv. Soppr. E. 5. 532), notes qui signalent pour divers articles que la condamnation vise la doctrine de Thomas d'Aquin : « ...Chaque article porte en marge son numéro d'ordre. Une main du XIV[e] siècle ajoute : *contra thomam*, en marge des articles 124, 129, 156, 163, 173, 187, 212, 218. » (*Le Quodlibet XV et trois questions ordinaires de Godefroid de Fontaines* par O. LOTTIN et *Etudes sur les manuscrits des Quodlibets de G. de F.* par J. HOFFMANS et A. PELZER, *Les Philosophes Belges*, t. XIV, Louvain, 1937, p. 211).

1) Annibal de Ceccano, créé cardinal par Jean XXII le 18 décembre 1327, cfr. E. BALUZE, *Vitae paparum avenionensium*, édit. G. MOLLAT, t. II, Paris, 1928 p. 257-258.

Nos igitur attendentes cum eis, quod sacrosancta Romana ecclesia, fidelium omnium mater et magistra, in firmissima Petri, Christi vicarii, confessione fundata, ad quam velut ad universalem regulam catholice veritatis pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum et confutatio errorum, prefatum doctorem eximium et venerabilem, cuius doctrina fulget ecclesia ut sole luna, nuper sanctorum confessorum cathalogo adscribendum [1] decrevit, diligenti discussione et examinatione prehabita super vita ipsius et doctrina, ipsumque quoad vitam puram ac doctrinam salubrem orbi terre commendabilem predicavit: cupientes gloriosum Deum in sanctis suis apud fidelium devotionem in terris gloriosius exaltari, ac sacratissime matris nostre predicte desiderantes vestigia sancta pro viribus imitari, dictumque confessorem feliciter in celis regnantem, apud terrigenas devotius et celebrius honorari, presertim cum fuerit et sit universalis ecclesie lumen prefulgidum, gemma radians clericorum, flos doctorum, universitatis nostre Parisiensis speculum clarissimum et insigne, claritate vite, fame et doctrine velut stella splendida et matutina refulgens, per venerabiles et dilectos consiliarios nostros fideles, magistrum Hugonem de Bisuncio [2], cantorem Parisiensem, magistrum Stephanum de Novavilla [3] [*lege:* Novilla] et dominum Oddonem de Senonis, canonicos Parisienses, inquisitione facta super dictis articulis apud doctores theologice facultatis in eorum congregatione generali regentium et non regentium, secularium et regularium, ad hoc specialiter convocata ; comperto, per Dei gratiam, dictum confessorem

1) Bulle « Redemptionem » du 18 juillet 1323, cfr. *Fontes... S. Thomae*, p. 519-530.

2) Hugues de Besançon devenu évêque de Paris à la mort d'Etienne Bourret le 14 janvier 1326, cfr. EUBEL, *Hierarchia*, t. I, p. 391.

3) Sur Etienne de Neuville, cfr. DENIFLE et CHATELAIN, *Chartularium*, t. II, p. 282.

beatum nil unquam sensisse, docuisse seu scripsisse, quod sane fidei vel bonis moribus adversetur : de consilio venerabilium virorum decani et capituli Parisiensis et venerabilis patris domini G[uillelmi], Dei gratia archiepiscopi Viennensis [1], sacre theologie professoris, et aliorum viginti trium magistrorum in theologia, una cum reverendo patre predicto, in litteris sub eorum sigillis per prefatos commissarios nobis misso, necnon et triginta novem baccalareorum in theologia super hoc per litteram eorum propriis subscripsionibus et sigillis munitam nobis super hoc consulentium et rogantium humiliter et devote, et aliorum discretorum solempni ac maturo consilio super hoc habito, supradictam articulorum condempnationem et excommunicationis sententiam, quantum tangunt vel tangere asseruntur doctrinam beati Thome predicti, ex certa scientia tenore presentium totaliter annullamus, articulos ipsos propter hoc non approbando seu etiam reprobando sed eosdem discussioni scolastice libere relinquendo. In cujus rei confirmationem et testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.

Datum apud Gentiliacum, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quarto, die iovis ante sacros cineres.

LVI — *Fragments de la Divina Commedia de Dante et commentaire de Jacques della Lana. (Début du XIVe siècle).*

Carlo venne in Italia; e, per ammenda,
vittima fe' di Curradino; e poi
ripinse al ciel Tommaso, per ammenda [2].
. . . .

1) Guillaume de Laudun, archevêque de Vienne depuis le 27 février 1321, transféré à Toulouse le 19 décembre 1327, cfr. CAYRÉ, *Histoire des évêques et archevêques de Toulouse*, Toulouse, 1873, p. 202-205.

2) Purgatorio, XX, 67-69.

Questi, che m'è a destra più vicino,
frate e maestro fummi, ed esso Alberto
è di Cologna, e io Thomas d'Aquino [1].

Commentaire [2] *de Jacques della Lana* [3]*:*

Ancora [4] è da sapere che san Tommaso d'Aquino dell'ordine de li predicatori, essendo maestro parigino stava a Napoli imperquello che 'l detto Carlo [Charles II] l'avea volontieri a presso di sè, e consigliavasi spesso con lui, avvegnachè rade volte tenea suo consiglio. In processo di tempo fu ordinato [5] per messer lo papa concilio a Lion sovra Rodano di Provenza, e furono li invitati e citati brevemente tutti li valorosi cherici, e fra gli altri fu mandato per san Tommaso predetto. Quando venne al dì della partita di san Tommaso da Napoli, ed elli fu al detto Carlo a chiederli commiato, e

---

1) Paradiso, X, 97-99.

2) Edition : *Commedia di Dante degli Allagherii col commento di Iacopo della Lana bolognese*, t. II, Bologna, 1866, p. 226-227. Sur les différents problèmes concernant le commentaire de Jacques della Lana, cfr. L. ROCCA, *Di alcuni commenti della Divina Commedia composti nei primi vent'anni dopo la morte di Dante*, Florence, 1891, p. 127-227. On trouvera de même dans F. SCHMIDT KNATZ, (*Sul commento laneo nella tradizione del codice francofortense*, dans *L'Archiginnasio*, t. XXVI, 1931, p. 177-191), diverses indications concernant la connaissance que Jacques della Lana eut des oeuvres de S. Thomas.

3) Jacques della Lana n'a point de commentaire concernant le passage du Paradiso ici cité ; il a fait précéder le chant X d'une introduction dans laquelle figure le catalogue des oeuvres de S. Thomas cité plus loin (doc. n. 57).

4) Le récit de Jacques della Lana a été repris et quelque peu amplifié par l'Anonyme florentin (*Commento alla Divina Commedia*, t. II, Bologne, 1868, p, 324-325) et par Francesco da Buti (*Commento sopra la Divina Commedia*, t. II, Pisa, 1860, p. 473-474).

5) Deuxième concile de Lyon. — Les documents concernant la convocation de ce concile ont été rassemblés par J. B. MARTIN, *Conciles et Bullaire du diocèse de Lyon*, Lyon, 1905, n. 1553 et seq.

sapere s'elli li volea commettere alcuna cosa. Lo re li disse: fra Tommaso, se 'l papa vi domanda di me, che risposta farete voi? E san Tommaso disse: io dirò pure la verità. Or partissi san Tommaso per andare a Lione, lo re considerando la parola di fra Tommaso, temette imperquello ch'elli sapea che se 'l vero si sapesse delle sue opere, ello dispiacerebbe a tutti, davasene molta malinconia; li medici, che aveano guardia di sua persona, avvedendosi di questo domandonno la cagione. Costui lo disse a uno, lo detto medico disse: messere, se voi volete, lo rimedio è trovato. Lo re disse: vollo fare. Lo detto medico montò a cavallo con quella compagnia che a lui piacque, e dì e notte cavalcò ch'elli l'ebbe aggiunto, e disse a fra Tommaso: messer lo re è stato molto malinconioso che vi lasciò partire senza uno medico, ch'avesse guardia della vostra persona in questo viaggio, e però m'ha mandato ch'io vegna a vostra custodia. Lo frate lo ringraziò com'era da fare, e disse: sia la volontà del Signore. Da liè a due diè lo medico unse lo necessario d'uno veleno per lo quale lo detto frà andò all'altra vita [1].

---

1) La tradition populaire ici reprise par Jacques della Lana fut aussi acceptée par Jean Villani (*Cronica di Giovanni Villani*, liv. IX, cap. 218, édit. Florence, 1823, t. IV, p. 195-196). Dans son commentaire à la Divina Commedia, Pierre Allighieri (sur ce commentateur, cfr. ROCCA, *Di alcuni commenti*, p. 343-406) écrit: « Inde Karolus... occidi fecit Thomam de Aquino dum iret in curiam Romanam, suspicatus ne papa fieret, ut credebatur, et in itinere fecit veneno extingui. » (*Petri Allegherii super Dantis ipsius genitoris Comoediam commentarium*, Florence, 1845, p. 436).

LVII — *Catalogue des écrits de fr. Thomas d'Aquin composé par Jacques della Lana* [1]. *(Début du XIV[e] siécle)*

. . . Scrisse lo preditto autore [fra Tomasso d'Aquino] sopra li quattro libri delle Sentenzie ; compuose una Somma in teologia, partita in tre parti e in quattro volumi, cioè la prima parte, la prima della seconda, la seconda della seconda e la terza parte ; una altra somma nome Contra Gentiles ; questioni De veritate, De potentia Dei et Virtutibus, XII quolibet desputandi :

espose tutti quattro li Evangelisti ; espose Iob ; espose tutto lo Apostolo ; espose Isaia e Geremia e Threnos Hieremiae ;

e scrisse sovra Dionisio De divinis nominibus ; sovra Boezio De ebdomatibus ; sovra Boezio De trinitate ;

sovra la Fisica del Filosofo ; sovra la Metafisica ; sovra la Metaura ; sovra lo De coelo et mundo ; sovra li libri De generatione et corruptione ; sovra lo libro De anima, sovra lo libro De sensu et sensato ; sovra lo libro De memoria et reminiscentia ; sovra lo libro De causis ; sovra l'Etica ; sovra la Politica ; sovra le Posteriora ; sovra li Elenchi ; sovra lo Peryhermenias.

Compuose uno opuscolo De fide ed spe ; un altro Contra impugnantes religionem ; fe' uno trattato De occultis operationibus nostrae naturae ; un altro De iudiciis astrorum ; un altro De principiis naturae ; un altro De rege et regno ; un altro De

1) Edition : *Commedia di Dante . . . col commento di Iacopo della Lana*, t. III, p. 167-168 ; B. NARDI, *Tommaso d'Aquino, Opuscoli e Testi filosofici*, t. I, Bari, 1915, p. XIII-XV (en note) ; P. SYNAVE, *Le catalogue officiel des oeuvres de saint Thomas d'Aquin*, dans *Archives d'Histoire doctrinale et littéraire du Moyen Age*, t. III, 1928, p. 59-60. — Ainsi que l'a déja noté Nardi (*op. cit.* p. XV), le catalogue de Jacques della Lana a été reproduit littéralement par l'Anonyme florentin (*Commento alla Divina Commedia*, t. III, p. 200-201).

substantiis separatis; un altro De rationibus fidei; un altro De perfectione vitae spiritualis; un altro Contra doctrinam retractantium religionem; un altro trattato compuose De sortibus; un altro De forma absolutionis; un altro Contra lo errore de' Greci; una Declarazione di XXXVI quistioni di teologia; un altro di Declarazioni di XL quistioni; e una terza di LX quistioni; fece lo trattato De ente et essentia; un altro De mixtione elementorum; un altro De motu cordis; un altro De unitate intellectus contra averroistas; un altro De eternitate mundi; e fece le Esposizioni sovra 'l primo del decretale e sovra lo secondo; fece uno opuscolo De articulis fidei e delli Sacramenti della chiesa; fe' due trattati De corpore Christi; fece poi una lettura sovra santo Ioanne; poi fece una lettura sovra tre notturni del psalterio; poi una lettura sovra lo santo Matteo; fe' collezioni sovra lo Patre nostro, del Credo in Deum e Sermoni dominicali e quadragesimali, compuose uno opuscolo sovre li X comandamenti, ed 'eziandio dichiarò molti passi, li quali lascio indefiniti santo Augustino in teologia. E molte altre cose fe' le quali non possono ridire, tanto sono in moltitudine e varietate.

LVIII — *Fragment de la chronique Malispinienne concernant la mort de fr. Thomas d'Aquin*[1]. *(Début du XIV siècle*[2]*)*.

... Il primo suo figliolo [Charles II de Sicile] fue Carlo Martello[3], che poi fue re d'Ungheria; il secondo fue Lodovico[4], che si fece fraticello della povera vita e mai non entrò tra frati Minori, avvegnachè l'abbiano appropriato a loro, siccome i frati Predicatori Tommaso d'Aquino, fue monaco e quando venne a morte, che infermò a cammino, rimordendolo la coscienzia si fece portare alla badia d'ond'era stato prima monaco e monaco morio e monaci hanno il corpo suo, e nota che quando infermò in questo cammino, andava per fare disporre i frati del Carmino, onde Iddio ne mostrò questo miracolo, che per la via infermò e morì, e uno frate Minore ch'andava con lui per la detta ragione contra a' detti frati

---

1) Edition : V. FOLLINI, *Storia Fiorentina di Ricordano Malispin. col seguito di Giacotto Malispini*, Florence, 1816, p. 200. — Ce fragment ne figure point dans les anciennes éditions de la chronique Malispinienne, il fut édité la première fois par H. Serry dans un opuscule anonyme : *De monachatu benedectino D. Thomae Aquinatis apud Cassinenses, antequam ad dominicanum Praedicatorum ordinem se transferret historica disquisitio*, Venise (en réalité Lyon), 1724, p. 62-63. Il a été introduit par Muratori dans son édition des *Rerum Italicarum scriptores*, t. VIII, Milan, 1726, col. 1042.

2) Sur les différents problèmes concernant la chronique Malispinienne, cfr. les articles de R. MORGHEN, *Note Malispiniane*, dans *Bullettino dell'Istituto storico Italiano*, t. XL, 1921, p. 105-126; *Dante, il Villani e Ricordano Malispini*, Revue citée, t. XLI, 1921, p. 171-194.

3) Charles I Martel né en 1272, prétendant au trône de Hongrie et couronné à Naples le 8 septembre 1290, mort à Naples en 1295, cfr. M. SCHIPA, *Carlo Martello*, ext. de l'*Archivio storico per le provincie Napoletane*, t. XIV-XV, 1889-1890.

4) S. Louis de Toulouse, né à Brignoles (Var) en février 1274, nommé évêque de Toulouse le 30 décembre 1296, décédé à Brignoles le 19 août 1297.

del Carmino, quando fue innanzi al papa ammutolò e non potè parlare; e questo Lodovico fue arcivescovo di Tolosa...

LIX — *Catalogue des oeuvres de fr. Thomas d'Aquin conservé à la bibliothéque Ambrosienne de Milan*[1]. *(Début du XIVe siècle).*

Ista sunt opera fratris Thome de Aquino ordinis Predicatorum quorum exemplaria sunt Parisius :

Quatuor libri super sentenciis.

De questionibus disputatis partes [tres]: unam disputavit Parisius, scilicet de veritate; aliam in Italia[m], scilicet de potentia Dei et ultra; aliam prosaice[2] (?) Parisius et ultra.

Undecim de quolibet.

Super librorum [*lege:* librum] posteriorum Aristotelis.

Super primum peryermineas Aristotelis.

Opus contra Gentiles quod continet quatuor libros.

Tres partes summe.

Glosas [*lege:* glose] super quatuor evangelia.

Expositionem [*lege:* expositio] super Job ad literam.

Super Dionisium de divinis nominibus.

Super Boetium de ebdomadibus.

Super Boetium de trinitate.

Super epistolam ad Romanos.

Super primam ad Corintios, decem capitula.

De fide et spe ad fratrem Raynaldum.

Super libros phisicorum.

1) Edition : G. AMELLI, *Thomae Aquinatis De arte musica...*, Milan, 1880, p. 28-29 ; MICHELITSCH, *Thomasschriften*, p. 142-145 ; SYNAVE, *Le Catalogue officiel*, p. 54-56.

2) Le P. Mandonnet (*Des Ecrits authentiques*, p. 50) a proposé de restituer le texte : aliam secunda vice Parisius.

Super libros de celo et mundo tres.

Super librum de generatione et corruptione.

Super duos libros methaurorum [*lege:* meteororum].

Super duos ultimos duos (*sic*) libros de anima.

Super librum de causis.

Super librum de sompno et vigilia.

Super librum de memoria et reminiscentia.

Super librum de sensu et sensato.

Super librum de metu [*lege:* motu] animalium.

Super totam methaphisicam Aristotelis.

Super totum librum ethicorum.

Super politicam.

Super Ieremiam.

Super Ysaiam.

Super Threnos.

Contra impugnantes Dei cultum et religionem, contra magistros Parisienses tempore Alexandri pape quarti.

De operibus occultis ad quemdam militem.

In quibus homo potest uti iudiciis astrolorum [*lege:* astrorum] ad eundem.

De principiis nature ad fratrem Silvestrum.

De regno regendo ad regem Cipri.

De substantiis separatis ad fratrem Raynaldum.

De perfectionibus vite spiritualis ad [*lege:* contra] magistrum Gerolandum.

De rationibus fidei ad cantorem antiocenum.

Contra doctrinam retrahentium a religione.

De sortibus ad dominum Iacobum de Tenengo.

De forma absolutionis ad magistrum ordinis Predicatorum.

Declaracio XII questionum ad lectorem Bissenetinum.

De regimine iudeorum ad reginam Brabancie.

De esse et essencia ad fratres et socios.

De mixtione elementorum ad magistrum Philippum de Castro.

De unitate intellectus contra averroystas.

De eternitate mundi contra murmurantes.

Expositio super primam decretalem et secundam ad archiepiscopum [*lege :* archidiaconum] Tridentinum :

de fide catholica in [*lege :* et] trinitate.

De articulis fidei et ecclesie sacramentis ad archiepiscopum Panormitanum.

Si autem alia sibi attribuantur, non ipse notavit nec scripsit, sed alii, cum legeret vel predicaret, verbi gratia :

lecturam super Paulum ab XI capitulo prime ad Corinpthios usque ad finem frater Raymundus [*lege :* Raynaldus] socius eius.

lecturam super primum de anima frater Raymundus [*lege :* Raynaldus] de Pipermo socius eius.

Ista sunt opera que complevit frater Thomas de Aquino, ordinis fratrum Predicatorum, ad honorem beate Marie virginis et beati Dominici ac beati Petri martiris et omnium sanctorum et utilitatem fratrum Predicatorum et omnium volentium philosophari et theoloyam addiscere. Deo gratias. Amen, Amen, Amen dicat omnis homo.

Prümmer, D.M. - Fontes vitae S. Thomae Aquinatis.